
6
40-e
29

G-g. XXI.1.11.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
12 F
16



Digitized by Google

CLARORVM
BELGARVM
EPISTOLAE.

CLARORVM BELGARVM

AD

ANT. MAGLIABECHIVM

NONNVLLOSQVE ALIOS

EPISTOLAE

Ex Autographis in Biblioth. Magliabechiana; quae nunc Publica Florentinorum eſt, adſervatis deſcriptae.

TOMVS PRIMVS.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FLORENTIAE. MDCCXLV.
Ex Typographia ad Inſigne Apollinis in Platea Magni Ducis.

Superiorum Permiſſu.

AMPLISSIMO NOBILISSIMOQVE VIRO

D. EMMANVELI
COMITI DE
RICHECOVRT
&c. &c.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IO. TARGIONIVS FELICITATEM.

Iampridem mecum ipſe cogitabam, Vir Amplissime, *quonam pacto tantis beneficiis a* Te *cumu-*

la-

latus ornatuſque, publicum aliquod grati erga TE, *memoriſque animi teſtimonium darem. Quum autem opera nonnulla quae molior diu premenda ſint, & aſperiori lima perpolienda, antequam Graviſſimo Iudicio Tuo ſubmitti, ac in vulgus emanare poſſint; ne partibus meis deeſſe velle viderer, conſtitui pro exilibus & immaturis privati Agelli fetibus, ſuaviſſimos fructus, elegantiſſimoſque flores* TIBI *offerre, decerptos e cultiſſimo uberrimoque alieno Viridario meae curae commiſſo.* TVIS *proinde* AVSPICIIS *in publicum uſum reſerare aggredior ignotum Eruditionis Theſaurum; &* TVO AMPLISSIMO NOMINI *nuncupare audeo Tomum hunc Epiſtolarum a Claris Viris ad Antonium Magliabechium, nonnulloſque alios ſcriptarum, qui primus praelum evaſit. Praeterquam enim quod certam hanc obſervantiae, & venerationis erga* TE *meae*

ſi-

ſignificationem eſſe geſtio; iure meritoque Tibi *conſecrandae erant primitiae Cimeliorum Bibliothecae Publicae Florentinae, quod illius memoriam inter tot alia graviſſima negotia numquam depoſueris; ſed Auctoritate* Tva, *& omni ope annitaris, ut quamprimum in Optimi Noſtri Principis aeternam Laudem, Vrbiſque huius commodum dedicari poſſit. Accedit quod contenta in hoc volumine ob pondus, varietatem, & elegantiam, non iniucunda* Tibi *fore confidam; praeſertim quum ſimiles Amoenitates Litterarias in pretio habere, iiſque animum relaxare ſolitus ſis a multiplicibus, graviſſimiſque curis, quae tam illuſtria vitae decora, & tantum dignitatis fulgorem aſſidue comitantur. Auſus autem meos aequi bonique* Te *conſulturum eſſe, & hoc qualecumque obſequii argumentum pacato vultu excepturum, ſperare me iubet ſingula-*

ris

ris Tuae Humanitatis, & Benevolentiae experimentum certiſſimum; quando alias lucubratiunculas meas & legere, & probare non es dedignatus. Quod ſi eamdem veniam adoptivo quoque huic Libello impertiri non graveris, & Patrocinio Tuo ſtudia mea fovere pergas, ſtimulos mihi ad laborem addi ſentiam, ut exhibere aliquando valeam fetus tum meos, tum aliorum mihi creditos, quos hactenus premere coactus ſum. Interim AMPLITVDINI TVAE *ſecunda & fauſta omnia a* DEO OPT. MAX. *precor, quo diu Bonarum Artium praeſidio ſoſpes incolumiſque ſerveris. Dabam e Muſeo meo* XIII. *Cal. Quintiles Anno* MDCCXLV.

CAN-

CANDIDO LECTORI

IO. TARGIONIVS FLOR. MED. D.

Rei Herbariae Prof. P. & Bibliothecae Pub. Magliabechianae Praefectus

S. D.

VAria inter Scriptionum genera, ex quibus Litterarum ſtudioſi multum praeſidii ac lucis ad excolendos animos haurire ſolent, non ultimum profecto locum ſibi vindicant mutuae Virorum illorum Epiſtolae, qui magnam aliquando doctrinae famam adepti ſunt. Quum etenim privatim, liberiuſque ad amicos ſcriptae ſint; nec propterea,

quemadmodum in lucubrationibus quae palam recitari, aut publici iuris eſſe deberent, multa ob varias vel rerum, vel temporum, vel perſonarum rationes immutata in iisdem ſint, aut praetermiſſa; dum eas legimus, videmur nobis quodadmodo Scriptores ipſos, tamquam e ſipario, audire cum amicis ingenue colloquentes, detegenteſque arcana mentis quae nuſpiam alibi chartis concredere auſi ſunt. Hinc fit ut non aliunde melius quam ex Epiſtolis cognoſcere poſſimus quonam ingenio eſsent Scriptores eorumque amici, quibus animi dotibus inſtructi, vel vitiis obnoxii; quae tum indoles, quique mores eſsent Popularium, vel eorum quibus cum vivere aliquando eis contigit; quae eſset nativa ipſorum dicendi, ſcribendique forma; quae ipſis auxilio, aut impedimento fuerint ad litterarios labores; quid ſibi in illis propoſuerint; qua ratione illud conati, quibuſque artibus ſint aſsecuti; ut poſteris tam praeclara ingenii monumenta, ſibi vero ingentem gloriam reliquerint.

Si tot igitur, tantaque ex Doctorum Virorum Epiſtolis emolumenta conſequi poſſumus in doctrinae penu locupletando; quid de illis iudicandum erit, quas Vi-

Viri omnigenae eruditionis laude cluentes, e ſingulis Terrae partibus in quibus optimarum Diſciplinarum nomen diffuſum eſt, ad Clariſs. Virum, noſtraeque Vrbis maximum ornamentum Antonium Magliabechium ſcripſerunt? Tot ſiquidem illae ſunt, tam variae, deque tam multis, & graviſſimis argumentis pertractantes, ut quaecumque ad alios Doctiſſimos Viros conſcriptae fuere, cum iis comparari nulla ratione poſſint. Quum enim Magliabechius ob ſingularem ingenii aciem, incomparabilem memoriae vim, immenſam doctrinae ſupellectilem, & ingentia quae ſtudioſis omnibus ſuppeditabat auxilia, concordibus Eruditorum ſuffragiis Reip. Litteriae Dictator quodadmodo fuerit conſtitutus; nil mirum videri debet, ſi eum ex ſingulis Europae partibus Viri Doctiſſimi, & Sapientes etiam maiorum gentium, tanquam Oraculum conſulere ſoliti fuerint. Illum profecto de omnibus ad ſe pertinentibus certiorem reddebant; Patronum ac vindicem in Litterariis certaminibus conſtituebant: ab ipſo methodum in ſtudiis, lucem in difficulatibus flagitabant; nihilque unquam quod ab eo propoſitum antea, vel ſaltem viſum probatumque non eſſet,

in lucem proferre audebant. Vt mirandum re vera ſit, ac paene incredibile, Virum unum, tam ſolidam, tam conſtantem, tam longe lateque diffuſam doctrinae famam conſecutum eſse: quod ſicuti certe nulli ante eum contigiſſe ſcimus, ita nemini etiam poſt eum ſperare ullo tempore liceat.

Haec igitur ſaepenumero mecum ipſe volutans, iamdudum deſtinaveram Syllogen Epiſtolarum elegantiorum a Claris Viris ad Magliabechium ſcriptarum in lucem edere, tantoque Eruditionis Theſauro Litterariam Remp. locupletare; ſed multiplices curae quibus hactenus diſtractus fui votis meis obſtiterunt.

Vix enim e vivis ſublato Celeb. Petro Antonio Michelio Praeceptore meo amantiſſimo, Ser. Magnus Dux Io. Gaſto gravem quam feceram iacturam miſeratus, & ſedule a me per ſex annos impenſam operam in ſtudiis Hiſtoriae Naturalis clementer reſpiciens, bono animo eſſe me iuſſit, ac Rei Herbariae Profeſſorem in Florentino Lycaeo conſtituit; ſplendido huic muneri magnum onus adiiciens, ut ſcilicet Viro Cl. Ant. Cocchio Praeceptori & Amico maxime mihi colendo Operam

meam

meam qualemcumque praeſtarem in ordinanda, & ad uſus publicos Regiis Auſpiciis ſumptibuſque inſtruenda Bibliotheca locupletiſſima Ant. Magliabecchii. Inter primas itaque mihi iniunctas curas illa fuit, ut plures & ingentes foliorum Manuſcriptorum omnis generis incompactorum acervos ordinarem; ſingula nempe ad ſuas Claſſes, ſuoſque Auctores referrem; fragmenta diſperſa & latitantia, expiſcarer, ſuiſque voluminibus reſtituerem; tandem anniterer, ut ex informi indigeſtaque mole illa prodiret inſignis Codicum MSSrum Theſaurus, qui modo integrum fere Cubiculum implet. In his acervis diſperſae latebant Epiſtolae varii argumenti, praeſertim vero de Litteraria Hiſtoria agentes, ad Magliabechium, nonnulloſque alios Viros Eruditos ſcriptae, in quibus colligendis per plures menſes inſudavi. Vt autem melius poſſem ſingulas eas Scriptoribus ſuis (qui MMMDCCCLXXXVIII. circiter ſunt) reſtituere, & in peculiares faſciculos chronologica ſerie digerere, coactus ſum plurimas raptim legere; ex quo factum eſt, ut immenſos doctrinae fructus in illis deliteſcere cognoverim, primumque cogitare coeperim de illis

edendis. Verum abſoluto labore hoc improbo, alii non minores ſupervenerunt; Delectus nempe, & Catalogi plures Librorum duplicatorum venaliumque eiusdem Bibliothecae; Delectus item Librorum, qui ex Legato Ant. Franc. Marmii D. Steph. Equitis Magliabechianis iungendi erant. Deinde An. MDCCXXIX. R. C. Ser. Franciſci III. Ducis Lotharingiae & Barrii, Magni Ducis Etruriae, Regis Hieroſolymorum &c. &c. Domini mei Clementiſſimi ſingulari Beneficentia Bibliothecae eidem Praefectus, maius opus aggreſſus ſum; Catalogum nempe Librorum omnium, qui modo Bibliothecam ipſam Publicam Florentinam conſtituunt e Magliabechiana & Marmiana conflatam, quique XL. millium numerum excedunt. Trium & quadraginta menſium ſpatio laborem hunc exantlavi; & ad conficiendum Catalogum non minus operoſum Codicum MSSrum me converti; iamque ultra dimidium progreſſus ſum, & unius adhuc anni ſpatio omne prorſus penſum abſolvere me poſſe confido. Interea tamen tempus ab iugi labore hoc vacuum ponere debui in Medicina facienda, coactus auctoritate Patronorum, & Amicorum, qui

qui ſingulari favoris ſignificatione valetudinem ſuam mihi commendarunt. Horti item Regii Florentini Cura; Publicae Plantarum Demonſtrationes; & quatuor Itinera Rerum Naturalium obſervandarum deſcribendarumque gratia per Etruriam inferiorem confecta, non exiguam temporis partem abſtulerunt: Cuius & particulam merito ac iure ſibi vindicarunt Viri Amplifs. & Amici, qui meas Nugas eſſe aliquid putant. Praecipue vero exercuit me recenſio Operum Poſtumorum Petri Ant. Michelii, quorum editionem procurandam iam ab A. MDCCXXXIX. in me recepi. Grave iſtud onus, quod parum cautus, Amicis hortantibus, & impellentibus mihimet impoſui, anxium me & ſollicitum diu noctuque facit. Quamvis enim totum illud temporis quod reliquis aſſiduis occupationibus ſubtrahere licet, ei deſtinaverim; Micheliana tamen Lipſana tandiu deſiderata lento procedunt gradu, hac potiſſimum de cauſa, quod Michelius LVI. diverſis Operibus manum admoverit, nullum vero eo uſque provexerit, ut ſine magno labore ad umbilicum perduci poſſit. Ii ſane Viri Genere & Doctrina Illuſtres, qui viventi

Michelio pecuniam ad haec ipſa Opera edenda benevole contulere, vix credent tantopere in ipſis deſudandum mihi eſſe; & forſan ſuccenſebunt, quod me aliis ſtudiis partem temporis impendere obſervent. At vero de ſtudiis quae pro iniunctis muneribus colenda mihi ſunt, nemo, opinor, cauſam me dicere coget: de illis autem quae ſponte amplexus ſum, monuiſſe ſufficiat haec mihi facienda eſſe, ne illud, nempe Michelianorum Operum editionem, omittam. Si enim mihi optio daretur, uni tantum muneri lubens vacarem, & illo pro viribus fungerer: at non licuit eſſe tam beato! Certe quoties ſeptem poſtremos vitae meae annos ad examen revoco, mirari ſubit quo nam modo tot laboribus, totque animi angoribus par eſſe potuerim. Quoties autem video plures adhuc aequales labores mihi exhauriendos reſtare, colluctandumque diu eſſe cum moroſa illa Bonae Mentis Sorore, deſponderent animo, niſi Viridis iuventa, & ſpes feliciorum dierum me ſubſtentarent.

Haec altius repetere neceſſe fuit, ut patefacerem cauſas, quibus tamdiu premere coactus ſum lucubrationes tum meas, tum aliorum mihi creditas. Syllo-

logen profecto hanc Epiſtolarum Eruditarum diutius latere paſſus eſſem, niſi D. Io. Bapt. Zannonius Typographus Flor. me ſollicitaſſet, & Praela ſua Theſauro iſti Litterario edendo peramice obtuliſſet. Commodum manum admovebam recenſendo, & locupletando Catalogo Scriptorum Epiſtolarum quae autographae in laudata Bibliotheca adſervantur; quapropter vota eius impleturum me promiſi, & una eademque opera coepi Scriptores Epiſtolarum Hiſtoricarum & Politicarum ſecernere ab illis, qui proprie ad omnigenam Eruditionem pertinent, quoſque comperi eſſe MMDXXVII. circiter. Varius eſt Epiſtolarum numerus ab unoquoque ſcriptarum, a ſingulari nempe ad DC. & quod excedit; adeo ut Epiſtolarum omnium numerus immenſus fere ſit: quamvis plurimae aliae ob Magliabechii incuriam perierint, aliae ab Eq. Ant. Franc. Marmio Magliabechianae Hereditatis Curatore fuerint Amicis conceſſae. Tantus Scriptorum numerus ex eo profluxit, quod quicumque per illa tempora ad aliquam Litteraturae laudem adſpirabat, commercium epiſtolicum cum Magliabechio inſtituere tentabat, beatum ſe, & in ſapientum albo relatum pu-

tans,

tans, ſi reſponſoriam a Magliabechio extorquere potuiſſet. Sed quoniam non omnibus aemulantibus ſtudia doctrinae e meliore luto finxit praecordia Titan; ideo plurimi ex hiſce Magliabechii clientibus, Amiciſque nil prorſus memorabile tot chartis illevere.

Quantum igitur ex hactenus habito delectu coniicere licet, D. circiter tantummodo erunt Scriptores qui Epiſtolas edi dignas mihi ſubminiſtrabunt. Tales autem cenſeo illas unice, quae arcanum aliquid, & memorabile complectuntur, unde Hiſtoria vel Civilis, vel Eccleſiaſtica, vel Naturalis, ſed potiſſimum Litteraria illuſtrari, & unde omnigenae Eruditionis penu locupletari poſſit. Quapropter Epiſtolas omnes (magnorum etiam nominum) omittam, quae non niſi nuda encomia, gratiarum actiones, mercaturam librariam, vel futiles quaſdam, & vulgatiſſimas modo res continent. Inde fiet ut edendarum Epiſtolarum numerus valde extenuetur, qui integer abſterrere potuiſſet Lectores ad vitae brevitatem reſpicientes.

Ingens nihilo tamen minus is erit, & diu ſuſpenſum me habuit ſuper methodo qua tot Scriptores, totque Epiſto-

ſtolas digererem. Nulla tandem melior ſuccurrit, quam Scriptores in totidem manipulos iuxta Natalis ſoli ordinem diſpertiri, & eorum quorumlibet Epiſtolas iuxta temporum ſeriem diſtribuere. Methodus haec, praeter quam quod tutior mihi viſa eſt, illud etiam utilitatis habebit, quod unuſquiſque Scriptorum manipulus Nationis ſuae mores & Hiſtoriam Litterariam mirifice illuſtrabit. Inde enim patebit quantus Sapientum numerus in illa Provincia tunc temporis floruerit? quae ſtudiorum genera praecipue ibi invaluerint, quae vero invidia publica laborarint? quae, & unde Litteratos felicitas vel infelicitas comitata ſit? Quae commoda ipſis parata fuerint; vel quae obſtacula propoſita? Quis ſtatus Academiarum, Collegiorum Eruditorum, Bibliothecarum, Muſeorum, Typographiarum? quae Principum Virorum munificentia fuerit? ex quibus omnibus certiſſima modo ſubduci poſſit ratio incrementorum, quae ibidem Bonae Artes ſuſceperunt. Series autem chronologica Epiſtolarum non parum lucis afferet ad detegendos receſſus quosdam vitae ipſorum Scriptorum, nempe quale ſortiti ſint ingenium, qualibus fuerint mo-

moribus , quali vel gratia valuerint , vel invidia flagraverint apud populares ſuos ? qua occaſione Operi alicui manus admôverint , quantum in eo deſudaverint , a quo nam vel adiuti , vel retardati fuerint ? quibus artibus uſi ſint ad nominis ſui famam aeternitati commendandam ? pluraque alia , quae in impreſſis Libris fruſtra quaeras .

Illas igitur Epiſtolas , quas luce publica dignas credam , deſcribi curabo ex autographis qua maxima potero diligentia & fide ; adeo ut retinere decreverim orthographiam peculiarem , licet quandoque non nimis bonam , & ipſas infelices phraſes , vitioſaſque ditiones , quae Auctoribus incautis , raptimque ſcribentibus excidere . Temerarium ſiquidem putavi , & iniuriae proximum , aliorum ſcripta immutare , vel interpolare ; fierique ſic poſſe credidi , ut melius cognoſcatur qualis eſſet uniuſcuiuſque in ſcribendo facilitas , puritaſque , quod ſane ex vulgatis , diuque expolitis Libris deprehendi nequit . Epiſtolas item omnes Lingua ipſa qua ſcriptae fuere prodire ſinam , nulla adiecta latina interpretatione , nec manifeſtis , in Italica praeſertim , mendis correctis , ut appareat

ma-

magnos etiam Viros in familiaribus ſcriptis vix cavere conſueviſſe a vitiis Dialecti Patriae. Haec ſane ipſorum mortuorum famae aliunde partae obeſſe nec vel minimum poſſunt; ſed tantummodo viventibus documento erunt.

Clarorum praeterea Virorum, quos vivere adhuc ſcio, Epiſtolas omittere certum eſt, nec niſi ipſis volentibus publicare, ne auſibus meis odium & invidiam mihi potius apud Eruditos, quam gratiam pariam. Eadem de cauſa omittam quicquid convitiorum, & contumeliarum in autographis continetur contra vel privatos Homines, vel Familias, vel Collegia, vel Nationes, vel tandem Principes Viros, & Summas Poteſtates. Haec, licet quandoque non immerito prolata eſſe aliunde compererim, in oblivione tamen relinquenda cenſui, utpote nimis aliena a vera Philoſophia, & peſſimi exempli in Litteratura. Prodire tantummodo ea omnia ſinam, quae cenſuram alicuius Libri ſpectant, quamvis acriorem, & Auctori, ſi viveret, minime placituram. Aſteriſci, vel puncta, indicabunt promiſcue tum loca in quibus conſulto invidioſum aliquid omiſi, tum illa etiam quorum deſperata eſt lectio in autographis,

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

phis, ob chartam vel laceram, vel ſordidam. Plures tamen, fateor, integras Epiſtolas, alioquin diſertiſſimas, ſupprimendas cenſui, eo quòd nonniſi unius cuiusdam Hominis, vel Collegii contumeliis refertae erant, felleque Lycambaeo ſaturatae. Cur enim ego Virorum de Re Litteraria egregie meritorum manes exagitarem? vel cur querelis plerumque iniuſtis me immiſcerem, & fortaſſe viventibus ipſorum vel amicis, vel affinibus, vel collegis rem ingratam facerem? Haec ſemel monuiſſe ſufficiat, & mentem meam aperuiſſe averſiſſimam ab iurgiis, litibuſque, tum ſemper, tum praecipue in Litteratura; quinimmo venerabundam, & gratam erga omnes, praeſertim vero erga illos, qui egregiis conatibus, & Herculeis laboribus facile, tutumque ad Sapientiam iter nobis aperuerunt. Quod ſi aliquid iniurium forte adhuc remanſerit, ſciant omnes velim, me invito, & alluſionis prorſus ignaro id accidiſſe; cupereque me ut deleatur ſtatim; quemadmodum, & ſi quid, me non ſatis advertente, adhuc reſtet, ex quo Summarum Poteſtatum Iura, aut S. Romanae Eccleſiae Leges & conſuetudines vel ſubobſcure offendi poſſent.

Vt tamen memorabile omne, quod hiſce Epiſtolis continetur in publicum commodum proferrem, ex illis quas ſupprimendas, vel omittendas cenſui, particulas deſcripſi, & Adnotationum vicem editis praeſtare volui. Alias quasdam Adnotatiunculas ſubinde properanter adieci, ut obſcuriora & aenigmatica quaedam loca illuſtrarentur, utque Tituli Librorum de quibus agitur indicarentur. Eapropter Lectores enixe rogo, ut conatum hunc qualemcumque meum aequi bonique conſulant, ignoſcantque, ſi aliis occupationibus diſtractus meliora praeſtare non valui.

Quoniam vero Opuſcula quaedam varii argumenti, parvaeque molis, Magliabechio ſimul cum Epiſtolis tranſmiſſa fuere, & horum nonnulla etiamnum Epiſtolis adnexa ſunt; ego illa quae lucem hactenus non viderunt, ſed videre merentur, ſubinde edam, exceptis tamen carminibus plurimis in Magliabechii laudem, & Catalogis Librorum impreſſorum, qui novitatis gratiam amiſerunt.

Indiculum rerum memorabilium ad calcem adiiciendum curavi; & ut aequalis quamproxime Tomorum omnium moles

les exſurgat, nec faſciculum Epiſtolarum Scriptoris cuiusdam ſecare neceſſe ſit, vacantes pagellas diſſertatiuncula mea aliqua implere audebo.

Formam Voluminum octavam, quam dicunt, ſelegi, utpote commodiorem, & minus ſumptuoſam. Characteres minuſculi licet, primi ad manus fuere, & copia ſua largum emendationi tempus mihi ad alia intento concedunt.

Coordinatio Epiſtolarum rectius, fateor, proceſſiſſet, ſi usqueadeo expectare licuiſſet, dum omnes deſcriptae haberentur, & Auctores iuxta emortualis diei ordinem collocarentur. Sed Typographus urgebat, ſuorum Praelorum initia a Sylloge hac auſpicari volens. Primum omnium itaque Typis deſcribendum ei tradidi volumen hoc Epiſtolarum Clarorum Belgarum, ea tantum de cauſa, quod primum abſolutum, & paratum forte erat; non quod Belgicam Nationem, licet de Re Litteraria univerſa egregie meritam, coeteris omnibus praeferendam cenſuerim. Quinimmo ut praeeminentiae inter varias Nationes invidioſam controverſiam evitarem, ſtatui deinceps edere faſciculos ſingulos ſaltuatim, & prout parati erunt; numerus tamen

in fronte notatus eos facile diſcernet.

In hoc igitur Volumine congeſſi, primo Epiſtolas Gisberti Cuperi, ut mantiſſae, vel Appendicis vicem praeſtare poſſint Collectioni Epiſtolarum eiusdem Eruditiſſimi Viri, quae An. MDCCXLII. prodiit Amſtelodami curante Cl. Beyero, magnoque plauſu excepta fuit. Eapropter Cuperianas omnes Epiſtolas, quotquot invenire contigit, edendas curavi, licet non omnes aeque frugiferae, quaedam autem mutilae ſint. Solitus erat Magliabechius Amicorum ſuorum quorumdam Epiſtolas, Cuperi praeſertim, cum aliis communicare, & vel in longinquas regiones tranſmittere, ex quo factum eſt, ut plures perierint totae, vel ex parte, ſi pluribus foliis conſtarent. Praeterea Magliabechius parum caute cuſtodiebat haec, & alia MSSta Bibliothecae ſuae; quin immo in anguſtiſſima domo diu incluſus, ſuper Librorum, & foliorum ſcriptorum acervos dormire, ſedere, prandere, & gradi ſolitus fuit: eapropter plurima Epiſtolarum autographa adeo lacera, adeo conſpurcata ſunt, ut legi nequeant. Plurima etiam periere vel inter repurgamenta domus exportata, vel fortuito

incendio olim ſimul cum Libris plurimis conſumpta. Adeoque nil mirum videri debet ſi Epiſtolae innumerae, quas ad Magliabechium ſcriptas fuiſſe ex aliis conſtat, modo non reperiantur. Cuperianas ſequuntur Epiſtolae plures ſelectae Nicolai Heinſii, quae Appendicis vicem praeſtare poſſunt aliis multis eiusdem Cl. Viri, editis a Petro Burmanno in Tom. V. Sylloges ſuae Epiſtolarum a Viris Illuſtribus Scriptarum. Tandem agmen claudunt Epiſtolae aliquot Io. Georgii Graevii e pluribus ſelectae.

Belgii nomine univerſam Galliam Belgicam compraehendo, tam Auſtriacam, quam Foederatam: ſi tamen Typographus non nimium urgebit, conabor Belgas Auſtriacos ſeorſim a Foederatis collocare.

Optandum ſane fuiſſet ut in hoc, & aliis Sylloges noſtrae Tomis inſerere ſubinde licuiſſet Epiſtolas, quas Magliabechius ad amicos ipſos ſcripſit: adeo ut mutuarum Epiſtolarum contextus talis tutiſſimum, & luculentiſſimum praeberet teſtimonium Actorum Reipublicae Litterariae. Harum paucae in Bibliotheca noſtra, aliiſque Florentinis adſervantur, quas opportune edemus: cae-

te-

terae omnes penes Heredes Amicorum clientiumque Magliabechii deliteſcunt. Eos igitur enixe rogatos volumus, ut conatus noſtros adiuvare non dedignentur, & Epiſtolarum illarum vel autographa, vel exempla nobiſcum benevole communicent, ut tam ſplendida acceſſione Sylloge noſtra perfectior evadat: quo ſane munere non tantum nos ſibi in perpetuum devincient; ſed & Rempublicam Litterariam ingenti mactabunt beneficio.

Lumen preterea ingens Epiſtolis hiſce afferretur, ſi praemitti poſſet Hiſtoria Vitae Ant. Magliabechii. Vnam habemus ab Eq. Ant. Franc. Marmio coacervatam, a Cl. Apoſtolo Zeno digeſtam, editamque in Parte I. Tomi XXXIII. Ephemeridum Eruditorum Italorum, qui Venetiis prodiit A. MDCCXI. Altera quam Ant. M. Salvinius complexus eſt Funebri Oratione publice habita in Academia Florentina, typiſque edita Florentiae An. MDCCXV. neutra tamen ob ſcriptionis brevitatem par eſt argumenti amplitudini; aſt alia, & melior, non ita facile conſtrui poteſt. Quum enim Magliabechius Reip. Litterariae Dictator quodadmodo fuerit;

in ſerie eius vitae non tantum privata ipſius geſta exponi debent, ſed illa omnia quae ab Eruditis per Europam Viris eius vel auctoritate, vel conſilio, vel auxilio perfecta ſunt; adeoque Magliabechii vita nil aliud revera eſſe debet, quam Hiſtoria Litteraria ſui temporis. Quantae molis illa futura ſit, nemo non videt: Ego certe imparem ei condendae me profiteor; & tantummodo conabor Epiſtolarum harum editione caementa in aedificii tam ſplendidi uſum coacervare.

Manipuli quilibet Epiſtolarum iuxta communis Scriptorum Patriae ordinem digeſti, totidem integra & diverſa corpora conſtituent; quod monendum ſupererat: ea autem omnia ſimul iuncta conficient corpus abſolutiſſimum, in cuius commodum Index generalis olim adiicietur.

Antequam tamen manum tollam de tabula, neceſſe eſt, ut criminationibus nonnullis occurram, quibus ingenui auſus mei impeti poſſent. Praecipuum illud eſt, Epiſtolas quas edere deſtinavi ab Auctoribus ſuis conſcriptas eſſe raptim plerumque, & inconcinne, nec in eam ſpem ut typis ali-

quan-

quando vulgarentur: quod ſane ſi Viri illi Cl. ſubſpicari potuiſſent, eas vel nullatenus ſcripſiſſent, vel ad examen revocaſſent. Quaedam praeterea illos chartae commiſiſſe; quae uni tantum fidoque amico innoteſcere, coeteros omnes latere voluerint: eapropter vim quodadmodo inferri Scriptorum Manibus, quod ipſis invitis, immo indignantibus propalentur. Non difficulter me purgabo apud aequos Iudices, ſi adfirmem prae oculis habuiſſe me tantummodo utilitatem publicam, ideoque in medium protuliſſe quicquid bonae frugis in his Epiſtolis continetur. Non tamen propterea voluiſſe me detractum iri vel minimum famae, quam ſibi ob plures alias nitidiſſimas lucubrationes pepererunt Viri Clariſſimi, quod Epiſtolarum harum ſtilus ſimplex ſit, & quandoque nimium incomptus. Contra vero non parum accedere laudibus eorum me crediſſe, ſi ex velociſſima, nec meditata ſcriptione, vel ipſorum dictandi facilitas longo uſu comparata pateret, vel labor impenſus in expoliendis operibus quae ediderunt aeſtimari poſſet. Accedit quod hactenus obſervaverim Epiſtolas Illuſtriorum Virorum, & qui magnam aliis ſcriptis lau-

dem conſecuti ſunt, eſſe omnes praeterpropter diſertiſſimas, & luce publica dignas: Obſcuriorum vero, ſeu Litteratorum minorum gentium, plurimas futiles eſſe, & merito in tenebris relinquendas: unde rurſus evinci poteſt ſummorum Virorum Schediaſmata ipſa, & Adverſaria pretioſa eſſe. Tandem fovit, excitavitque me exemplum tot Clarorum Virorum, quibus ſimiles alias Epiſtolarum Collectiones edere & licuit, & laudi fuit; ac praeterea conſenſus Eruditorum noſtri Saeculi, qui talia Lipſana in precio habent, plurimumque inde ſe adiutos fuiſſe fatentur. Secretum vero quod attinet a Scriptoribus tunc maximopere commendatum, ne Crabrones excitarentur, nunc poſt tot elapſos annos, totque rerum viciſſitudines, nullius prorſus eſt uſus, quum vel aliunde nota ſint ea quae alto ſilentio premi neceſſe olim fuerat, vel e vivis exceſſerint omnes quibus obeſſe, vel minus placere illa poterant. Quapropter nec vel minimum peccare me in Societatis iura putavi, ſi panderem poſt tot annos quaedam plurimos inſtructura, nullum autem offenſura: a quo ſedule cavi nonnulla amputando, & viventium Epiſtolas premendo. Vt

Vt vero appareat me iure meritoque pronunciaſſe, Syllogen hanc eruditae frugis plenam futuram fore, en brevem ſynopſin rerum memoratu digniorum, quae continentur hoc volumine, quo certe non minus feraces erunt alii.

Ac primo quidem, Hiſtoriae Litterariae Belgii Foederati certiſſima teſtimonia erui hinc inde poterunt. Ex his patebit Optimas Diſciplinas in illa Orbis parte, unius circiter ſaeculi ſpatio, tam altas difixiſſe radices, mireque adeo ſeſe propagaſſe, ut gravibus calamitatibus quae ob diuturna bella tunc temporis inciderunt, retardari tantum, non prorſus labefactari potuerint. V. pag. 164. 181. 182. 275. 280. & 301. Studiorum item genera quae potiſſimum ibi invaluerant, pluresque ſectatores habebant, fuiſſe Antiquorum Monumentorum & Rituum explicationes. Veterum Auctorum Illuſtrationes; Linguarum Latinae Graecae, & Orientalium polituram; nec non Eloquentiae & Poeſeos cultum. Denique apparebit laudabiliter conſueviſſe Belgas Optimates poſtquam tyrocinia in ſtudiis depoſuiſſent, florentes quaſque Europae provincias, Italiam praeſertim, perluſtrare, non ſolum

lum ut ad omnem vitae civilis partem ſe melius formarent; ſed etiam ut doctorum Virorum colloquiis, & antiquorum operum contemplatione animum excolerent. V. pag. 41. 68. 146. 187. 189. 291. 318. 319. & 332. De ſtatu quoque Litterarum in Svecia habes nonnihil pag. 290. 34. & 16. in Germania autem pag. 181.

II. Praeſidia & commoda ingentia ſtudioſis in Belgio Foederato, tam publice, quam privatim comparata fuiſſe apparebit. Praecipua ſunt Academiae, & Scholae undique conſtitutae, ac optimis Praeceptoribus inſtructae. Earum Curatorum Vigilantia, & Profeſſorum Catalogi ex variis locis hauriri poſſunt, ita ut ſingula recenſere ſupervacuum putem: innuam ſolummodo peculiaria quaedam de Lugdunenſi Academia haberi pag. 17. & 336. Praeter Belgicas vero indicatur Heidelbergenſis Academiae Inſtauratio pag. 323. & Vpſalienſis Exercitationum Methodus pag. 16.

III. Bibliothecis, hoc eſt Sapientiae Theſauris, vel tunc abundaſſe Belgium Foederatum conſtabit. Quoniam vero ſerius aliquanto in illas oras Muſae pedem intulerunt, mirum videri non debet, ſi de

de vetuſtorum Codicum, & rariorum quorumdam Librorum typis excuſorum penuria conquerantur Epiſtolarum harum Scriptores, & ſtudiis ſuis opem ex Italia implorare coacti ſint. Habes igitur memorabilia Bibliothecarum Petri Francii pag. 106. Marquardi Gudii pag. 316. Nicolai Heinſii pag. 17. 173. 175. 183. 230. & 296. Henr. vander Hem. pag. 174. & 176. Corn. Mylii pag. 172. & 174. Corn. Nicolai pag. 67. Iſaaci Voſſii pag. 17. & 23. MSSrum inſignium pag. 107. Collegii Soc. Ieſu Antuerpienſis pag. 121. Extra Belgium vero Biblioth. Regis Sveciae pag. 267. Chriſtinae Sveciae Reginae pag. 208. & 211. Oberti Giphanii pag. 251. ut praeteram Florentinas Mediceo-Laurentianam, Palatinam, Magliabechianam, Strozzianam, Gaddianam, Caroli Dati, Andr. Cavalcantii &c. per quas Belgae plurimum in ſtudiis ſeſe profeciſſe candide fatentur.

IV. Commodis Litterariis accenſeri debent Officinae Typographicae, quarum plurimas & ſplendidiſſimas per univerſum Belgium Foederatum ſparſas fuiſſe, & in quibus, vel adverſo Belli tempore, plurimos optimoſque Libros excuſos fuiſſe

ſe conſtabit. Praecipuae in his Blavianae conflagratio deſcribitur pag. 164.

V. Biographia Litteraria mirum quantum ex hiſce Epiſtolis amplificari & illuſtrari poteſt! Luculenta ſiquidem teſtimonia comprehendunt ingenii, morum, fortunae, munerum, eruditorum laborum, dierum emortualium &c. ſequentium Clarorum Virorum. Io. Ianſſonii ab Almeloveen pag. 100. & 139. P. Allixii pag. 129. B. Ambroſii Camaldulenſis pag. 6. Io. Ant. Aſtorii pag. 97. Ben. Bacchinii pag. 50. Barneſii pag. 122. Paulli Baudrii pag. 299. Baudrivii pag. 15. Laur. Begeri pag. 89. & 110. Io. Frid. Bergeri pag. 303. Emer. Bigotii pag. 156. 234. 265. & 267. D. de Bilderbech pag. 68. & 70. Franc. Blanchinii pag. 135. & 137. Andr. Boſii pag. 181. Guil. Bonjour pag. 50. 81. 83. & 91. Io. Braunii pag. 324. Henr. Brenkmanni pag. 146. & 353. Iani Broechuſii pag. 310. Iſm. Bullialdi pag. 254. Petri Burmanni pag. 139. 308. & 311. Io. Capellani pag. 170. & 280. Ruder. Cari pag. 125. Dantis Caſtilionaei pag. 276. Andr. Cavalcantii pag. 165. 170. 214. 251. 280. & 286. Franc. M. Ceſſinii, & Val. Chimentelli pag. 216. Criſtinae Svecorum Reginae pag. 193. 207.

214. 220. 229. & 251. Io. Clerici pag. 50. 98. & 117. Aug. Coltellinii pag. 216. Henr. Copeſii pag. 41. 42. 46. 48. 86. 93. 311. & 340. Alex. Cuninghamii pag. 318. Giſberti Cuperi variis in locis ſuarum Epiſtolarum : Ant. Van Dale pag. 43. Caroli Dati pag. 187. 191. & 197. Draekenburgii pag. 125. Iac. Drummondi pag. 307. Vander Duſſenii pag. 322. Io. Henr. Eggelingii pag. 17. & 44. Danielis Eremitae pag. 313. 320. & 323. Franc. Erminii pag. 216. Raph. Fabretti pag. 75. Tanaquili Fabri pag. 228. Vinc. Fabricii pag. 324. Oct. Falconerii pag. 260. & 300. Petri Fittoni pag. 225. Iuſti Fontaninii pag. 143. Io. Bapt. Freſcobaldii pag. 210. Raph. Du-Freſne pag. 207. Nic. & Iac. Gaddiorum pag. 215. Ant. Gallandi pag. 105. Guil. Goerei pag. 19. VVilh. Goeſii pag. 209. Iac. Golii pag. 228. 234. 247. 251. 253. 255. & 259. Io. Georgii Graevii tum ſparſim in eius Epiſt. tum praecipue pag. 83. 304. 323. 327. 329. 333. & 335. Theodori eius Filii pag. 299. 302. & 305. Vinc. Gravinae pag. 46. 310. & 327. Io. Frid. Gronovii pag. 185. 219. 222. 273. & 278. Iacobi eius Filii pag. 105. 169. 175. 177. 179. 180. 185. 279. 292. 308. & 336.

336. Io. Guidaccii pag. 216. Franc. Guyeti pag. 226. Io. Harduini pag. 136. Io. Heymanni pag. 312. & 319. Danielis Heinſii pag. 207. Nicolai eius Filii tum pluribus locis ſuarum Epiſtolarum, tum praecipue pag. 168. 184. 188. 191. 214. 217. 221. 230. 259. 263. 283. & 291. Lucae Holſtenii pag. 263. & 283. Henr. Houtini pag. 40. Vlr. Huberi pag. 308. Conſtantini Hugenii pag. 232. Chriſt. eius Filii pag. 232. 252. 253. 254. & 260. Conr. Ianningii pag. 121. & 122. Oligeri Iacobaei pag. 85. D. Kinshy pag. 68. Io. Koolii pag. 318. & 319, Lucae Langermanni pag. 199. 219. 229. 246. & 252. Guil. Langii pag. 256. Melch. Leidecheri pag. 22. & 40. Io. Lenſii pag. 67. Staniſl. Lubienii pag. 270. Io. Mabillonii pag. 9. Franc. Macedi pag. 179. Ferdinandi del Maeſtro pag. 196. Laur. Magalotti pag. 171. & 280. Proſp. Mandoſii pag. 86. & 87. Io. Phil. Marucellii pag. 196. 248. & 253. Io. Maſſonii pag. 131. & 145. Ant. Matthaei pag. 19. Mazzoykii pag. 299. Sam. Meelii pag. 316. Aeg. Menagii pag. 304. Marci Meibomii pag. 243. Minderſii pag. 297. Molmii pag. 311. Ducis Montauſerii pag. 302. Andr. Morelli pag. 105. Al. Mori pag. 217.

217. Morini pag. 29. Steph. le Moyne pag. 15. & 304. Lud. Ant. Muratorii pag. 45. 53. 56. & 239. Rudolphi Neocori pag. 52. & 126. Ger. Nood pag. 324. Henr. Card. Noriſii pag. 38. 83. & 100. Io. Pauli Nurrae pag. 132. 133. 139. & 141. God. Olearii pag. 45. & 101. Horatii Oricellarii pag. 170. & 280. Laur. Panciatichi pag. 272. & 276. Dan. Papebrochii pag. 121. & 122. Dom. Card. Paſſionei pag. 133. 137. & 139. Iac. Perizonii pag. 146. & 330. Sam. Pitiſci pag. 17. Iac. Puteani pag. 221. Caſſiani a Puteo pag. 212. & 227. Hadr. Relandi pag. 131. Iac. Renferdi pag. 47. 48. 135. & 137. Matth. de Roy pag. 322. Io. Rhodii pag. 214. & 261. Frid. Roſtgaardi pag. 317. Conr. Ruyschii pag. 189. Theod. Rychii pag. 15. 277. & 279. Ant. M. Salvinii pag. 351. Cl. Salmaſii pag. 13. & 177. Ioſ. Scaligeri pag. 177. Ratb. Schelii pag. 268. VVolf. de Schepliz pag. 303. & 306. Franc. Schoteni pag. 239. A. Schotti pag. 110. Io. Schultingii pag. 104. & 146. Sam. Sciaſſi pag. 333. Petri Scriverii pag. 238. Slegelii pag. 334. Moſis Solani pag. 48. Soulierii Ieſuitae pag. 122. Ezech. Spanhemii pag. 46. 65. 110. 116. 118. 258. 261.

261. & 266. Otth. Sperlingii pag. 100. & 107. Io. Strauchii pag. 199. Car. Strozzae pag. 213. 251. & 273. Nic. Strozzae pag. 216. VVilh. Erneſti Tentzelii pag. 62. Salom. de Til pag. 28. Iac. Tollii pag. 8. 21. 24. & 42. Phil. a Turre pag. 75. Valleſii pag. 334. Virginii Valſechii pag. 141. Io. Vercovy pag. 299. Io. Vignoli pag. 112. Vinc. Viviani pag. 237. Nic. VVitſenii pag. 306. Herm. VVitſii pag. 22. 37. & 63. VVolſenii pag. 301. Iſ. Voſſii pag. 200. 207. 211. 213. 219. 223. 277. & 280. Adolphi Vorſtii pag. 239. Ger. de Vries pag. 41. Memorabilia haec ſtudioſis prodeſſe poterunt, non tantum ob detecta arcana quaedam Vitae Magnorum Virorum; ſed etiam ob Aphoriſmos Ethices Litterariae, qui in illis continentur, praeſertim vero pag. 95. 170. 177. 277. 313. & 330.

VI. Quoniam plures ex hiſce, aliisque Viris in omni doctrinae genere Claris, diuturnum laborem impenderunt in conſcribendis egregiis operibus, quibus poſteritatis bono, & nominis ſui famae conſulerent, variis autem cauſis impediti, vel inopina morte praeventi, abſolvere illa, & in vulgus proferre non valuerunt; opportunum eſſe cenſui Catalo-

gum

gum contexere ipſorum operum, & aliarum lucubrationum, quae dum Epiſtolae hae ſcriberentur, lucem nondum adſpexerant. Inde enim fieri poſſe ratus ſum, ut facile nonnulla quae in tenebris adhuc latent inveſtigari poſſint, ac florentiſſimo hocce ſaeculo in publicum commodum educi. Ea autem ſunt: Hieronymi Aleandri Opera varia pag. 99. Io. Janſſonii ab Almeloveen Faſti Conſulares pag. 101. B. Ambroſii Camaldulenſis Epiſtolae pag. 10. Ariſtidis Orationes pag. 153. Bened. Bacchinii de Viis Italiae pag. 314. Cl. Caſp. Bacheti D. de Mezeirac Commentaria in Apollodorum pag. 29. Franc. Card. Barberinii collectio Inſcriptionum Antiquarum pag. 228. Iac. de Barry Explicatio Numinorum Celtibericorum pag. 116. Caſp. Barthii Adverſaria pag. 260. & 302. Sam. Bocharti Epiſt. de Hippolyto de Antichriſto pag. 314. Guil. Bonjourii Epiſtolae pag. 112. Borellii Itinerarium Antarcticum, & Animadverſiones in Marci Pauli Itinerarium pag. 243. & 247. Ludov. Camerarii Epiſtolae pag. 18. Io. Capellani Epiſtolae ad Nic. Heinſium pag. 250. Ruderici Cari veterum Hiſpaniae Deorum Manes pag. 125. & 127. Chevalerii Veteris Aevi reli-

liquiae pag. 37. Valerii Chimentellii Epiſtolae pag. 191. Io. Clerici opera varia pag. 117. Crameri vita Friderici Boruſſorum Regis Nummis explicata pag. 85. Cumberlandi Commentaria de Sanchoniathone pag. 74. Gisberti Cuperi collectio AntiquorumMonumentorum, & praecipue Inſcriptionum pag. 11. 15. 38. 43. & 93. Epiſtolae ad Aſtorium de Antiquitatibus variis pag. 97. Epiſtolae ad Ezech. Spanhemium item de Antiquitatibus variis pag. 28. & 46. ad Otth. Sperlingium pag. 66. ad Iuſtum Fontanininum, & ad Io. Vignolium pag. 115. & 119. ad Alex. Cuninghamum pag. 120. ad P. Marc. Corradinum pag. 123. ad Henr. Nevvton pag. 127. ad God. Guil. Leibnitium pag. 129. ad Io. Paulum Nurram pag. 135. ad Franc. Ficoronum pag. 136. ad Franc. Blanchinum pag. 137. ad Bern. Montfauconium pag. 138. ad Virg. Valſechium pag. 141. ad Henr. Benkmannum pag. 144. ad Ant. Mar. Salvinum pag. 145. &c. Caroli Dati Adnotata in Plinii Hiſt. Natur. variis locis Epiſtolarum Heinſii ad illum. Io. Bapt. Donii Collectio Antiquarum Inſcriptionum pag. 228. Elichmani Schedae pag. 228. & 233. Danielis Eremitae Opuſcula pag. 313. 314. 320. 323. & 325.

& 325. Raph. Fabretti deſcriptio Agri Romani pag. 326. Appendix ad Collectionem ſuam Inſcriptionum Antiquarum pag. 331. Petri Fittoni Catalogus Antiquorum Numiſmatum Magni Ducis Etruriae pag. 223. & 225. M. Ant. Flaminii Epiſtolae pag. 321. Pagani Gaudentii Epiſtolae ad Carolum Datum pag. 191. Oberti Giphanii Adnotata in Ovidium pag. 251. & 258. Iac. Golii latina interpretatio Conicorum Appollonii Arabicorum pag. 234. 235. & 236. Io. Geor. Graevii Collectio Inſcriptionum Antiquarum pag. 308. Epiſtolae ad Raph. Fabrettum, ad Ioſ. Vallettam alioſque Amicos ſcriptae, variis locis. Hugonis Grotii Epiſtolae pag. 9. & 18. Marquardi Gudii Opera varia pag. 16. Inſcriptionum Antiq. Collectio pag. 117. Nic. Gurtleri nova Hiſtoria Vniverſalis pag. 114. Dan. Heinſii Epiſtolae pag. 18. Nicolai Heinſii Epiſtolae ad Car. Datum pag. 191. ad alios Amicos, nempe Caſſianum, & Car. Ant. a Puteo, Ducem Salviatum, Ferdin. del Maeſtro, Emer. Bigotium, Oct. Falconerium &c. variis locis. Notae in Silium Italicum pag. 125. Ianſeniſtarum Opera varia pag. 22. Lucae Langermanni Epiſtolae ad Nic. Heinſium, & Io. Georg. Grae-

vium, variis locis, Latini Latinii Animadverſiones in Ciceronem pag. 300. Epiſtolae pag. 321. Lloydii Commentaria in Apocalypſin & Danielem, & Theſaurus Chronologicus pag. 74. Edm. Ludlou tertius Tomus Rerum ſub Cromvvelio geſtarum pag. 74. Caroli Marini Epiſtolae pag. 18. Io. Meurſii opera varia pag. 173. 241. & 267. Io. Miltoni Epiſtolae pag. 191. Caroli Moroni Collectio Antiquarum Inſcriptionum pag. 266. Steph. le Moyne adnotata in Ioſephum pag. 15. Laur. Normanni opera varia pag. 18. Doctorum Virorum ad Peireſchium Epiſtolae pag. 327. Iac. Perizonii Origines Aſſyriacae pag. 146. Io. Pricaei comment. in III. priores Libros Epiſtolarum Plinii pag. 164. Caſſiani Putei, & Io. Rhodii Epiſtolae ad Carolum Datum pag. 191. Iac. Rhenferdii explicatio Inſcriptionis Palmyrenae pag. 135. & 137. Iani Rutgerſii Epiſtolae pag. 18. Theod. Rycquii Curae poſtumae pag. 15. Cl. Salmaſii Commentarius de Re Militari Romanorum pag. 13. & 196. Exercitationum Plinianarum Tomus III. pag. 293. Sanderi Bibliotheca Belgica pag. 168. & 175. Ratboldi Schelii Commentariorum de Re Militari Romanorum pars altera

pag.

pag. 241. & 268. Em. a Schelſtrate Antiquitatum Eccleſiaſticarum Tomi poſteriores pag. 38. Ezech. Spanhemii Diſſertatio de Aſiarchis & Neocoris pag. 47. Otth. Sperlingii Illuſtratio Nummorum Hiſpanicorum, & Literarum Runicarum pag. 107. Epiſtolae pag. 85. Equitis Templii Epiſtolae pag. 74. Roberti Titii Loci Controverſi pag. 300. 303. & 316. Iac. Tollii Inſignium Itinerarii Italici pars altera pag. 43. Io. Chriſt. VVagenſeilii Diſſert. de Magiſteriali Cantu, de Druydibus &c. pag. 43. Petri Victorii Epiſtolae pag. 321. Franc. Vietae Harmonicon Coeleſte pag. 263. Nic. VVitſenii Deſcriptio Tartariae Aſiaticae pag. 306. Iſaaci Voſſii de Vitiis Sermonis Tomi duo poſteriores pag. 243. Epiſtolae pag. 19. Samuelis de Vries Dictionarium Hiſtoricum & Geographicum pag. 118.

VII. Plura in hiſce Epiſtolis continentur iudicia de libris per ea tempora editis, quae plerumque ingenua ſunt, & Auctorum vel merita, vel lapſus candide demonſtrant. Praecipua ſunt: de Barneſii Anacreonte Chriſtiano pag. 128. de Eduardi Biſſaeî editione Anonymi de Brachmanibus pag. 10. de Petri Burmanni editione Petronii pag. 139. eiusdem

Oratione de Expeditione Britannica anni 1706. pag. 123. de Clementis XI. Pont. Max. Homiliis pag. 84. & 103. de Gisb. Cuperi Elephante Numiſmatico pag. 79. de Libro cui titulus: l' Epion dans les Cours des Princes Chretiens &c. pag. 55. & 59. de Io. Andr. Fabricii Bibliotheca Graeca pag. 113. de Iuſti Fontanini Antiquitatibus Hortae pag. 138. de Iac. Gronovii, & Iac. Perizonii controverſia ſuper caſu & pernicie Iudae pag. 104. de Io. Harduini & Georg. de Ballonfaux Epiſtolis mutuis pag. 79. de Harduini Diſſ. de Nummis Herodiadum, ac de Paſchate pag. 31. & 33. de eiusdem operum nova editione Amſtelod. pag. 136. de Hottingeri Bibliothecario pag. 287. de Chriſt. Hugenii Libro de Terris Coeleſtibus pag. 65. eius Syſtemate Saturnio pag. 250. de Kuhii Animadverſionibus in Pollucem pag. 336. de VV. Latii editione Plinii pag. 249. de Io. Laur. Luccheſinii demonſtrata impiorum inſania pag. 12. de Millii editione Novi Teſtamenti pag. 133. de Maſſonii Anno Solari antiquo pag. 145. de Bern. Montfauconii Diario Italico pag. 88. de Ludov. Ant. Muratorii Adnotationibus in D. Paulini Carmina pag. 45. 53. 56. 59. 65.

65. 68. & 340. de Io. Pauli Nurrae explicatione Adagii Tinctura Sardiniaca pag. 137. de Marci Pauli Veneti Itinerario pag. 248. de Pedruſii Numiſmatibus Muſei Farneſiani pag. 84. de Fragmento Petronii Traguriano pag. 29. & 125. de Pighii Annalibus Romanis pag. 245. de Prideauxii Vita Mohamedis pag. 126. de Bernardi Ramazini libro de Morbis Artificum pag. 87. de Alberti Rubenii Diſſertatione de Re veſtiaria pag. 277. de Rubdechii Atlanticis pag. 11. de Gul. Scherlokii Opuſculis Aſceticis pag. 45. de Io. Schultingii Diſſ. de Iuriſprudentia Ciceronis pag. 104. de Henr. Sikii Vita Mohammedis pag. 126. de Petri Texelii Phoenice viſo & audito pag. 92. de Vinc. Viviani Notis in Apollonii Conica pag. 237. & 239. de Iſaaci Voſſii diſſertatione de Luce pag. 267. tandem de Auctore Hiſtoriae de Brachmanibus S. Ambroſio Mediolanenſi adſcriptae pag. 10.

VIII. Quoniam Belgae Eruditi praecipuam tunc temporis curam impenderunt in Veteribus Scriptoribus emaculandis & explanandis, ac propterea in hiſce Epiſtolis plurimi recenſentur Antiqui & optimi codices in diverſis Bibliothecis latitantes; facturum me operae pretium

putavi, ſi Veterum Auctorum nomina ſubiungerem, vel quorum exemplaria indicantur, vel in quibus illuſtrandis deſudatum a quopiam eſt. Hinc fiet ut & Codices illi facilius ab interitu poſſint vindicari, & ſi quis talem ſpartam velit rurſus ornare, ſciat unde ſibi quaerenda erunt praeſidia. Sunt igitur. Aelianus pag. 263. S. Ambroſius Mediolanenſis Archiep. pag. 10. Apollodorus pag. 29. Aratea Germanici pag. 247. Ariſtidis Orationum Scholiaſtes pag. 153. Arrianus pag. 336. Auſonius pag. 158. Catalectorum ſcriptores pag. 160. 164. & 247. Catullus, Tibullus, & Propertius pag. 157. 159. 229. 246. & 257. Cicero pag. 166. Columella pag. 292. & 296. Homerus pag. 128. Hyginus pag. 164. Ioſephus pag. 15. Iuriſconſulti Veteres pag. 146. Lactantius pag. 21. Lucanus pag. 158. & 262. Lucretius pag. 158. Manetho pag. 336. Martialis pag. 158. 230. & 258. Ovidius pag. 159. 163. 178. 213 215. 226. 229. 240. 246. 251. 258. & 289. S. Paulinus pag. 340. Petronius pag. 287. 171. & 173. C. Plinius Secundus 237. 241. 244. 247. 249. & 264. Pollux pag. 336. Prudentius pag. 170. Ptolemaeus pag. 146. Pythagoreorum Fragmenta Arabi-

bi-

bica pag. 228. 233. 234. 239. 247. 253. 255. & 259 Seneca Tragoedus pag. 158. Servius pag. 7. Silius Ital. pag. 162. 240. 246. & 258. Socrates, & Sozomenus pag. 179. Statius pag. 157. & 163. Syneſius pag. 316. Valerius Flaccus pag. 159. 161. 240. 246. & 257. Virgilius pag. 269. Vrbicii Tactica pag. 242. 247. & 252.

IX. Antiquitatum Studioſi reperient in hiſce Epiſtolis varia; quae ipſos oblectare non mediocriter poſſint. I. quidem pag. 114. cognoſcent Antiquorum Monumentorum ſtudium brevi ſeſe per magnam Europae partem diffudiſſe. II. reperient elegantiſſimam Diſſertationem de Deo Invicto, & de Sacris Mithriacis pag. 341. III. Eruditas legent obſervationes de quibusdam Collegiis, & Magiſtratibus Vrbium Graecarum pag. 353. de Philipporum Imperatorum Chriſtianiſmo pag. 66. de additionibus ad Faſtos Conſulares pag. 101. de Icuncula Smetiana Harpocrates credita pag. 105. IV. Invenient teſtimonia veteris Sepulchri in Via Flaminia detecti pag. 173. Monumentorum effoſſorum apud Tungros & Leodienſes pag. 60. Antiquae Lancis, vel Diſci in ſepulchro apud Siberios reperti pag. 100. Palmyrae Vrbis ruinarum pag.

37. V. Ii quibus Muſae Lapidariae cordi ſunt, habebunt Graecas quasdam Inſcriptiones editas pag. 354. & 355. notitiam vero aliarum detectarum Smyrnae pag. 8. 26. 37. & 91. Magneſiae ad Maeandrum pag. 355. Mileti pag. 26. Palmyrae pag. 37. 135. & 137. & in aliis Orientis locis pag 91. VI. Nummariae ſtudioſi invenient adnotata de Nummis a variis Syriae Vrbibus percuſſis, & de Nummis Gabaleorum pag. 37. de Nummis Hiſpaniae ante Auguſtum, & ſub Auguſto ſignatis, ac ab Iac. de Barry collectis pag. 116. & 117. de Nummo argenteo Auguſti cum Inſcriptione ASIA RECEP. pag. 80. de Nummis exhibentibus Icones veterum Imperatorum Graecorum pag. 72. de Thimothei numiſmate pag. 73. de Xenophontis Imagine pag. 102. VII. Antiquitatum Etruſcarum amantes mentionem invenient Collectionis earum Antiquitatum pag. 143. Deſcriptionem Gemmae Etruſcae Ibid. Obſervationes de Perſarum, & Etruſcorum veterum ſcalpendi peritia, deque vero tempore Antiquitatum Etruſcarum pag. 142. tandem obſervationes de Etruſcorum Lingua & Litteris pag. 100. & 142. VIII. Antiquitatum Septentrionali-

um

um ſtudioſi reperient obſervationes de Litteris Runicis pag. 100. & 108. & de Litteris Gothicis veris pag. 100. IX. Nummophylacia aliquot in hiſce Epiſtolis enumerantur, quorum aliqua ſuperſunt adhucdum, & magno Eruditis praeſidio ſunt. Vt praeteream ſplendidiſſimam Gazzam Nummariam Magnorum Etruriae Ducum pluribus in locis iure meritoque laudatam; indicantur ſubinde Cimeliarchia, & Nummophylacia Collegii Ieſuitarum Antuerpienſis pag. 121. Chriſtinae Svecorum Reginae pag. 208. Comitis de Pembrok in Anglia pag. 120. Franc. Card. Barberinii; Caroli Ant. a Puteo; & Marchionis Carpii Romae pag. 285. 375. & 86. Comitis Tanarae; Canonici de Monte; & Ioſ. Magnavaccae Bononiae pag. 86.

X. Phyſico-Mathematicis, & Aſtronomis non ingrata erunt quae adnotantur de Inventione Meridiani pag. 153. de Horologii Oſcillatorii inventore pag. 235. de Chriſtiani Hugenii Tubis Opticis pag. 236. de Euſtachii Divini Microſcopiis pag. 243. de Novarum Terrarum deteſtione pag. 272. & 273.

XI. Hiſtoriae Naturalis amantes invenient deſcriptionem Phaenomeni miran-

randi in Comitatu Meuſſano pag. 88. atrocis tempeſtatis in Mari Hollandico pag. 93. Hiſtoriam Hominis abſque pedibus & manibus nati, qui tamen inter cetera elegantiſſime ſcribere poterat pag. 108. & 111.

XII. Ad Phyſicam curioſam, & Technicen referri poſſunt, obſervatio de inventione Pulveris Pyrii pag. 148. & adnotata de variis machinis excogitatis pag. 154.

XIII. Ad Hiſtoriam Civilem praeter cetera ſpectant, Diſſertatio Caeremoniarum, quibus Chriſtina Svecorum Regina ſe Regno abdicavit pag. 203. Hiſtoria mortis inclytae Petri Heinii, Cornelii Trompii, & bellicae virtutis Hemſckerkii Hollandiae Archithalaſſorum pag. 200.

XIV. Ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam illuſtrandam plura indicari poſſent loca; ſed ne Lectorum patientia nimium abuterer, ſatius eſſe cenſui illa praeterire.

Dum pro conſtruenda praecedenti Synopſide rerum memorabilium, volumen hocce percurrerem, non ſine indignatione animadverti menda aliquot me invito irrepſiſſe. Vt Typographica praeteream, de quibus facile ab Aequis

Le-

Lectoribus veniam impetraturum me confido; praecipuum illud eſt, quod Io. Georg. Graevium inter Scriptores in Belgio natos collocaverim, cum ille revera Naumburgi non ignobili Saxoniae Oppido ad Salam natus ſit. Errori huic anſam praebuit ipſemet Graevius, qui in ſuorum operum inſcriptionibus patriae nomen reticet, & Trajectinum ſe credi quodadmodo velle videtur. Scrupulum ſero iniecit mihi eius Epiſtola V. pag. 303. qua Io. Frid. Berger civem ſuum appellat: volumine tandem ad exitum properante, iamque Typographi programmate publicato, ſphalma detexit Petrus Burmannus in Funebri Graevii Laudatione; ſic ut emendationi nulla amplius pateret via. Non magnum tamen inde vitium Syllogi huic obventurum vereor, praeſertim quum Graevius maiorem vitae partem in Belgio traxerit Academicis muneribus decoratus, & in hiſce Epiſtolis de Belgica Litteratura potiſſimum agat. Ne ſimiles errores in poſterum admittam, ſedule cavebo; quamvis difficile admodum ſit nonnullorum Scriptorum patriam detegere, eorum praeſertim qui nulla ingenii ſui monumenta typis edidere, vel quorum vitam nemo

de-

deſcripſit; quumque ſatis ocii mihi non detur ad id perſcrutandum in tanto Librorum Magliabechianorum acervo.

Praeterea animadverti pluribus adhuc adnotationibus varia Epiſtolarum iſtarum loca illuſtrari potuiſſe, quae mihi properanti in manus non incidere. Paucae etenim quas ſubinde appoſui, inter emendandos typos, & horis ſubſecivis plerumque natae ſunt, corpore a Clinicae inamoenis laboribus, animoque a variis lucubrationibus fatigato. Statui ergo quaecumque opportuna ad illuſtrationem ipſarum Epiſtolarum deinceps ſuccurrent, vel in inſequentibus tomis collocare, vel in commentarios referre, ut prodeſſe poſſint ſi altera Sylloges huius editio adornanda aliquando ſit. Caeterum Epiſtolarum ſenſus per ſe ſatis apertus eſt; praeſertim ex omnium contextu: nonnullas enim conſulto edidi, ut inſequentium explanationi inſerviant, licet ſeorſim ſumptae non admodum notabiles videri poſſint.

Sero item cognovi valde proficuum futurum fore, ſi Scriptorum ſingulorum Epiſtolis aliqua praefigerem ipſorum vitae memorabilia, ex quibus contenta in Epiſtolis facilius poſſint intelligi. Ut igi-

tur

tur quod in Tomo hoc omiſi, breviter ſuppleam, indicare ſufficiat Gisberti Cuperi Elogium haberi in T. II. Hiſtoriae Academiae Regiae Pariſienſis Inſcriptionum, & Bonarum Artium: de Nicolao Heinſio, praeter vitam quam ſe conſcripſiſſe aſſerit Graevius pag. 291. quamque nondum vidi, plura haberi apud Foppenium in Bibliotheca Belgica, & Petrum Burmannum in Praefatione ad Syllogen ſuam Epiſtolarum a Viris Illuſtribus ſcriptarum: Tandem Io. Georgii Graevii Funebrem Laudationem edidiſſe eumdem Petrum Burmannum, Traiecti ad Rhenum 1703. in 4.

Haec praefari, Candidi Lectores, neceſſe habui, voſque enixe rogare, ut conatus hoſce meos aequi bonique conſulere non gravemini; quod ſi a vobis benigne impetravero, ſtimulos mihi ad laborem addi ſentiam, & fortaſſe aliquid aliud, non ex alieno tantum penu, ſed e privato etiam vobis offerre audebo. Valete.

CA-

II. Nicolai HEINSII Danielis Filii Viri Erudituſs, Chriſtinae Svecorum & Vandalorum Reginae a ſtudiis, deinde pro Foederatis Belgii Ordinibus in Aula Svecica Reſidentis, tandem Reip. Amſtelodamenſis a Secretis.

X. Ad Ant. Magliabechium pag. 155.
XXVIII. Ad Carolum Datum Patric. Fl. Litterarum Humaniorum in Patrio Lycaeo Prof. P. & Io. Caroli Card. Medicei a Bibliotheca. pag. 193.
I. Ad Caſſianum a Puteo D. Stephani Equitem. pag: 203.
I. Lucam Holſtenium Hamburgenſem Bibliothecae Vaticanae Cuſtodem. pag. 283.
I. Ad Andr. Cavalcantium Patric. Flor. pag. 289.

III. Io. Georgii GRAEVII Viri Doctiſs. Magnae Britanniae Regis Hiſtorici, Politices, Hiſtoriarum, & Eloquentiae Prof. Ordinarii Traiecti ad Rhenum.

XVI. Ad Ant. Magliabechium. pag. 291.

II. Ad

II. Ad Iac. Gronovium Io. Frid. Fil. Graecae olim Linguae & Humaniorum Litterarum in Piſano, deinde vero in Lugduno-Batavo Lycaeo Prof. Pub. pag. 334.

GISBERTI CVPERI
EPISTOLAE
AD ANT. MAGLIABECHIVM

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EPISTOLA I.

Illuſtriſſimo & Praeſtantiſſimo Viro
ANTONIO MAGLIABEQVIO
S. P. D.
GISBERTVS CVPERVS.

QVAS elapſi anni Kalendis Decembris commiſi curae praeſtantiſſimi *Gronovii* literas, recte curatas eſse, atque ex iis Te intellexiſse conſilium meum in explicanda *Homeri Apotheoſi*, necnon totius operis bre-

viarium, quaſi in tabella, oculis Tuis expoſitum fuiſse credo, Illuſtris Magliabequi. Nunc promiſſum eodem tempore ecce Tibi novarum Obſervationum σωμάτων, vel variarum rerum breve corpuſculum; quod ſi punctum Tuum fert, erit non modo, quod ſerio laeter, ſed & quod gaudio triumphem. Eſt enim aliquid laudari a laudatiſsimo Viro, & illi Operas ſuas probare, qui omnem animo doctrinam, atque hiſtoriam antiquam complexus eſt. Lege igitur, & quod commodo fiat, cognoſce, num dignam otii mei, quod faciendum eſſe male olim negabat Galba, rationem reddam. Quid doctiſsimus Vir *Octavius Ferrarius* agat, & num in illuſtranda *Re Veſtiaria ſit*, aveo vehementer ſcire; ut & num opuſcula in Muſis lapidariis a *Ioanne Baptiſta Ferretio* promiſsa, praecipueque *De antiquis Collegiis, & Sodaliciis* exierint. Vale plurimum, Vir praeſtantiſsime.

Davent. ad v. Kal. Martii 1678.

EPISTOLA II.

Acceptiſsimae mihi fuerunt literae, quas ſexto, & vigeſimo Auguſti proximi die ad me dediſti; & ſumma ex iis cum voluptate perſpexi, Te Vir Illuſtris, memoriam mei ſervare. *Apotheoſin Homeri* (1) lu-

a Diſſertationem nempe, quam typis evulgavit hoc titulo: *Apotheoſis, vel conſecratio Homeri*. *Amſtel. per Henricum Boom* 1683. *in* 4.

lucem aſpexiſse publicam, doleo Te primos docuiſse *Lipſienſes Eruditos*, nihilque aliud ſperaveram, quam illum nuntium ab ipſo opere allatum iri, cum calendis Septembr. anni elapſi ad Te, Illuſtr. Abbatem *Fabretti*, & eruditiſs. Virum *Henr. Noris* exemplaria ſingula miſerim. Neſcio profecto, quid a mala illis obiectum manu, aut quam ſaevam fortunam experta ſint. *Bomiam* bibliopolam Amſtelodamenſem rogavi, ut mitteret παράσημον navis & nomen gubernatoris, cui eruditas merces credidit, ſed necdum ab ipſo reſponſum tuli; utque nihilominus ad Te ſcribam facit iter, quod ad Tranſiſalanos paro, & metus, ne nimia procraſtinatione viderer velle effundere amicitiam viri, cuius virtus apud me ſummo loco eſt. Nomen Tuum curis meis ingens ornamentum eſt, & veluti purpura pannis adſuta; peccaſsemque certe in humanitatis leges, ſi ſilentio involviſsem Tuam erga me ſingularem voluntatem. Obſervatio doctiſſimi *Gulielmini*, cuius frontem nomen Tuum illuſtrat, placet valde ſtudium illud aemulantibus. *Puffendorfii a Svecorum Regibus res fortiter geſtae* typis deſcribuntur Traiecti ad Rhenum; & *Graevius* adornat editionem variorum *Meurſii* opuſculorum ἀνεκδότων, quae *Puffendorfius* ſecum attulit, quibus fortaſse ego iungam *Piraeeum*, & *Regnum Laconicum*, quae a *Meurſio* pariter compoſita in Bibliotheca mea ſervantur. Vulgata hic ſunt *P. Merulae* Opera poſthuma *De Sacrificiis, Sacerdotibus, Legibus, Comitiis, & Praemiis militaribus Romanorum*,

A 2 &

& *Iſaaci Voſſii* in *Catullum* notae. Vale plurimum. Hagae C. ad x. Cal. Nov. 1684.

EPISTOLA III.

Binas, quas ad me 14. Auguſti, & 16. Septembris menſium diebus dediſti litteras, recepi, Vir Illuſtriſsime. Priores me exhilararunt valde, quia mihi perſuadebam exemplaria *Apotheoſeos* meae, quae Tibi, *Raphaeli Fabretto*, & *Henrico Noris* miſeram e latebris extracta iri; ſed poſteriores omne hoc gaudium abſtulerunt, & haud vulgari me perfuderunt triſtitia, quia ex iis perſpexi ſpe me vana deluſum eſse, & quod caput rei eſt, Te in ſequiorem partem accipere, quod ſcripſerim *Blavium Bomio* dixiſse, ſeſe Genuam miſiſse exemplaria, & credere illa iam ad Magliabecquum perlata eſse. Nunquam certe ego aſseveravi, nec aſseverare potui haec iam facta eſse; neque etiam *Blavius* tale quid ſignificavit; verum affirmavit ad Genuenſem Bibliopolam ſeſe libros miſiſse, & ſeſe arbitrari, eum illos ad Te, Vir Eximie, curaſse diligenter; ex quibus, ut facili perſpicis opera, nequaquam ſequitur, Blavium, vel me affirmare Te iam exemplaria recepiſse. Abſit, abſit, ut de fide Magliabecquii, quo candidiorem vix animam novi, dubitem, Teque etiam atque etiam rogo, ne tale quid de me ſuſpiceris unquam, qui cum aliis multis virtutes Tuas unice perſpectas habeo. Non tantum autem doleo,

leo exemplaria deperdita eſse, verum etiam litteras, quas ad Te, ad *Raphaelem Fabrettum*, & ad *Henr. Noris*, ſimul dederam, quibusque teſtatus fueram, quo numero apud me forent tantorum ingeniorum merita. Ultimam epiſtolam meam Te accepiſse gaudeo, & ſpero alteram ad *Raphaelem Fabrettum* perlatam eſse, quem de variis Antiquitatibus conſulebam. *Graevius* merito Te in praefatione *Epiſtolarum Ciceronis ad Atticum* laudat. Eruditiſsimum *Mabillonium*, cuius libros omnes ſingulari cum alacritate evolvere ſoleo, laetor in Italia eſſe, & licet praeclara ibi floreant ingenia, ſpero tamen Virum praeſtantiſsimum inventurum, quae cum blattis & tineis rem habent & quae ut aſpiciant lucem publicam digna ſunt. Ad D. *Blavium* litteras tuas miſi, ſed necdum reſponſum tuli. Quae nunciaſti edita eſse, vel edi a Viris praeſtantiſs. *Patino*, *Ciampini*, *Bartolocci*, *Laur. Craſso*, aliisque, ut & opuſculum *Franciſci Vanni* (1) mihi perplacuerunt.

Ex Galliis huc allata ſunt *Miſcellanea eruditae antiquitatis Iacobi Sponii*, quae variis monumentis referta ſunt. Ex Svecia *Georgbii Stiernbielmi Anticluverius de Gentis Gothicae origine*. Vale plurimum. Daventriae die 23. Octobr. 1685.

1 *Io: Franc. Vannii Specimen Libri de momentis Gravium &c.* Romae 1684. in 4.

EPISTOLA IV.

Anglus, cui *Ambroſii Camaldulenſis Hodoeporicon* (1) tradideras, mihi illud bona reddidit fide, & inde, aliiſque ante rebus perſpexi virum illum Graecis Latiniſque litteris, rarum eo ſaeculo decus, diligenter imbutum fuiſse. Quem ſecundis curis ornatiorem reddere conatus fui *Harpocratem* (2), eum ecce Tibi una cum *Monumentis antiquis* ineditis: Si prior editio Tibi probata eſt, certus ſum hanc placituram valde, Teque aliqua cum voluptate percepturum, varias antiquitates ſi non feliciſſime, attamen interpretatas eſſe. Mitto autem hanc dono Tibi, ut certo argumento cognoſcas, me plurimi facere ſtudium tuum indefeſſum Remp. Literariam iuvandi, meque ſemper promptum & paratum eſse ad amicitiam Tecum magis magiſque excolendam. Vale. Hagae Com. ad VI. id. Mart. 1687.

EPI.

1 *Beati Ambroſii Abbatis Generalis Camaldulenſis Hodoeporicon a Nicolao Bartholini Bargenſi C. R. Congregationis Matris Dei publicae luci aſſertum ex Biblioth. Medicea. Florentiae, ac Lucae apud Mareſcandalos fratres in* 4.

2 *Gisberti Cuperi Harpocrates, & alia Monumenta antiqua. Accedit Stephani le Moyne Epiſtola de Melanophoris. Traiecti per Franciſcum Halma* 1687. *in* 4. Harpocrates prodierat primum *Amſterodami* 1676. *in* 8.

EPISTOLA V.

IAcobus Tollius me certiorem fecit, Te, Vir Eximie, de negligentia mea quaeri, & dolere ſeſquianno nullas Te a me litteras vidiſſe. Magna cum voluptate certe hinc perſpicio Te mei memoriam ſervare; ſed culpae proximum non eſſe, vel Te iudice contendere paratus ſum. Litteras tuas ultimas recepi menſe Maio Anni 1686. illis idibus Iunii ſequentibus reſpondi; cumque inſtar Sigalionis AEgyptii tacere Tibi viſum fuerit, putabam Magliabequium vel humanis, praefiſcine dixerim, ereptum eſſe rebus, vel gravioribus negotiis occupatum non poſſe amplius exercere dulce literarum commercium. Grave hoc mihi accidebat valde, cum quia, ſi quis alius, cum viris praeſtantibus amicitiam colere ſtudeo, tum quia rogabam, ut inſpicere *Servii* manu exaratos Codices, qui proculdubio complures ſunt in Sereniſſimi Ducis Bibliotheca, & me certiorem facere velles, quomodo haec Servii verba ad Lib. 8. AEn. extremum, *per Sitellam, quam ſiniſtra manu retinet, oſtendit adfluentiam omnium lacunarum*, in iis leguntur. Inde menſe Martio huius anni alias litteras miſi iiſque comitem dedi *Harpocratem* meum quem arbitror te recepturum propediem, vel nunc recepiſse a Viro egregio, qui Belgarum Foederatorum commerciis impoſitus eſt Liburni, ad quem illud, ut & alia exemplaria eruditis nonnul-

lis Italis deſtinata defert navis bellica; quique non modo has curabit, verum etiam, qui me certiorem fecit, litteras, quas miſeram An. 1686. recte curatas eſse. Vides, Ill. Magliabequi, me nulla ratione merito culpari poſse, neque etiam Te accuſare animus eſt, quia reſpondiſti forte, & litterae illae interceptae, vel male curatae ſunt. *Iacobum Tollium* Te amplecti, maxima cum voluptate ex ipſo intellexi; dignus ille certe, & Tua, & aliorum praeſtantium virorum amicitia eſt, cum ingenio valet, tum quia id cogitat unice, ut ſe ipſe, & alios editis Auctoribus *ἀνεκδότοις* reddat eruditiores. Rem quapropter mihi facies gratiſsimam, ſi Viri praeclari conatus adiuvare, ut facis, perſeveres; ſique ipſi Romae, & in urbibus quas luſtrabit amicos conciliare velis, ut ea via viſere queat, quicquid pulchrum, & eximium in Cimeliis & Bibliothecis ſervatur.

Lactantius de Mortibus Perſequutorum editur Traiecti ad Rhenum, notaeque meae erunt quatuor partes minimum auctiores; qua de re pluribus ad *Tollium* ſcribo.

Smyrna ad me miſſae ſunt variae Inſcriptiones ineditae; ſi otii mihi publicis negotiis occupatiſsimo quid reliquum eſt, eas edere anno proximo, & illuſtrare res praeclaras, quae illis continentur conſtitui.

Cicero de Officiis cum Graevii notis abſolutus eſt; ſed tamen nondum venditur.

Octo Sperlingius explicavit eleganter, & erudite rariſsimum *Furiae Sabinae Tranquillinae Aug. nummum*.

Fri-

Friderici Spanhemii ſecunda pars Hiſtoriae Eccleſiaſticae prodiit Lugduni Batavorum, & ex Galliis ad nos adlatum eſt *Mabillonii Iter Italicum*.

Grotii Epiſtolas uno volumine editas Amſtelodami, vidiſti proculdubio; ſed accipies aliqua cum voluptate, ut opinor, *Sam Puffendorfium* ſervare parile volumen Epiſtolarum quae nondum editae ſunt. Vale plurimum. Hagae. Com. 23. Dec. 1687.

Litteras quaeſo *Tollio* cures reddendas.

EPISTOLA VI.

Ut videas me amicitiam Tuam maximi facere; ecce litteris, quas ultimas Ianuario proximi anni dediſti reſpondeo, Vir Illuſtris. Ante id factum oportuit fateor; ſed negotia publica quibus circumvallor, mihi Arae, & precatoris loco apud Te, ut ſpero, erunt. Laetor autem valde *Harpocratem* meum Tibi redditum eſſe; eundemque, ut & ipſi iuncta Monumenta antiqua Tibi non diſplicere, ſumma cum voluptate intellexi. Ut vides, ſententiam meam modeſte aperui, illaque ſi Tibi aliiſque eruditis probatur, ſatis me magnum qualiſcumque operae meae praemium ferre arbitror; ſi vero ſunt, qui diverſa ſentiunt, haud equidem invideo; iiſque accedere promptus & paratus ſum, ſi meliora & certiora docere poſſunt. *Mabillonius* Vir eruditiſsimus & amicus Tuus merito mihi laudatus eſt: Prodit enim ille in ſinguiis, quos edidit libris in-

inſignem eruditionem; dignuſque eſt, qui vivus videnſque laudibus fruatur. *Ambroſii Camaldulenſis Epiſtolas* eundem editurum gaudeo (1), perſuaſuſque ſum nos varias illius ſaeculi res edoctos iri, quae caeteroquin tenebris pluſquam Cimmeriis obrutae iacerent. Fuit is certe utriuſque linguae perquam gnarus, & Te iudicem fero, an non ipſi, potius quam Ambroſio Eccleſiae Mediolanenſis Antiſtiti, adſcribenda ſit Hiſtoria de Brachmanibus, cui titulus eſt *S. Ambroſii tractatus; in quo loca, doctrinam, ac mores Brachmanorum deſcribit*. Ne dicam iam olim idem *Voſſium* adnotaſſe, multa ſunt, quae me id cenſere non ſuadeant, ſed iubeant; & ſi ipſum libellum inſpicies, patebit continuo meram eſſe verſionem *Palladii;* quod velim animadvertiſſet eruditus Anglus (2), qui ann 1668 Londini *Palladium*, *Ambroſium*, & *Anonymum de Brachmanibus* edidit. Sed ego γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας, ut vetus verbum eſt.

Nunc

1 Ampliſſimam & precioſam collectionem *Epiſtolarum B. Ambroſii Camaldulenſis* debemus ſedulitati Clarorum Virorum *Petri Cannetii*, & *Guidonis Grandii* Abbatum Camaldul. Ea vero propediem notis illuſtrata in lucem prodibit Florentiae Typis S R C. *Magliabechio* ſane praecipua egregii huius conatus laus debetur, qui *Cannetio* auctor fuit *Ambroſii* Epiſtolas elegantiſſimas e tenebris vindicandi, eique vetuſtum Codicem ipſarum Epiſtolarum in Bibliotheca ſua adſervatum deſcribendum praebuit.

2 *Edoardus Biſſaeus*.

Nunc accipe, qui his in locis ſcribendo prodeſſe Reip. Litterariae conantur.

Lactantius de Mortibus perſequutorum cum Baluzii, meis, Graevii, Columbi, Baudrivii, & aliorum notis integris, nitidiſsimis typis deſcriptus propediem lucem adſpiciet.

Adr. Hautyn I. C. Remp Batavam a Gentis initio uſque ad Comitum tempora illuſtravit.

Richardi Simonii Criticae in Novum Teſtamentum Liber I. Gallice prodiit, & binis, ni fallor, reliquis, manus admoverunt typographi.

Campegius Vitringa edidit *Sacrarum Obſervat. Libros II.* quorum prior nunc auctior erit; alter vero novus eſt, & *de Cultu Molochi* praecipue agit.

Petrus Keuchenius Adnotatorum in Novo Teſtamentum partem priorem.

Matth. Larroquanus Adverſaria Sacra; eiuſque filius *Daniel*, *Diatribam de Legione Fulminatrice*.

Ex Svecia expecto *Zamolxis Getarum, Legislatoris* vitam; & ſcripſit ad me amicus, multum eo in opuſculo antiquitates Septemptrionis ultimi illuſtrari; ſed vereor ne auctor exemplum *Rudbecquii*, qui in Atlanticis omnes Graecorum hiſtorias, Gentiliumque Deos patriae ſuae adſcribit, ſequatur.

Ego manus admovi variis Inſcriptionibus, & Monumentis antiquis, quorum poſt edita priora compos factus ſum; ſed teſtudineo res illa procedit gradu. Haec ſunt, quae Tecum communicare volui, & habeas rogo, perſuaſiſsimum, literas Tuas mihi

ſem-

ſemper venire acceptiſsimas. Vale. Hagae Com. 10. Febr. 1689.

EPISTOLA VII.

Litterae quas XXVII. Martii, & V. Aprilis diebus miſiſti humanitatis plenas, venerunt mihi acceptiſſimae, atque ex iis non abſque dulci ſenſuum titillatione cognovi, Tibi placuiſſe quae obiter de Auctore libri *de Brachmanibus* notaveram. Atheos, Theiſtas, Iudeos, Mahumetanos, & Ethnicos oppugnari a *Ioanne Laurentio* (1), bonum factum eſt, & ſpero eum id operae laturum praemium, ut qui Deum eſſe negant, & qui Numen aliquod regere mundum fatentur, ſed ſimul reliqua omnia Chriſtianae Religionis capita rident, argumentorum pondere coacti, ſeſe errare fateantur, & meliora diſcant. Nonnullas regiones talia

(1) *Ioannes Laurentius Lucchefinius* Lucenſis Soc. Iesu, qui Librum edidit Romae Typis Rev. Camerae Apoſt. Anno 1688. in 4. hoc titulo. *Demonſtrata Impiorum Inſania; ſive nova Copia, & ſeries centum evidentium ſignorum Verae Fidei oculis ſubiicientium veritatem Eccleſiae Romanae, Sacraeque Monarchiae Pontificis Maximi, argumentis pluſquam mille debellantium Schiſmaticos, & Haereticos, & aliis pluſquam ducentis evertentium directe, & ſigillatim Atheos, Theiſtas, Iudaeos, Mahometanos, Ethnicos manifeſtae dementiae redarguteſ.*

lia monſtra, & humani generis peſtes alere magno numero, fama ad nos tulit, eorumque in manibus eiuſmodi libri verſari poſſunt; cum contra fruſtra fere Iudaei, Mahumetani, & Ethnici oppugnentur; quippe qui, utpote Latinae Linguae ignari, talium librorum ne titulos quidem cognoſcere poſſunt.

Placuit mihi etiam horribilis Terremotus deſcriptio, ſed doleo tantis cladibus afflictam eſſe Sirenum domum, ut *Arbiter Petronius* appellabat olim, Neapolim.

Hiſpaniae Concilia edere *Ioſephum Saenz de Aguirre* laetor, egoque ex notitia, quam ille Salmanticae An. 1686. edidit, magnam eius operis ſpem concepi.

Qui hic vulgentur libri, proculdubio ex Eruditorum Ephemeridibus vel Actis, quae Amſtelodami, & Roterodami conſcribuntur, cognoſces; & ipſe facile perſuaderi poteris, frigere typographorum praela propter bella acerbiſſima, quae Galliarum Rex tota Europa movit.

Celare tamen Te non poſſum, Cl. *Salmaſium* Gallice librum *de Militia Romana* compoſuiſse, eumque a filio Viri Maximi patria ſua, crudeliſſima perſequutione eiecto mihi legendum traditum eſſe. Multa pater nos docet praeclara, & ſi Latina lingua fuiſſet uſus, iam typographi manus operi admoviſſent. Vale. Hagae Com. ad IV. Non. Iun. 1689.

Citius hanc a me tuliſſes Epiſtolam, niſi Deo viſum fuiſſet, cariſſimam uxorem meam florenti aetate rebus humanis ereptam Caelo reddere.

EPI-

EPISTOLA VIII.

EPiſtolam, quam ad me dediſti xv. Septembris elapſi die, nec non alteram cui comes erat *la Viſiera Alzata* (1) recepi, atque ex ſingulis magnam voluptatem cepi. Miſi foetum *Aphrodiſii Vintimigliae* Auguſtiniani poſthumum Amſtelodamum, non ad virum, qui componit *les Nouvelles de la Republ. des Lettres*, cuius conatus, & impetus refrigeſcit; ſed ad alium, qui auctor eſt eruditiſſimus *Bibliothecae Hiſtoricae*, quique eius nominis opuſcula ſingulis tribus menſibus luce publica donat, & ille libelli huius nominiſque tui mentionem facit Tom xv. pag 95.

Muſae fere hic ſilent inter arma, & Bellorum ſtrepitus; ſunt tamen nonnulla quae Te cum voluptate, imo etiam cum dolore percepturum perſuaſus ſum. *Stephanus le Moyne* Theologus haud infimae notae, uti ex variis eius ſcri-

(1) *f. Angelici Apoſti Vintimiliae* Liber quem mentito nomine edidit hoc titulo: *La Viſiera Alzata: Ecatoſte di Scrittori ſcoperti da Giampietro Iacopo Villani. Parma pel Vigna* 1689. 12 Mantiſſam vero eiuſdem operis autographam adſervamus in hac ipſa Biblioth., ſic inſcriptam. *Pentecoſte d' altri ſcrittori, che andando in maſchera fuori del tempo di Carnevale ſono ſcoperti da Clodio Sperovio Accademico Anſioſo, ed Infecondo &c. Continuazione della Viſiera Alzata.*

ſcriptis patet, ultimum valere dixit rebus humanis; ſed quod inſuper dolemus vehementer, in ſcriniis eius non ſunt inventae notae in opus illud reliquae, neque etiam commentarius, quem paratum habebat in *Ioſephum*. Quis haec & alia terſiſſimi ingenii monumenta interceperit, ignotum eſt plane, & fruſtra lugemus tam ingens damnum. Repertus quidem in Bibliotheca eius fuit *Ioſephus*, cui multa Vir ille adſcripſerat, ſed cum perpetuo lectorem reiiciat ad commentarium ſuum, notulae illae haud magnam utilitatem nobis adferre poſſunt.

Rycquius etiam e ſtatione ereptus eſt humana, ea aetate, qua plurimum aliis ſcribendo prodeſse poterat, num poſthumas curas eius expectare liceat ignoro plane.

Graevius edit iterum *Svetonium* cum notis auctioribus; idemque *Hiſtoriae Auguſtae* ſcriptor publicatur cum uberi commentario *Samuelis Pitiſci*, qui iuventutis Traiecti ad Rhenum moderator eſt.

Gronovius totus eſt in edendo *Cicerone*, eumque ſeſe publicaturum accuratiſſimum, & emendatiſsimum promittit.

Lactantius de Mortibus Perſecutorum cum *Baluzii*, meis & aliorum notis nondum abſolutus eſt; & huius morae cauſa *Baudrivius*, eruditus Gallus, ſed qui tarde admodum notas ſuas abſolvit.

Publica negotia obſtant, quo minus manum ultimam Inſcriptionibus, & aliis antiquitatibus meis ἀνεκδότοις imponere queam, augentur eae nihilominus quotidie, & miraberis profecto, tam praeclara mo-

nu-

numenta ad me ex Aſia, & aliunde adlata eſſe; ubi ſemel ea publicum inſpexerint.

Upſaliae prodiit tomus alter *Atlanticorum Rutbeckii*, *&* *Petri Lagerlof diſſertatio de Druidibus*. Nam uti in Germaniae Academiis publicantur frequenter tam sacrae, quam profanae Diſſertationes, atque in iis adoleſcentes diſputant; ita eandem iuventutem docendi viam ſequuntur Upſalienſes. Miſſae ex ultimo Septentrione ad me ſunt varii argumenti diatribae, quae elegantias ſuas habent, & in quibus, brevibus quaſi in tabellis, multa erudita repraeſentantur. Catalogum earum non mittam, ne videar otio Tuo abuti. Vale. Hagae Com. xix. Ian. 1690.

EPISTOLA IX.

QVas ad me quinto Iunii proximi die miſiſti, litterae, recte curatae ſunt, atque ut ex iis non abſque ſingulari voluptate intellexi, quae *Gudius* olim edere paravit, ita ingenti cum dolore videor aſſeverare poſſe, de tam praeclaris curis nihil ſperandum eſse, mortemque Viri necopinam erepturam nobis tam politos, & tam elaboratos theſauros.

Epiſtolas *Iacobaeo*, & *Th. Bartholino* deſtinatas, perlectas in Daniam miſi; eas redditas eſſe viris illis praeſtantiſſimis certiorem me fecit *Bartholinus*; Tibique multum, imo plurimum me debere confiteor, quod

quod me edocueris, quid rerum agant eruditionis praeſtantis Itali.

Ex ultimo *Bibliothecae Univerſalis* Tomo perſpicies me datam fidem liberaſſe, & illius auctorem excerpta feciſſe ex *Accoltii Aretini Dialogo* non modo, verum etiam, ut par erat, honorificam admodum Tui feciſſe mentionem.

Io: Henricus Eggelingius Bremenſis Reip. a ſecretis, *explicationem* ſuam *Vaſculi Sardonychini*, & *Nummorum quos Patinus pag.* 100. & 101. *Theſauri exhibet*, a cenſura *Ioannis Felleri* defendit, mihique Defenſionem illam, anno ſuperiore editam dono miſit, & exemplari inſcripſit:

PERILLVSTRI DOMINO

DOMINO GISBERTO CVPERO

SAECVLI NOSTRI ARISTONI

OFFICIOSISSIME OFFERT

AVCTOR.

quo certe honore me indignum fateor.

Academiae Lugduno Batavae Curatores triginta tribus millibus florenis Holland. emerunt Bibliothecam Iſaacii Voſſii, quae referta eſt, uti non ignoras, Mss. optimae notae. Illi qui litteras in celeberrima illa Academia profitentur atque amant, habebunt, in quo ſe exercere queant.

Pitiſcus Scholae Ultraiectinae Rector *Svetonium* edidit variorum notis illuſtratum; & improbo plane labore ex omnibus tam

veteribus, quam recentioribus auctoribus excerpſit quae elucidando auctori inprimis gravi, inſervire poſſunt. Eadem in urbe prodiit Gallica *Menagii Diſſertatio in Terentii Heautontimorumenon* auctior, eaque illa varia eruditione referta; & propediem *Svetonius Graevii* Viri praeſtantiſſimi curis ſecundis ornatior, etiam lucem adſpiciet publicam, non ſecus ac Lugduni in Batavis *Probabilia Iuris Gerbardi Noodt* ICti, & Anteceſſoris.

In Svecia *Rudbekius* manus admovet tomo *Atlanticorum* tertio, & ego inde expecto varii argumenti diſſertationes, & cum iis *Alexandrum de figuris ſententiae eloquutionis* a *Laur. Normanno* nunc primum editum. Idem Vir clariſſimus paratam habet *Homologiam Ecclesiae Graecae ἀνέκδοτον*, alia opuſcula Graeca, quorum titulos expecto, & tandem quam plurimas *Hug. Grotii*, *Iani Rutgerſii*, *Dan. Heinſii*, *& Lud. Camerarii*, nondum publicatas epiſtolas, nec non alias *Caroli Marini* olim Sveciae apud Tigurinos Oratoris; quae licet parum latinitatis ſapiant, varias tamen res Turcicas continent, quia auctori cum Dom. *de Haga*, Faederatae Belgicae Ordinum ad Turcarum Imp. Legatum, literarum commercium interceſſit.

Patinus ad me miſit *Artorium* ſuum, (1) qui

1 *Carolus Patinus* in Patav. Lyceo Prof. Pub. & D. Marci Eques, inter alia multa praeclara opera edidit *Commentarium in Antiquum Cenotaphium Marci Artorii Medici*

qui mihi mirifice placuit, adiecitque illuſtris D. Marci Eques *Defenſionem Marcellinae* manu exaratam, & a Filia ſua compoſitam; quae certe veneres ſuas habet, & prodit Virginem diligenter in Antiquitatis ſtudio verſatam eſſe; id quod etiam ante ex eiuſdem *Diſſertatione de Phaenice* patuit.

Anton. Matthaeus Iuris Lugdun. Batav. Profeſſor publicus edidit, notiſque illuſtravit Auctorem anonymum bella enarrantem, quae Epiſcopus Ultraiectinus cum Friſiis geſſit.

Guilielmus Goereus duobus ingentibus voluminibus, & lingua Belgica complexus eſt *Antiquitates Iudaicas*, eaſdemque figuris nitidiſſimis illuſtravit; & idem ante aliquot annos ex paternis ſcriptis eadem lingua *Remp. Iudaeorum* tribus tomis deſcripſit in octavo.

Lactantius de mortibus Perſecutorum teſtudineo procedit gradu; ſpem tamen facit bibliopola, cum hoc ipſo anno abſolutum iri: accipio ego quidem, imo arripio omen; ſed vereor multum, ut ſi em-

Caeſaris Auguſti. *Patavii* 1689 in 4. Item *Commentarios in Antiqua Monumenta Aureliae Tryphenae Smyrnenſis, Lucii Mundii Herois, Pamphili, & Alexandri, Ulpiae Marcellinae Antiſtitis Veneris Coeleſtis, Marci Arturii Medici Caeſaris Auguſti: Patavii* 1689. in 4. *Gabrielis* autem *Carola Patina* eius Filia edidit inter coetera, *Epiſtolam de Phaenice in Numiſmate Imperatoris Antonini Caracallae expreſſa* Venet. 1683. in 4.

ſuam liberare poſſit, quia ille moras nectit, qui editionis curam gerit, ſuaſque notas adiicere parat: Vale plurimum vir. Illuſt.iſs. Daventriae 11. Sept. 1690.

Daventriae nunc ago, ſed propediem Hagam Comitis me transferam; quo litteras, ſi quid reponere his velis, mittas rogo, vel potius eas fidei *Calkberneri*, qui conſul Foederatorum Belgarum Liburni eſt committas, is eas diligentiſſime curabit.

Henricum Norisium, eruditionis praeſtantiſſimae Theologum verbis meis amantiſſimis, quod commodo fiat, ſalutes, Virumque Illuſtrem certiorem facias, litteras accepiſſe, quas prid Non. Martias, & XXIV. eiuſdem menſis die ad me dedit; occupationeque mea fieri, quominus iis nunc reſpondere poſſim.

EPISTOLA X.

VT mihi Te debere multum ſcribis frequenter, quod mittam quid rerum hoc ſub Caelo agant Eruditi, ita me plurimum Tibi devinctum eſſe, & nunc confiteor, & olim te ſtatus fui, quod me tam diligenter, & tam amice continuo edoceas librorum titulos, quibus Itali veſtri ſuam eruditionem produnt, & aliorum augent. Et quia ex dulci hoc litterarum commercio ſingularem capio voluptatem, haud gravate, uti equidem ſpero, feres, me iterum Te interpellare.

Et Primo quidem, faciundum mihi eſſe exi-

exiſtimavi, ut dignas Tibi gratias agam; quod non modo epiſtolas meas cum variis eruditionis praeſtantis Viris communices, verum maxime, quod ad Sereniſſimum Principem Cardinalem Medicaeum eas miſeris, qui certe honor mihi amplus atque magnificus eſt.

Opus, quod aggreditur *Raphäel Savanarola*, Herculeae audaciae, & laboris eſt, ſi quid titulo credimus. Acta primorum Martyrum ſincera, & a *Theodorico Ruinarto* edita avide hic expectamus, ſed bellum, quod cum Galliarum Rege gerimus ab eiuſmodi deliciis non arcet.

Nicaſius ante quinque, vel ſex hebdomadas ad me ſcripſit, *Toinardi in Lactantium notas* huc tranſmittendas eſſe, ut cum aliis publicentur, nunc ex litteris tuis cognoſco, eas in Italiam miſſas eſſe; velimque equidem ſcire, num typis deſcriptae an vero manu exaratae ſint. Libellus ille aureus, *Baluzii*, meis, aliorumque notis illuſtratus anni proximi initio publicabitur.

Tollium putabam in Anglia eſſe, & editurum ibi, quae notatu digna in Itinere Germanico, Hungarico, & Italico obſervavit atque collegit, quae certe alicuius pretii ſunt. Nunc primum ex litteris tuis diſco, eum in Italia, & quidem in domo Eminentiſſimi Cardinalis *Barbarini* eſſe, eundemque inſalutato Eccleſiae Romanae Principe, hoſpite, & Domino ſuo abiiſſe. Aliter certe factum oportuit; neque ego ſcio, ubi nunc terrarum Vir ille eruditus, ſed nimium Alchimiae ſtudioſus, agat, ad quam

in *Fortuitis*, pleraſque Gentilium fabulas, veluti ad veram originem, referre conatus eſt.

Melchior Leidecherus Sacrae Theologiae apud Ultraiectinos Doctor, & Profeſſor illuſtravit Hiſtoriam *Eccleſiae Africanae*, eiuſque originem, ſtatum, varia fata, interitum, fidem, cultum, libertatem, & pugnam cum Schiſmaticis Donatiſtis. Mihi illam dono miſit, videoque eum ſaepe ab *Emanuele a Schelſtrate* diſſentire.

Godwini, Scriptoris Angli *Moſes*, & *Aaron* (is libri titulus) in linguam latinam translatus eſt; additis viri eruditi notis, & binis *Hermanni VVitzii*, Theologi Ultraiectini, doctis diſſertationibus. *Henricus Coetſius* *Horologiographiam planam* ante aliquot menſes publicavit, nuncque edit *Euclidis* Elementa, nova faciliorique methodo, mirum quantum, illuſtrata.

Tres Tomi Novae Bibliothecae *Eliae Du Pin*, Doctoris Sorbonici, hic typis deſcripti ſunt, & fateor, multa praeclara iis contineri, facilemque viam pandi ad debitum ex Patrum lectione fructum percipiendum.

Ianſeniſtae edere parant novem voluminibus omnia ſcripta controverſa, & lites quae tam Romae, quam alibi a *Ieſuitis* illis illatae ſunt, inque opus illud bibliopolae impendere tenebuntur ſedecim ad minimum millia Imperialium. Amſtelodami propediem edentur centum, vel plura numiſmata rariora; & necdum publicata, nec dubito quin opuſculum illud praeclaris antiquariis placiturum ſit. Bi-

Bibliotheca *Iſaaci Voſſii* ex Anglia Lugdunum Batavorum deportata eſt. *Iob Georgii Graevii* filius edet *Callimachum* cum variorum, & ſuis notis. Vale plurimum. Hagae Com. VI. Id. Nov. 1690.

Iacobus Perizonius, & *Ulricus Huberus* ediderunt diſſertationes ſuas de *Praetorio*, quae certe multa eruditione refertae ſunt, & apud Friſios etiam *Nicolai Blancardi* cura prodiit *Thomas Magiſter*.

Rogo ut epiſtolam ad *Noriſium* V. Cl. curare velis.

EPISTOLA XI.

ECce tibi, Vir praeſtantiſſime, bina exemplaria *Apotheoſeos meae*, & *Tabulae Geographicae*, qua Ampliſſimus *VVitzius* Reip. Amſtelodamenſis Conſul Tartariam mirum quantum illuſtravit, oſtenditque vaſtum illum terrarum tractum Geographis noſtris non bene cognitum fuiſſe.

Apotheoſin autem meam Te videre equidem velle, & apud vos non reperiri cum ſignificaveris, facere non potui quin eam tranſmitterem, gnarus caeteroquin ſub craſſiore aere eandem natam, & haud dignam Italis ingeniis eſſe.

Illam tamen, qualis eſt, accipe, & alterum eiuſdem ut, & Tabulae Geographicae exemplar tradas rogo *Henr. Norſio*, quem virum ob ſingularem, & profundam, qua fulget, eruditionem, multum, imo plurimum admirari ſoleo: Vale. Hagae Com Cal. Iuliis 1691.

EPISTOLA XII.

Singularem voluptatem cepi ex litteris, quas duodecimo Aprilis die ad me dediſti, cum quia multa illae docebant, quae ad rem litterariam ſpectabant, tum quia videbam tanti apud Excellentiſs *Buterae Principem* eſſe qualemcumque eruditionem meam, ut me donare animum induxerit, ſplendidiſſimo libro, qui complectitur praeclare tam pace quam bello domi foriſque geſta a Principibus, qui ex Illuſtriſſima *Caraffae* domo prodierunt. Opera id factum proculdubio Tua praeſtantiſſime *Antoni*, neque enim arbitror quenquam me abſque elogio, & laudibus tuis Neapoli cogniturum; quam ob ſingularem benevolentiam plurimum me Tibi debere confiteor.

Sed & quod iſtis praerogativis maius atque illuſtrius exiſtimo, eſt quod video me inſervire poſſe Sereniſſimo eidemque Magno Etruriae Principi. Librum in Svecia Chymicum impreſſum eſſe nemo apud nos novit; ad amicos, qui ibi degunt, propterea ſcripſi, & ſpero me eorum opera propediem ipſum librum conſequuturum; id ubi fit, reiectis omnibus moris titulum integrum mittam, ut inde perſpicere poſſit Sereniſſimus Princeps, me ſumma cum alacritate iuſſis Serenitatis ſuae parere. *Tollium*, qui artem Chimicam mirifice amplectitur, & qui in patriam ante tres vel quatuor hebdomadas rediit, hoc ſuper negotio, cum mi-

hi

hi officia ſua deferret, conſului, nihilque etiam ex eo reſcire potui, adeo ut exiſtimem librum illum nùmquam ad bibliopolas noſtros adlatum fuiſſe. Celebrat Vir eruditus valde humanitatem, & benevolentiam erga ſe Tuam, mihique multa narravit de libellis forma orbiculari, & rhombi, ex laminis plumbeis, ſtanneis, & argenteis factis. Piſis ſe e affirmat eos vidiſſe apud virum harum rerum ſtudiòſum; inventos Romae in vaſe ſepulcrali, quod a Cardinali quodam aſſervatur inter alia monumenta: Laminis inditas fuiſſe figuras quae myſteria, & penetralia Chemiae edocebant; ſeſe hoc aperire voluiſſe Sereniſſimo Principi, ſed ab eo gravioribus rebus occupato non fuiſse admiſſum, & neſcire tandem quo homo ſuus, cum Theſauro illo, quem explicare non poterat, ſeſe contulerit.

Multum praeterea Tibi debeo, quod opera Tua nomen meum eruditis, qui Acta erudito um Mutinae componunt, innoteſcat; & cum voluptate intellexi, Tibi illiſque non diſplicere, quae ſubinde ad Te ſcribo.

Prodiit hic ex Anglica in Gallicam linguam verſus, Commentarius Equitis *Templi*, hoc titulo ;- *Memoires de ce qui s' eſt paſsè dans la Chretientè depuis le commencement de la Guerre en 1672. iuſqu' a la Paix concluë en 1679.* qui certe lectu digniſſimus eſt, quia cauſas complectitur variarum mutationum, quae hic factae ſunt. Vulgatum etiam eſt *Lexicon rationale*; ſive *Theſaurus* Philoſophicus ordine Alphabetico digeſtus, in quo vocabula omnia philoſophica, variaſque il-

illorum acceptationes iuxta cum veterum, tum recentiorum placita explicare, & univerſe quae lumine naturali ſciri poſſunt, non tam concludere, quam recludere conatur *Stephanus Chauvin Nemauſenſis*: in fine operis exhibentur figurae, quae variis machinis variiſque etiam naturae phenomenis explicandis inſerviunt, in fol. Roterodami.

Dum haec ſcribo amicus Smyrna redux mecum communicat varias Inſcriptiones Graecas ineditas, quas ipſe Mileti, & alibi deſcripſit. Inter ipſas una eſt elegantiſſima, quae continet donaria ſplendidiſſima, quae *Seleucus*, & *Antiochus* Reges dono dederunt *Apollini Mileſio*; inque ea binae voces occurrunt, quae fruſtra apud Lexicographos quaeras, ut *χρισωματα*, & *Αργυρωματα*, ſunt vaſa ex auro atque argento facta: praeterea memorantur in ea *Ταμιεύοντες τῶν Ἱερῶν χρημάτων* *Gardes du Threſor Sacrè*: *φιάλη Καρυωτὴ* (1) *ἀγαθῆς Τύχης*: *Ἄλλη καρυωτὴ* ΟΓ.... ΙΔΟΣ; Id eſt ut puto *Oſiridis*, & alia quae examinabo diligentiſſime, ſi modo mihi temporis abunde eſt. Alteras litteras, quas ſimul mitto, rogo ad *Bulifonium* curare velis: Ab eo peto, ut munus mihi deſtinatum velit mittere ad *Calkbernerum* ab ordinibus Faederatis conſtitutum Conſulem Liburni: qui eius diligentem curam habebit: Vale plurimum. Hagae Com. XXVI. Iun. 1691.

EPI-

1 *Φιάλη Καρυωτὴ* Phiala ſic dicta, ni fallor, a Caryotae, vel Palmulae ſimilitudine.

EPISTOLA XIII.

EX litteris quas ſexto, & vigeſimo Iunii menſis ad Te deci perſpexiſti procul dubio, redditas mihi eas eſſe, quas duodecimo Aprilis miſiſti; uti etiam, quid ſperandum foret de *Libro Chymico*, quem in Svecia impreſſum, variiſque figuris ornatum cognoſcere cupiebat Sereniſs. Etruriae Princeps. Ab Amicis, quos eo in Regno habeo complures, edoctus ſum, nullum eiuſcemodi librum ibi editum fuiſſe unquam, nec inveniri figuras in iis, quos praecipuae auctoritatis Philoſophi & Chymici, *Faber*, & *Glaſerus*, ibi olim ediderunt. Quin opinantur nonnulli Sereniſs. Principem ante oculos habuiſſe *Rudbeckii Atlantica*, quae figuris quidem adornata ſunt, ſed tamen de Chemia nequaquam agunt.

Doleo me deſiderio tanti Principis ſatiſfacere non potuiſſe, atque ita gloriam mihi ereptam eſſe. ipſi parendi.

Quae ad Remp. Litterariam ſpectantia mittis, gratiſſima mihi ſunt, utque vicem reddam, accipe quid hic rerum agant eruditionis praeſtantis viri.

Gronovius Ciceronem edidit, & *Amm. Marcellinum* aliosque veteris aevi auctores etiam aggreſſus eſt, docebitque vos procul dubio multa praeclara.

Lactantius de mortibus Perſecutorum cum *Baluzii* meis, & aliorum notis tandem etiam prodiit, & quanquam illius editionis Auctor non ſim, feres nihilominus a me exemplar, illi-

illique iungam alia bina, quorum unum deſtinatum eſt *Noriſio*, alterum *Fabretto*, viris Illuſtriſsimis, ſed a quibus, poſtquam in aulam Summi Pontificis admiſſi ſunt, nullas litteras accipio,

Quemadmodum in Italiae variis Urbibus, in Anglia, & Germania; *Ephemerides Literariae* eduntur lingua Belgica Roterodami; Titulus illarum eſt, *De Boekzaal van Europa*, id eſt *Bibliotheca Europae*, adeo ut, vel hinc pateat, genus hoc librorum plurimos invenire emptores, nec inutiles eſſe Reipublicae Litterariae.

Salomon de Til. Theologus Dordratenſis lingua vernacula edidit *Prodromum Commentarii in Pſalmos*, inque eo erudite explicavit Inſtrumenta muſica tam *Hebraeorum*, quam *Graecorum*; adeo ut ex mea quidem opinione, illa nunc clarius multo a ſeſe invicem diſtingui poſſint.

Ariſtoteles de Arte Poetica cum Dacerii notis hic etiam vulgatus eſt, & quemadmodum notae viri eruditiſſimi in *Horatium*, & alios auctores placent doctis mirifice, ita illae quoque iisdem approbantur & laudantur.

Ex Gallis ad nos allatus eſt, *Le Cabinet de la Bibliotheque de S. Genevieve*, quem librum vidiſti procul dubio, vel nitore ſuo placentem, & hic vulgata ſunt *Selecta Numiſmata ex muſaeo Iacobi de VVilde, cum notis*, quae numiſmata rara admodum ſunt, & alibi vix obvia.

Spanhemius dudum mihi etiam dono miſit *Obſervationes*, & *Conjecturas Begeri*; gratias Viro egi illuſtri, quod mei memoriam ſervet, meamque de primo nummo ſententiam ab

ab illius, nec non *Begeri* opinione diverſam miſi, ſed nondum reſponſum tuli: Credo eum eſſe occupatiſſimum.

Integer *Petronius* hic imprimitur a *Nodoto* in Galliis vulgatus. Quid quaeris? ego principium legi, & dubito valde; ſed ſimul ac totus prodierit, apparebit facile quid diſtent aera lupinis. Praeterea Bibliopolae noſtri vulgarunt typis, *Traitté Hiſtorique des Monnoyes de France par M. le Blanc; Ariſtophanis Plutum, & Nubes* Gallice verſas, & notis illuſtratas a *Fabri Tanaquili* filia, quam ſibi ſociavit connubio *Dacerius*; *Anacreontem* cum notis *Longepierre*; & deliberant num imprimere velint Notas, quas magnae molis & eruditionis in *Apollodorum* compoſuit *Bachetus* Dominus *de Mezeriac*, cuius eruditus in *Epiſtolas Heroidum Ovidii commentarius* notus eſt ſatis ſuperque.

Opera etiam *Bocharti* duobus voluminibus typis deſcripta ſunt, & multa nunc primum edita, quae vir tanti ingenii compoſuit olim. Quid de loco *Paradiſi Terreſtris* ſentiat, ut & quid *Morinus* eiectus ob religionem Galliis, & apud Amſtelaedamenſ. multae eruditionis nunc profeſſor, eadem de re commentatus eſt, inde cognoſces, & laetaberis, imo miraberis procul dubio, eiuſdem eos cum *Huetio* ſententiae eſſe, cuius liber de *Paradiſo* ad nos ante aliquot menſes adlatus eſt; Vale plurimum. Hagae Com. A d. 11. Cal. Nov. 1692.

Occupatione mea factum eſt, quominus ipſe hanc epiſtolam ſcribere potuerim.

EPI-

EPISTOLA XIV.

Quam acephalam edimus, ſicut in Autogr. invenimus.

8. Architecturam militarem, & quae ſpectant ad muniendas Urbes.

9. Pulverem tormentarium, & quae ſpectant l' *Artillerie*.

10. Architecturam navalem.

11. Perſpectivam, uti vocant, vel principia Artis pingendi.

12. Artem delineandi & pingendi.

13. OEconomiam.

14. Horticulturam.

15. Omnes in genere Artes mechanicas.

16 Artem incidendi figuras in aes, quam nos *Etſchen* vocamus.

17. Metalla, & artem effodiendi ea, Gemmarumque naturam.

18. Medicinam.

19. Chirurgiam.

20. Chymiam.

21. Calendarium Hiſtoricum.

22. Formam in Iure agendi, vel procedendi ordine alphabetico digeſtam.

23. Concordantiam Biblicam.

24. Chriſtianae Religionis, & veri Chriſtianiſmi fundamenta, & exercitationes.

25. Tacheographiam.

26. Enchiridium exercitiorum, quae Iuvenes nobiles docent.

VVagenſeilius mihi dono miſit *Defenſionem Ar-*

Argyraſpidis ſui, illique iunxit argumentum Diſſertationis, in qua prolixe probat Iudaeos nunquam Sanguine Chriſtiano myſteria ſua peregiſſe; *Nicolaus Chevalier* elucidare conatus eſt ectypum vaſis, quod Romae poſſidet *Mayerus* quidam; quodque etiam illuſtravit *Menetrierus*, quemadmodum ex *Ephemeridibus*, quae Lutetiae componuntur, *Eruditorum* intelligo. Reddita tandem mihi eſt *Hiſtoria Genealogica Illuſtriſs. & Excellentiſſimae Familiae Carafae* (1); & miror ex ea, tanquam ex equo Troiano, tot Heroes, & temporum ſuorum gloriam & decus prodiiſse.

Quid eruditi Itali cenſent de libro, quem *Harduinus* edidit *De Nummis Herodiadum?* nemo eſt hic, quin eum cenſeat plenum eſſe Paradoxis; nec puto aliud exiſtimaturos ad unum omnes eruditos, quibus de meliore luto, & qui non capiuntur Itali in novis opinionibus. Librum etiam *de Paſchate* edidit, qui itidem bilem & ſtomachum movere dicitur eruditis Pariſienſibus: nos eum legere valde deſideramus, ut videamus quouſque progreſſa ſit Viri huius αὐθάδεια, φιλαυτία, & arrogantia; nam de omnibus auctoribus, tamquam electus iudex & iuratus decernit, pleroſque, imo omnes, exceptis paucis, ſuppoſititios & ante quadringentos vel quingentos annos orbi obtruſos a collegio quodam in Gallia eruditorum, quod ut puto inveniet in *Utopia*. Quis enim unquam vel fando audivit illis ſaeculis tanta floruiſſe ingenia, ut nobis *Ioſephum*, *Iuſtinum* -

1 *A Carolo M. Carafa Roccellae & Buterae Principe conſcriptam*. v. ſuperius pag 24.

ſinum Martyrem, alioſque Auctores Graecos & Latinos tradere poſſent? nugae, ita ſim felix, & gerrae germanae. Tu Magliabequi Vale. Hagae Com. 7. Nov. 1693.

EPISTOLA XV.

DEſcriptio *Urbis Amſtelaedamenſis* lingua vernacula prodiit elegantiſſima, & plurimis figuris aeri inciſis illuſtrata; adeo ut exteri iam cognoſcere poſſint magnitudinem & pulchritudinem, imo miracula Emporii celeberrimi.

Scripſi olim *Thomae Magiſtri* orationem in *Greg. Nazianzenum* editam fuiſſe a *Normanno Upſaliae*; nunc Tranſylvanus Baro Dom. *de Bethlen* ad me defert eiuſdem *Thomae* varias orationes, quibus celebrat *Angelum* magnum exercituum Ducem, *Theodorum Metochitam*, *Niphonem Patriarcham Conſtantinopolitanum*, & *Regem Cypri*; ſequenturque eiuſdem *Normanni* cura, aliae.

Rogo, ut haſce, quas vides, litteras ad *Antonium Bulifon* curare velis. Vale. Hagae Com. 19. Nov. 1693.

Occupatione mea factum eſt, ut haſce litteras non miſerim 7. Novemb.

EPISTOLA XVI.

ILlo ipſo die quo ultimas litteras ad Te miſi, ſunt Tuae quas tam ad me, quam ad Clariſs. *Graevium* ſcripſeras, atque ex iis

iis ſingulari cum voluptate intellexi, qui libri in variis Italiae Urbibus typis ſunt conſcripti, quorumque nonnulli mihi certe ſalivam, ut ſic loquar, movent.

Doleo vehementer Eruditorum *Ephemerides*, quae *Mutinae* (1), & *Parmae* (2) conficiuntur, ad nos non deferri, & eam ob cauſam nos ignorare, quae eruditionis praeſtantis viri ſubinde publicent. Sed Tu, Vir Illuſtris, quantum in Te eſt, tollis hoc incommodum, noſque perpetuo doces, quid expectare debeamus in Rep. Litteraria doctum politum.

Ex Galliis miſſum etiam ad me eſt, me in eo eſſe, ut refellere coner paradoxa, quae magno numero *Harduinus* libro inſeruit, quem de *Nummis Herodiadum* publici iuris fecit. Plurimum certe ego eruditiſſimo *Pagio*, aliiſque debeo, quod me parem illi rei eſſe exiſtiment, ſed Tibi fidem facio, nunquam me animum induxiſſe, ut illi operi me accingerem, & rumor ille procul dubio inde ortus eſt, quod cum Gallis nonnullis, qui ſua mihi officia deferebant, egerim inter confabulandum de locis, quae cenſebam aliter longe quam *Harduino* viſum fuit, explicari debere; & quod Epiſtola ad *Graevium* familiari complexus fuerim pluſculos viri docti errores.

Graevio epiſtolam tuam tradidi in manus;

 nam

1 *Giornale de' Letterati pubblicato in Modena* An. 1692 & ſeq. in 4.

2 *Il Giornale de' Letterati per tutto l' anno* 1686. & ſeq. *In Parma per Giuſeppe dall' Oglio, e Ippolito Roſati in* 4.

nam iter mihi per Traiectum ad Rhenum erat, cum illam acciperem; Vir optimus, plurimum tibi debet, recepitque ſeſe propediem reſponſurum, id quod faciet procul dubio.

Hiſtoria Edicti Nannetenſis prodiit in lucem, qua noſtra partium Hiſtoria Galliae, & ſors, variique caſus Reformatorum mirifice ad haec uſque tempora illuſtrantur.

Ex Svecia varias variorum diſſertationes accepi, uti περὶ πολυθείας. *De Cruce veterum*. *De officio Meſſiae Iudaici*, *vel R. Moſis F. Maimonidis Tractatum de Regibus*; *De Ciclo Iudaico*, vel *eiuſdem Maim. Tractatum de Siclis*; *de Urinatoribus* & aliis argumentis.

Quando prodibunt Inſcriptiones aetatem a *Fabretto* promiſsae? Vir eruditiſſimus abrupit omne mecum litterarum commercium, procul dubio, quia dignitas, quam apud Pontificem gerit, ipſum tenet occupatiſſimum; & ideo eſt ut ad Te decurram, rogemque ut me doceas, quantum in opere illo ſit profligatum. Ardeo enim cupiditate incredibili cognoſcendi Ritus veterum & priſci aevi mores, & noſti magnam lucem ex lapidibus vetuſtis nobis effundi. Vale plurimum. Hagae, Com. 16. Dec. 1693.

EPISTOLA XVII.

OCtavodecimo proxime elapſi Martii menſis die longas ſatis, & verboſas ad Te, *Antoni* praeſtantiſſime, litteras dedi, cum-

que

que nondum iis reſponderis, id quod caeteroquin facere ſolebas promptiſſime, ſuſpicio mihi oborta eſt, eas vel intercidiſſe, vel Te valetudine uti minus proſpera. Verum ut illae vix male curatae eſſe poſſunt, quia Kalkbernerus me certiorem continuo fecit, eas Florentiam a ſeſe miſſas eſſe; ita ſpero Te ſalvum eſſe ſanumque, & occupatione Tua fieri, quo minus antiquum obtineas.

Quae hic in re Litteraria publice aguntur, & qui famam ſuam editis libellis poſteritati conſecrant, ex Eruditorum Actis procul dubio cognoſcis; ſed tamen Tibi non ingratum fore confido, ſi nonnulla ſupponam, quae ad eam partem ſtudii noſtri pertinent.

Duo primi Tomi *Antiquitatum Romanarum* prodierunt in lucem Traiecti ad Rhenum: Doctiſſimus *Graevius* prefationes iis adiecit; meque nihil tale meritum inter caeteros eruditos perquam honorifice laudat.

Iac. Tollius edidit *Longinum* cum ſuis aliorumque integris notis, meique etiam ter quaterve non abſque elogio mentionem facit. Editio eſt pulcherrima, & *Tollii* notae ſunt quantivis pretii: iam vir eruditionis, & elegantiae praeſtantis operam dat *Itinerario* ſuo, (1) quod certe refertum erit antiquis monumentis pulcherrimis.

Roterodami editus eſt *Iunius de pictura* ve-

C 2

1 Prodiit An. 1696. Traiecti ad Rhenum *per Franc. Halmam* hoc titulo: *Inſignia Itinerarii Italici, quibus continentur Antiquitates Sacrae* in 4.

veterum, altera parte minimum auctior, illique accedit catalogus artificum celebrium, operumque ab iis elaboratorum olim.

Eadem in urbe duplici forma *Diſſertationes variae* typis deſcribuntur, quibus antiqui Iudaeorum, & Chriſtianorum Ritus, nec non ex iis utriuſque Teſtamenti varia loca illuſtrantur. Prodierunt illae quidem, maximam partem in Germania, ſed ſeorſim; & nunc magno politioris ſtudii commodo, in unum corpus varios in tomos diſtinctum concluduntur.

Petrus Burmannus elegantem libellum edidit de *Vectigalibus Pop. Romani*; docetque nos, *Bullengerum*, & alios eruditos, qui huic materiae inſudarunt olim, humani ſaepe aliquid paſſos eſſe.

Drelincurtius, alter apud Batavos Galenus, *Achillis vitam* eleganter deſcripſit, collegitque magna ſolertia, quicquid veteres boni, vel mali de illo tradiderunt; meos libellos mirifice ſubinde laudat, optandumque foret, eum alios priſci aevi Heroas tam diligenter etiam illuſtrare velle. Miſit ſimul ad me nonnullas filii ſui, atque adeo ſuas *Exercitationes Medicas*, & in una earum docet, ſi non omnia, at certe pleraque, & praecipua, quae huius ſeculi ἰατρῶν παῖδες ſeſe gloriantur inveniſſe, veteribus fuiſſe cognita, & inter ea ſanguinis, ut vocant, circulationem.

Gallus quidam *Amſtelaedami* habitans, cui nomen *Chevalier*, quique hiſtoriam *Guilielmi III. Britanniarum Regis* ex nummis, & aliis monumentis publicis digeſſit, edere pa-

rat

rat varia ſigna, & alias aevi veteris relliquias, quae non niſi avide arripientur ab earum rerum curioſis.

Otto Sperlingius Conſiliarius, & Profeſſor Regius Haſniae, miſit ad me *Linguae Danicae hiſtoriam*, quae certe elegans eſt, & varia nos docet ad orbem ſeptentrionalem ſpectantia. *A Normanno*, profeſſore Upſalienſi doctiſſimo accepi *Thomae Magiſtri Orationes Graecas*, a ſe ſimul in Latinam Linguam translatas. Miſſum ad me non modo ex oriente eſt *Itinerarium Palmyrenum* ineditum, variis iiſque elegantiſſimis Inſcriptionibus Graecis ornatum; verum etiam accepi depictas Urbis eiuſdem ruinas, quae intuentibus facile fidem facient, eam pulcherrimam, & amplisſimam fuiſſe olim. Eodem tempore amici, qui eadem in plaga vivunt, me donarunt nummis pulcherrimis, a Syriae variis urbibus percuſſis, unde & earum AErae elucidari poſſunt, quam rem tanta cum laude illuſtrare aggreſſus eſt *Noriſius*. Eſt inter eos unus ΓΑΒΑΛΕΩΝ in honorem *Macrini* ſignatus, qui non plane ſimilis eſt illi quem vulgavit vir illuſtris pag. 253. *Epocharum*.

Haec ſcribenti *Herm. VVitſius* Theologus Ultraiectenſis dono mihi mittit *Exercitationes ſuas Academicas Hiſtorico-Critico-Theologicas*, quae eruditae ſunt, quibuſque, inter caetera, diſputatur, an Evangelium Americanis annuntiatum ſit, & Hiſtoria Urbis Hieroſolymitanae inde ab ipſius initiis, uſque ad haec tempora pertexitur.

Sed cum excellentis adeo viri mentionem fecerim, patere ut arripiam occaſionem,

& quaeram ex Te, quid ille rerum, quid alii agant eruditi Itali. Nam quamvis ſciam *Noriſium* eſſe occupatum valde munere, quod ſumma cum laude Romae obit, tamen ubi ſpecto ſubactum tam sacris, quam profanis litteris Viri ingenium, vix credere poſſum, eum iis nuncium remiſiſſe. Quod igitur commodo fiat, me, quaeſo, doce, quid ab eo expectare debeamus, neque enim Virum Illuſtrem convenire ſuſtineo, quia variis litteris meis, atque adeo ipſis gratulatoriis, necdum reſpondit. Eadem cauſa facit, ut ſcire a Te ſummopere deſiderem, an tandem *Fabrettus Inſcriptiones ſuas* ſit publicaturus, & num aliis etiam antiquitatibus Urbis inſudet vir ingenii excellentis.

Adlatae ad nos ſunt *Antiquitates Eccleſiaſticae Em. a Schelſtrate*; quod opus certe pulcherrimum eſt; ſed cognoſcere equidem cupio, num ſpes ſuperſit ulla, illo è vivis ſublato, reliquos tomos etiam typis deſcriptos iri.

Inſcriptiones meae teſtudineo procedunt gradu; edentur tamen, ubi plus otii nactus fuerim, & exhilarabunt Te proculdubio, res, quas docemur iis, praeclarae.

Nuntiatum ad me ex Gallis eſt: Nummos, qui adſervantur in Gazophilacio Sereniſs. Magni Etruriae Ducis, propediem editos iri. Oh quam vellem nuntium illum verum eſſe! quia plurimas res, nunc eo in ſtudiorum genere abſconditas, inde cognoſcemus procul dubio. Vale plurimum. Daventriae x. Dec. 1694.

EPI-

EPISTOLA XVIII.

Singulari cum voluptate perſpexi ex litteris, quas xxv. Iun. & ix. Auguſti ad me dediſti, Te valere, atque, uti ſolebas, cum manſuetioribus Muſis, ideſt cum doctrina, & humanitate plurimum habere commercium. Nam inde, nec non ex aliis quas ad Clariſs. *Graevium* curavi deferri, accepi qui libri undequaque ſint miſſi, & quae eorum, aliorumque fuerint argumenta; ad hoc perlegi *Soteria* pro Te, ex Etruſco ſermone in latinum per *Georgium Pritium translata* (1), placueruntque illa mihi, cum ob materiam, vel ſalutem tuam, tum ob elegantiam. Vellem equidem uti ad nos deportentur *Diſquiſitiones de Hiſtoria Noriſii Pelagiana*, & viri illuſtris, atque eruditi admodum defenſio; neque enim fieri poteſt, quin nos multa praeclara, qua eſt eruditione, docturus ſit, & uti Antquitates Graecae, & Roma-

 nae

1 Neſcio an ſermo ſit de libello in 8. quem in hac Bibl. adſervamus, quique talem praefert titulum: *Soteria Viro Ill. Ant. Magliabechio &c. quum ex difficillimo febri feliciter convaluiſſet nonis Decemb Anni* 1694. *honoris, & cultus ergo Lipſia tranſmiſſa ab Actorum Eruditorum collectoribus, interprete Io. Georgio Pritio. Lipſiae Typis Goezianis, & Peruſiae ſumptibus Comitis Nicolai ex Nobilibus de Monte Mellino, formis Conſtantinianis An.* 1695.

nae me valde oblectant, ita etiam voluptatem eximiam capio ex Hiſtoria Eccleſiaſtica.

Ut autem tibi vicem reddam, facere non poſſum, quin agam de rebus, quae ad Rem litterariam publicam ſpectant.

Morellus alteram ſpeciminis ſui editionem publicavit Lipſiae, & Illuſtris *Spanhemius* ſimul edidit *binas Epiſtolas* auctiores, treſque novas plenas itidem arcanae interioriſque eruditionis. Miſsus dono mihi elegans ille liber eſt, atque uti video laudari mirifice ſtudium Tuum adiuvandi eruditos, & doctrinam; ita etiam non abſque aliquo rubore conſpexi honorificam mei nominis pag. 155. & 217 fieri mentionem, meque, licet immeritum, inter Principes Archivos numerari.

Perizonius Lugduni Batavorum edidit varias *Diſſertationes de Originibus Babylonicis*, putatque Turrim toto Orbe celebrem conſtructam fuiſſe, uti eſset ſignum iis, qui per plana illa pecora paſcerent, ne ſcilicet, longius inde aberrarent, quae nova, & non improbabilis opinio, quemadmodum nonnullis videtur, proculdubio a Theologis examinabitur. Amſtelodamenſes, & Ultraiectini Librarii gnaviter pergunt in edendis *Bibliis Criticis*, & *Theſauro Antiquitatum Romanarum*.

Leideckerus Profeſſor Theologus Ultraiectinus librum edidit *De Vita*, *& Dogmatibus Ianſenii*, quo omnia complexus eſt, quae Hiſtoriam illius Epiſcopi, & eorum qui placita eius ſequuntur ſpectant, in octavo.

Henricus Houtinus Amſtelaedami publica-

cavit Tractatum *Talmudicum de Feſto Novi Anni*, *&* *Calendarum conſecratione*, itemque *Maimonidem de Synedriis*, *&* *Pocuis* cum verſione latina, & notis in quarto: eademque in urbe typis deſcriptum eſt Itinerarium antea Pariſiis editum, cui titulus eſt: *Les Voyages du Sieur le Maire aux Isles Canaries, Cap. Verd, Senegal, & Gambre;* nec non *Les Batailles Memorables des François, depuis le commencement de la Monarchie, iuſque a preſent.* 2. *tom.* 8.

Gerardus de Uries Philoſophiae Profeſſor Traiecti ad Rhenum publici iuris fecit *Exercitationes Rationales de Deo Diviniſque Perfectionibus*, nec non *Philoſophemata Miſcellanea* in 4.

Ex Anglia ad nos adlata ſunt *Ioh. VVallis Geometriae Profeſſoris Saviliani Opera Mathematica* 3. Vol. in fol. & ex Germania *Frid. Ulr. Calixti de Vario Hominis ſtatu, eidemque connata legem exacte adimplendi impotentia. Tractatus Theologicus, complectens inter alia, pro Philoſophia, & Philoſophis Apologiam* in 4. Helmſtadii.

Et tandem hic prodiit *Tomus II. Menagianorum*, quae utique ſtudioſos diſcendi recreant, & erudiunt.

Has litteras tibi tradet *Henricus Copes*, Vir in primis Elegans, & Eruditus, cumque mihi a prima adoleſcentia cum eo fuerit magna familiaritas, ſemperque religioſe coluerimus amicitiam mutuam, facere non poſſum quin eum Tibi iam notum, ut ex ipſius litteris perſpicio, commendem vehementem in modum, & de meliori nota. Silvae ducis, quae

quae Viro Patria eſt, Magiſtratum geſsit; aliiſque functus eſt, & cum maxime, muneribus publicis ſumma cum laude; ei innatus rerum priſcarum virorumque eruditorum cognoſcendorum amor fecit, ut Italiam veſtram petierit, quae certe viris doctrina praeſtantibus, & antiquitatibus abundat. Vale plurimum. Daventriae 1. 11. Septembris 1695.

EPISTOLA XIX.

Litteras ad Te dedi Calendis Septemb. & Decemb. anni proxime elapſi, & licet iis, occupatus proculdubio, necdum reſponderis, tamen facere non poſſum, quin Te iterum conveniam, quia ſingularem voluptatem capio ex eiuſmodi confabulationibus, Tuaſque ego literas ſingulari cum animi mei legam voluptate.

Ampliſsimus Vir *Henricus Copes*, ad me Roma miſit, ſeſe Florentiam petere velle ad viſenda, quae ibi ſunt, plurima miranda, atque adeo ut frui poſſit colloquio Tuo: Ego muneris mei, atque officii; vetus enim nos coniunxit amicitia, eſſe duxi Tibi eum commendare vehementem in modum. Invenies virum πολυμαθῆν, rerum veterum ſtudioſum, natumque, & factum ad demerendos, obſervandoſque omnes, qui natalibus, honoribus, vel eruditione illuſtres ſunt.

Tollius rebus humanis ultimum valere dixit, & paulo ante mortem publicavit *Italici Itinerarii inſignia*, quae complectuntur

Greg.

Greg. Nazianzeni carmina inedita, latine verſa & notis illuſtrata; aliaque, & pag. 153. mei honorificam facit mentionem. Spero alteram *Itinerarii* illius partem abſolutam eſſe, ut etiam typis deſcribi poſſit: continebit profana, ut *Inſcriptiones*, *Auctorumque fragmenta*, quemadmodum ex catalogo, quem olim memini me Tecum communicaſſe, perſpicies.

Anton. Van Dalen Medicus Harlemenſis, qui antea de Oraculis diſputavit, nunc edidit librum lectu dignum, cui titulus: *Diſſertationes de Origine, ac progreſſu Idololatriae & ſuperſtitionum; De vera ac falſa Prophetia, uti & de Divinationibus Idolatricis Iudeorum*. Atque uti ante conatus eſt oſtendere, oracula fraudibus vafrorum hominum, & ſuperſtitioni originem ſuam debere; ita nunc eamdem ſemitam ſequitur, & dolos arteſque multorum detegit, atque traducit.

Quatuor tomi *Antiq. Romanarum* typis deſcripti ſunt, & propediem prodibunt duo tomi *Bibliorum Criticorum*, opuſque illud erit auctius variis diſsertationibus, & annotationibus ineditis *Druſii*, *Abbamae*, aliorumque, nec non opuſculis eruditorum, qui novum, vel vetus Teſtamentum illuſtrarunt.

Ego conabor *Antiquitates* meas abſolvere, ſi quid mihi temporis a publicis negotiis reliquum eſt, & exiſtimo apud illud Placiturum eruditis, quia res praeclarae admodum illo continebuntur.

VVageuſeilius conſtituit edere, & mihi dedicare *Diſſertationem de Magiſteriali cantu*, atque

atque ſimul *de Druidibus, aliiſque vatibus, & cantoribus* aget, & cum vir ille ſit revera doctiſsimus, habebimus proculdubio quibus nos oblectare, & eruditionis uſuram, ut *Seneca* alicubi loquitur, extendere poſſimus.

Otto Sperlingius vulgabit propediem opinionem paradoxam, *Iudeos nempe, ne quidem tempore Salvatoris noſtri Moneta ſignata uſos fuiſſe*; egit ea de re meorum, litteraeque ſunt ἀγαμφιλόγως lectu digniſſimae. Ex Germania adlata ad nos eſt *Thomae Ittigii Appendix Diſſertationis de Haereſiarchis aevi Apoſtolici &c.* quae ce te elegans & erudita eſt; ſed quae de Paſſalorynchitis notat, tam in ipſa diſſertatione, quam in appendice, lucem aliquam acciperent ex iis, que obſervavi pag. . . *Harpocratis mei*, niſi me plane fallo. *Egelingius* ibidem publicavit *Diſſertationes de Miſcellaneis Germaniae Antiquitatibus*, quarum 1. agit, *de Vocabulo Germaniae*, 2. *de Caucis*, 3. *de urbe Germaniae Phabirano* laudata *Ptolemaeo*, quam ille *Bremam* putat fuiſſe; aliae has ſequentur; ſed non bene mihi cum exteris eruditis videtur agere, quia maxima earum diſſertationum pars Germanica lingua eſt conſcripta. *Veterum* etiam *Epiſtolarum Hibernicarum Sylloge* ante ab *Uſſerio* publicata; ibidem novis typis eſt deſcripta, & prodierunt variae Diſſertationes, in quibus explicantur Nummi veteres; quorum unus praecipue notandus *Septimii Severi*, qui nobis *Martem* ob oculos ponit geſtantem brachio ſcalas, & manu ſiniſtra clypeum, dextra vero haſtam; totum nudum, niſi quod caput ſit tectum galea, & medium corpus ambiat

ſa-

faſcia anguſta ; cumque a *Bizyenis* Thraciae populo percuſſus ſit, haud abſque ratione ſuſpicatur *Olearius*, illos voluiſſe conſervare memoriam capti per *Septimii Severi* militem *Zyzantii*. Vale plurimum. Daventriae 12. 22. Iun. 1696.

EPISTOLA XX.

Accepi litteras, quas Florentia 10. 18. Iul. nec non 5. Auguſti diebus ad me dediſti, & ſingularem voluptatem, credas velim, ex earum percepi lectione; cum quia animadvertebam, benevolo Te ſemper in me animo eſſe, tum quia cognoſco eadem opera, qui libri in Italia edantur. Certa enim ad eruditionem via eſt noſcere libros, ut ita eos inſpicere & conſulere poſſis, ſi quid earum rerum, de quibus agitur, penitius cognoſcere velis. Et propterea ſedulam operam dabo, uti ad me ex Italia veſtra deferantur illa quae *Noriſius* eminentis dignitatis & eruditionis vir, & quae *Bonicurius*, doctrinae itidem ſpectatae vir publicarunt.

Lud. Ant. Muratorius eſt revera vir valde eruditus; rogavit me quid ſentirem de variis *Paulini Epiſcopi Nolani* locis, quae extant in carminibus ineditis, in bibliotheca, cui praeeſt, *Ambroſiana* repertis; & quae ego explicare conatus fui ex ſacris *Magnae Matris Mithrae*, *Vulcani*, *&* *Veſtae*; & uti confido me aliquam iis locis in epiſtola longa & antiquitatibus plena lucem

ad-

adfudiſſe ; ita ſpero opellam meam viro illi inſigni non fore ingratam.

Ampliſs. *Copeſius* ad ſuos reverſus eſt; ſed cum per hanc urbem non tranſierit, mihi tam felici non licuit eſſe, ut de humanitate & eruditione Tua cum eo potuerim confabulari ; pro creditis ipſius fidei, mihique donatis libellis gratias ago ; perlegamque eos ſimul ad me fuerint delati, ſumma cum voluptate, praecipue quia a Te proficiſcuntur.

Litterae *Vinc. Gravinae*, & Tuae adcuratae ſunt diligenter, miſitque Vir Cel. ad me *Gravinae* ingenii & dictionis elegantiam eum valde caepiſſe, & de illius opuſculis, quae expectat, praeclari aliquid ſibi promittere.

Opera *Iuliani* (1) Lipſiae edita ſunt, ornata praefatione & animadverſionibus eruditiſsimis *in Orat. Parabatae. Ez. Spanhemii*. Vir illuſtris dignitatis & doctrinae, mihi illud volumen dono miſit non modo ; verum etiam mei perhonorificam facit mentionem in praefatione illa divina, & in animadverſionibus. Egi cum illo de *Aſiarchis*, & *Urbibus Neocoris*, de quibus multa mihi notata ſunt, cum

1 *Iuliani Imperatoris τοῦ παραβάτου*, ſeu *Apoſtatae* opera, quae titulum hunc praeſeferunt. *Iuliani Imperatoris opera Gr. cum Lat. Interp. & Annot. Dionyſii Petavii & Ezech. Spanhemii. S. Cyrilli Alexandriae Archiep. contra Iulianum Libri X. Gr. cum Lat. verſione Nicolai Borbonii, & Io: Auberti, & cum Annot. eiuſdem Spanhemii. Lipſiae* 1696. *fol.*

eum cenſeam illas dignitates nondum ſatis a viris doctis illuſtratas eſſe. Sentit idem *Spanbemius*, conſtituitque de iis diatribam ſcribe e & mihi dedicare; quem honorem ego certe ſummum eſſe exiſtimo, cum nemo in horum ſtudiorum genere, paria cum viro excellenti facere poſſit, iſque revera ſit λυχνίον τοῦ χρυσοῦ γένους.

Editae Traiecti ad Rhenum ſunt uno volumine in 4. *Epiſtolae Marq. Gudii*, inter quas etiam nonnullae Tuarum, multae ad hoc eruditorum ſuperioris ſaeculi, quas in Italia & aliis regionibus collegit, nec non *Sarravii* epiſtolae multae auctiores. Eiuſdem *Gudii notae in Phaedrum* eadem urbe deſcribuntur typis: prodibuntque propediem *Callimachus* cum Variorum notis integris, & commentario ampliſſimo Ill. *Spanbemii*, nec non animadverſionibus *Bentlei* Angli doctiſſimi in fragmenta Poetae *Cyrenenſis*; *& Iulius Caeſar cum notis Dion. Voſſii*, cui *Graevius* noſter adiecit *Iulium Celſum*, fruſtra in plurimis bibliothecis quaeſitum.

Georgius Bullus Presbyter Anglicanus, qui erudite admodum *de Concilio Nicaeno I.* commentatus eſt ante annos aliquot, edidit *Iudicium Eccleſiae Catholicae trium primorum ſaeculorum, De neceſſitate credendi quod D. N I. C. ſit verus Deus, aſſertum contra M. Simonem Epiſcopium, alioſque Amſter.* 1696.

Iacobus Rhenferdus Oriental. Linguarum Franequerae Profeſſor celeberrimus, edidit *Diſſertat. De fictis Iudaeorum baereſibus*, cuius excerpta reperies apud *Tentzelium in Colloquiis Eruditorum*, quae ſingulis menſibus Germa-

manice publicat, in menſe Novemb. 1694. & praeterea *Diſputationes de Sethianis, de Redemptore Marcoſiorum, & Heracleonitarum, nec non de ſaeculo futuro*. In hac oſtendere annititur *ſaeculum futurum* non denotare dies Meſſiae; in illis vero ab *Epiphanio*, *Marcoſios*, *Heracleonitas*, & alios inter haereticos eſſe relatos, cum optimo iure fuerint Chriſtiani, illaque occaſione varia Patris illius loca ex lingua Syriaca docte explicat quae certe lectu ſunt digniſſima. Ibidem *Moſes Solanus*, Gallus edidit *Diſſertationem, Philologicam De ſtylo N Teſtamenti contra Pfochenium*, prodiitque etiam *Ioma*, *Codex Talmudicus*, in quo agitur *de Sacrificiis caeteriſque miniſteriis diei expiatorii cum notis Sheringami*, cui *Iacobus Rhenferdus* addidit *comparationem expiationis anniverſariae Pontif. Maximi in Veteri Teſtamento, cum unica atque aeterna expiatione* D. N. IESU CHRISTI. Vale plurimum. Daventriae 3. Nov. 1696.

Si quando ad *Bacchinum* eruditiſs. & illuſtrem virum ſcribis, rogo vehementem in modum, ut eum meo nomine ſalutare velis, certioremque facere me illius eruditionem facere plurimi, *Copeſiumque* in variis ad me datis litteris magnopere celebraſse viri humanitatem, elegantiam, & non vulgarem doctrinam.

EPI-

EPISTOLA XXI.

TRaditae mihi ſunt litterae, quas 30. Aprilis, & 3. Iunii ad me dediſti, atque ad Cl. *Graevium* curavi binas aliàs una cum *Diſſertatione Scaramucci* (1), nec non tertias ad *Leeuvvenhoekium*, quas omnes fidei meae commiſeras.

Ut autem multa cum iucunditate inde percepi, acceptas Tibi fuiſse ultimas litteras meas, ita facere non poſsum, quin teſter, me plurimam ſemper voluptatem capere ab iis, quas ad me ſcribis, & illas inſervire mirificum in modum relaxando animo meo.

Bulifonio multum debeo, quod mei memor vivat; ſed neſcio quare me vir eruditus vocaverit *Sigiſmondum*; cum nullam illud nomen cum nomine meo habeat convenientiam, vel ὁμολογίαν; rationes tamen habuiſse eum ſuſpicor, quas forte cognoſcam, ſimul ac ad me liber ille fuerit perlatus, ſimiles eiuſdem *Bulifonii* epiſtolas (2) habeo, editas a 1685. & dedicatas Principi Tarſiae.

Noriſii liber & *Bacchini Dialogus* venient mihi acceptiſſimi, & procul dubio Duſseldorpii

1 An. *Io: Bapt. Saramucci Theoremata familiaria Viros eruditos conſulentia de variis Phyſicomedicis lucubrationibus iuxta Leges Mechanicas. Urbini* 1695. *in* 4.

2 *Lettere ſtoriche politiche ed erudite raccolte da Ant. Bulifon* 1685. *e* 1693. *in* 12. *Raccolta terza Napoli* 1693. *in* 12. *Raccolta quarta Napoli* 1697. *in* 12.

dorpii occaſio ſeſe offeret commoda, qua ad me curari poterunt. Ut pro tam ſingulari humanitate plurimum me Tibi debere fateor, ita neſcio quas gratias Tibi reddam, quod mihi conciliaveris amicitiam viri doctiſſimi *Guilielmi Boniour*, qui licet necdum XXX. annos natus ſit, tamen tam ingens & tam eruditum opus molitur, & verbis tam amicis me, licet ignotum plane, compellat; & quod *Bacchinus* etiam, cuius doctrina tam illuſtri loco poſita eſt, Te parario, me amet, & tam honorifice in epiſtola, quam ad Te dedit, de me loquatur. Ex litteris, quis rogo ad viros tam praeclaros curare velis, perſpicient me, licet divortiis tot montium, marium, & fluviorum ab iis diviſum, & alio plane ſub caelo viventem, admirari ſummam eorum doctrinam & humanitatem, nihilque mihi antiquius fore, quam eos obſervare, & colere amicitiam qua me complectuntur. Iam accipe qui libri in Batavis typis deſcripti ſint.

Ioh. Clerici Ars Critica, in qua ad ſtudia linguarum Latinae, Grecae, & Hebraicae via munitur: veterumque emendandorum, & ſpuriorum ſcriptorum a genuinis dignoſcendorum ratio traditur 2. *Vol. in* 8. *Amſtel. apud Georg. Gallet* 1697. liber eſt multa eruditione refertus: & noſti ex iis quae ante miſi, doctiſs. Auctorem multa alia edidiſſe, & quidem eruditos valde *in Moſis Libros Commentarios*.

Theſauri Graecarum Antiquitatum, in quo continentur Effigies Virorum, ac Foeminarum illuſtrium, quibus in Graecis aut

La-

Latinis monumentis aliqua memoriae pars datur &c. Vol. I. auctore *Iac. Gronovio*, *Lugd. Batav.* 1697. *fol.* Auctor ex libris editis, praecipue Romae & in Italia collegit ectypos, qui tempus mythicum ſpectant, & eandem methodum in aliis voluminibus ſequetur.

Geographia antiqua, hoc eſt, *Scylacis Periplus*, *Anonymi Periplus Maeotidis paludis*, *Agathemerus*, & *Anonymi expoſitio totius Mundi* cum *variorum*, & *Gronovii* notis Lugd. Bat. 1697. in 4.

Tomus 4. & 5. *Criticorum ſacrorum Amſtelaedami*, & *Tom. IV.* & *VI Theſauri Antiq. Romanarum Traiecti ad Rhenum* prodierunt.

Bibliotheca librorum novorum collecta a *L. Neocoro*, *Trai. ad Rh. apud Halmam* 1697. *in* 8. & hic eſt novus auctor *Ephemeridum Eruditorum*, vel *d' un Iournal des Sçavans*. Principia ſatis bene ſe habent, & ſi ita pergit, non erunt haec excerpta minimi pretii.

Ioh. Marchii Exegeticae Exercitationes ad quinquaginta loca ſelecta V. & N. Teſtam. Argumenta quaedam praecipua, *De Diluvii Univerſalis modo*; *Tranſitu Iſraelitarum per mare miraculoſo*; *Teraphim*; *Propinquitate Iudicii tempore Apoſtolorum &c. Amſtel. apud Borſtium* 97. *in* 4.

Petri Francii Poemata; editio altera, auctior & emendatior: accedunt *Graeca eiuſdem carmina*: *Amſtel. apud VVetſeen* 97. *in* 8.

Faſciculus octavus opuſculorum, *quae ad Hiſtor. & Philologiam ſacram ſpectant*; *in quo* con-

continetur, *Dilberi Farrago Rituum ſacrorum*, *& ſaecularium* : *Cappelli* Ἐπιματισμοὶ *Epocharum illuſtrium* : *Magius de Gigantibus* : *Roterod.* 97. *in* 8.

Ex Anglia ad nos adlatus eſt *Thucydides*, nitide admodum impreſsus *Oxon.* 1696. cura *Iob. Hudſon*, qui in praefatione nos docet *Dodwellum* editurum propediem *Annales Thucidideos*, una cum *diſſertatione de Anno Attico Vetere*.

Iob. Chriſtophorus VVagenſeilius mihi dono miſit *Deſcriptionem Civitatis Noribergenſis*, cui inſeruit binas diſsertationes & alia, de quibus mecum per litteras egerat : & honorificam valde, pluſquam ſemel, mei facit mentionem, Teque etiam valde laudat pag. 8.

Ex Galliis ad nos adlata eſt *l' Hiſtoire de France depuis l' etabliſſement de la Monarchie Françoiſe dans les Gaules, avec des notes, & des diſſertations ſur divers points de cette hiſtoire, par le P. Gab. Daniel ; Et l' Hiſtoire Evangelique confirme'e par la Iudaique & la Romaine par le R P. Dom. Paul Pezron* : qui libri certe digniſſimi ſunt ut legantur ; ſed nimis diu patientia tua abutor. Vale. Daventriae 14. Iul 1697.

Faſciculum a *D. Luca Gramberti* recepit *Bilderbekius*, Ordinum Coloniae Reſidens ; is eum ad me curabit.

EPISTOLA XXII.

Spero Tibi redditas eſse litteras, quas 14. Iulii proximi ad Te dedi, & curatas eſse,

eſse, quae intus erant incluſae, ad *Bacchinum*, *& Guilielm. Borjour*.

Ecce tibi nunc *Hiſtoriam trium Gordianorum*, quam compoſui horis ſubciſivis, quamque ut publicarem, amici a me impetrarunt. Oppoſita eſt *Hiſtoriae quatuor Gordianorum*, quae nuper in Galliis prodiit, nec dubito, quin illa ſe probatura ſit Tibi, aliiſque πεπαιδευσμένοις, cum *quartum Gordianum* refutent ipſa illa argumenta, quibus vir eruditus utitur ad eum adſerendum.

Rogo ut exemplaria reliqua curare velis ad Eminentiſs. *Noriſium*, praeſtantiſsimoſque Viros *Fabrettum*, *Bacchinum*, *& Guiliel. Bonjour*, ad quos ultimos ſcribere non potui propter negotia.

A *Lud. Antonio Muratorio* Bibliothecae Ambroſianae apud Mediolanenſes Praefecto pereruditas litteras accepi menſe Septembri an. 1696. binas ad Virum praeclarum dedi, ſed cum non reſpondeat, id quod tamen ſe facturum recipiebat, angor animi & vereor aliquid humani illi accidiſse; in quod Te inquirere velle etiam atque etiam rogo. Valde enim me eiuſmodi inopinus, & triſtis caſus affligeret, cum ex iis, quae mecum communicavit, perſpiciam, eum natum eſse litteris iuvandis, & editurum propediem praeclara *S. Paulini Fragmenta*, quae in MSS celeberrimae illius Bibliothecae reperit. Vale. Daventriae 28. Iul. 1697.

EPISTOLA XXIII.

Quam acephalam edimus, ſicut in Autogr. invenimus.

in Chriſtianorum, cuiuſcunque demum ſectae ſint, manibus verſentur: Auctor magna eruditione praeditus eſt; uti vel nos docent *Marmora Oxonienſia*, quae cum *Arundellianis* ab eo ante aliquot annos edita, & poſt *Seldenum* illuſtrata ſunt.

Ex eadem lingua in noſtram verſi ſunt duo libri *Gutelmi Scherlokii*, quorum prior inſcribitur: *Modeſta ratiocinatio de morte*, & alter: *Pia ratiocinatio de extremo Iudicio*: videturque etiam diſserere velle *de Coelo* vel *Beatorum*, & *de Inferis*, *vel damnatorum ſede*; ſi quid mihi credis, credis autem plurimum, perſuaſiſſimum habe neminem inventum iri Chriſtianum, qui non ex iis libris ſummum fructum percipere poſſit, tam piis, & tam ſolidis argumentis auctor doctiſsimus haec Religionis Chriſtianae capita explicat, atque defendit.

Tomus VI. & VII. Bibliorum Criticorum vulgati ſunt, adeo ut magno illi operi propediem ultima ſit imponenda manus. Prodiit etiam ex Anglica lingua verſa nova Orbis terrarum periodus, vel circumnavigatio, facta ab anno 1670. uſque ad 1691. a *Gutelmo Dampier*, additae illi ſunt tabulae Geographicae, & variae aeri inciſae, Hagae Com. in 4. typis *Abrahami de Hont*. Praeterea

terea *Chriſti Divinitas*, *Humanitas*, *& ſatisfactio*, *nec non diſſertatio de Tranſubſtantiatione*, auctore *Ioh. Tilliſton Archiepiſcopo*, dum viveret, Cantelbergenſi & Primate Angliae: Ultraiecti apud Broedelet 1698.

Nunc agam Tecum de libro, qui in varias partes lectores diducit, aliis exiſtimantibus illum genuinum, aliis vero ſuppoſitum eſſe, titulus illi eſt: *L' Epion dans les Cours des Prences Chretiens, ou Lettres & Memoires d' un Envoie ſecret de la Porte dans les Cours de l' Europe, ou l' on voit les decouvertes qu' il a faites dans toutes les Cours, ou il s' eſt trouvè, avec une diſſertation curieuſe de leur forces, politique, & Religion.*

Continet hic liber hiſtoriam ab anno 1639. uſque ad 1682. & IV. iam tomi typis deſcripti ſunt, quibus comprehenduntur res praecipuae, uſque ad annum 1661. Praefacio nos docet autographum Arabicum inventum eſſe Pariſiis ab Italo quodam, qui illud in linguam ſuam traductum vulgavit; *Iulium de Medicis* celebrem doctrina, & natalibus (Sereniſs. Mediceae Domui adſcribitur) Ferrariis commorantem donaſſe exemplar diviſum in VIII. tomos Anglo nobili; illum curaſse illud verti in gentis ſuae linguam, & inde factam eſse verſionem Gallicam, cui titulus modo memoratus praefigitur. Sunt qui omne hoc opus impoſturis adſcribunt, qui ſibi vix perſuadere poſsunt, *Turcam*, talem enim ſe eſse auctor confitetur, tot arcana aulae praecipue Gallicae detegere potuiſse, gnarum adeo fuiſse hiſtoriae veteris, & legiſse omnes fere hiſtoricos Grae-

cos, & Latinos, atque inde frequentiſsime exempla petere. Alii è diverſo putant neminem Chriſtianum, licet Sanctam Religionem fere eiuraverit, poſse inveniri, qui Machumedis placita, tam exquiſite laudet, & damnet quicquid D. N. Ieſus Chriſtus nos docuit, atque adeo Divino illi Nomini, horreſco referens, maledicat. Tu igitur Illuſtris Magliabechi, cum ſis πανσοφώτατος, me quaeſo doce, num unquam eiuſmodi liber apud vos editus ſit, quidque vel Tu ipſe, vel alii eruditi de eo ſentiant, quod ſi mihi, atque adeo communibus ſtudiis dare velis, plurimum certe Tibi ero devinctus.

Gronovius pergit in concinnando Theſauro Antiquitatum Graecarum, & *Perizonius* totus eſt in illuſtranda *AEliani varia Hiſtoria*, in quam paratum habet inſignem, & diffuſum, ut audio, commentarium.

Rogo ut cures litteras ad Bacchinum, & Boniourium, & vale. Davent. 15. 25. Dec. 1697.

EPISTOLA XXIV.

EX litteris, quas ad me XII. proximi Decemb. die ad me dediſti acceptiſsimas, non ſine quadam commotione animi perſpexi, *Muratorium* non modo non inſeruiſse Notis ſuis in Anecdota *Paulini Carmina* (1) *Epiſtolam*, quam ad eum rogatus ſcripſi; verum etiam nullam mei facere mentio-

1 *S. Pontii Meropii Paulini Epiſc. Nolani Poemata quatuor*; extant inter *Anecdota ex Am-*

tionem. Feciſset illud proculdubio Vir ſpectatae humanitatis, & candoris, ſi eam recepiſset, quod tamen cum ignorem plane, recte me facturum exiſtimavi, ſi ad Te verboſae illius epiſtolae exemplum mitterem, ut inde perſpicere quaeas, an eadem ad obſcura illa loca illuſtranda annotaverit doctiſsimus *Paulini Fragmentorum* editor.

Alias ad eundem 15. 25. Maii literas dedi, in quibus INVICTVM ex nummis nonnnullis illuſtraveram, & docueram *Stercus*, honos ſit auribus, pro ſordibus vel ſcoria inveniri apud *Scrib. Largum* c. 8. & 55. Mirum utique, ſi ambae illae epiſtolae male curatae ſunt, cum contra Tuae atque meae nunquam intercipiantur aut intercidant.

Vtinam fragmenta illa haberem! nam uti ex ungue leonem, ita ex ſpecimine ad me per *Muratorium* miſso, cognoſco quot abſconditae, & interioris eruditionis arcana illis contineantur. Quod ſi nulla Tibi commoda occaſio ſeſe offert propediem, mitte, amabo, exemplar ad optimum Calkbernerum, qui illud diligenter curabit, & ſi ipſius *Muratorii* epiſtolam legere deſideras, eam quoque haud gravate a me feres.

Provocationem *Broekhuſii* (is enim eſt Centurio Amſtelaedamenſis) nullam vidi, credo eam typis deſcriptam non eſse, quia apud bibliopolas non invenitur, & mecum au-

broſianae Biblioth. Codicibus eruta, notis ac diſquiſitionibus aucta a Ludov. Ant. Muratorio Tom. I. Mediolani 1697. *in* 4.

auctores talia non communicant, quia cane peius & angue eiuſmodi rixas odi, quanquam digni nonnulli moroſi, & faſtidioſi homines ſint, qui ita defricentur.

Curabo bona fide Schedulam, & ſpero redditos tibi eſse *Gordianos* tandem meos, nec non litteras Decembri proximo ad Te miſſas, quibus iunctae aliae erant ad *Bacchinum*, & *Boniourium*, viros certe eruditiſsimos. Tolles, uti equidem ſpero, ſcrupulos, quos mihi iniecit in Gallicam linguam verſus liber, cui titulus, *L' Epion de la Cour*, idque te facere velle, etiam atque etiam rogo; & quidem poſthabitis aliis rebus, quia magno teneor deſiderio cognoſcendi, quid tandem hoc de negotio ſtatuendum ſit.

Gordiani mei omnibus, praefiſcine dixerim, placent; poſsem illos valde augere ad illuſtrandam temporis illius hiſtoriam, quae, ut verum fatear, a viris etiam doctiſsimis non ſatis commode diſpoſita eſt; cum ſaepe eveniat, ut unus veteris auctoris locus male intellectus, aliis erroribus viam pandat. Sed vita, quam ago, negotioſa, non ſinet, ut de nova editione cogitare poſsim. Tu vale, Illuſtris Antoni, & me, quod facis, amare perge. Vale. Daventriae 5. 15. Feb. 1698.

EPI-

EPISTOLA XXV.

Litterae quas ad me dediſti 6. Maii, & 7. Iunii, recte curatae ſunt, una cum epiſtolis *Bacchini*, & *Boniourii*, necnon eruditis curis *Io. Antonii Aſtorii*, ex quibus ſummam voluptatem & ſingularem fructum percepi; atque inde facili opera perſpicies, me plurimum Tibi debere, quod tanquam Dominus apparatiſſimae caenae, tam delicata bellaria ad me miſeris.

Spero Te recepiſſe epiſtolas, quas miſi 15. Febr. & 23. April. quanquam illud non ſignifices, neque etiam loquaris de rebus, quas cognoſcere vehementer deſidero. Sunt Tibi proculdubio rationes, & propterea de negotio illo ne verbum quidem poſtea; ſed ſignificabo tantum me accepiſſe *Boniourii* diſſertationem, & apud bibliopolas noſtros inveniſſe Carmina *Paulini* a *Muratorio* explicata. Perlegi illa avidiſſime, & animadverti explicationes meas notis Viri eruditi non inſeri, ſed alios ſimilia monuiſſe; nonnullis locis miniatulas ceras appoſui, quas tamen neſcio an probaturus ſit *Muratorius*. Mittere eas ad Virum praeſtantis ingenii, & Ritus Chriſtianos adprime edocti, nullus audeo; quia ſilentium illud pertinax mihi perſuadet, eum non delectari hocce litterarum commercio, quod tamen ipſo duce & auſpice inter nos coeperat.

Litteras a Turca quodam ſcriptas, didici poſtea genuinas haberi a *Gallo*, cuius epi-

epiſtola edita eſt in Itinerario eleganti, cui titulus: *Voyage de Suiſſe, Relation Hiſtorique continue' en douze lettres, ecrites par les Sieurs Reboulet, & Labrune, a un de leurs amis de France. A la Haye, chez Pierre du Glaſsò 1686. in 12.* nam ita loquitur enarrans & deplorans perſecutionem, qua Reformati in Galliis premuntur: *Si nous etions Mahometans, & qu' on nous eut convertis par force, nous pourrions ſans y faire attention, nous adreſſer a notre Prophete, & lire dans notre Alcoran, a l' exemple de ce fameux Arabe, qui s' eſt cachè ſi long temps en France pour les interets de ſon maitre. Un Mufti nous pouroit abſoudre, comme Mahmet l' avoit etè, bien qu' il aſſiſta a des myſteres, qui ſelon luy etoient idolatres.* Integrum locum tecum communicare volui, quia vix credo libellum illum Alpes tranſiviſſe, ob varias hiſtorias quas complectitur, quaſque in Italia veſtra legere, uti perſuaſus ſum, piaculum foret.

Bacchino, *Boniourio*, & *Fabretto*, nam ab eo etiam litteras recepi, reſpondebo, ubi domum Traiecto ad Moſam rediero; eo enim me intra paucos dies conferam ad viſendam filiam, quam ampliſſimae ibi conditionis, & fortunae viro in matrimonium dedi; & ſimul adibo Tungros & Leodienſes, omnemque movebo lapidem, ut mihi parem antiquam aliquam ſupellectilem, vel nummos, qui frequentes illis in agris inveniuntur.

Amo te, quod mittas, librorum, qui prodierunt in Italia, titulos, & ſpero ad

nos

nos propediem deportatam iri Epiſtolam, quam *Pagius* ad *Noriſium* ſcripſit: *Obſerv. hiſtoricas in Numiſmata maximi moduli Card. Carpignae* (1), necnon alias aliorum Diſſertationes, quarum facis mentionem.

In Batavis prodierunt *Tom.* 7. & 8. *Theſauri Antiquit. Romanarum*, & 2. & 3. *Graecarum*.

Th. Gatackeri Opera critica; Marci Antonini Imp. de rebus ſuis, & opuſcula varia ex Anglica in Latinam linguam translata; Traiect. ad Rhen. fol.

Novum Teſtamentum D. N. I. C. ex verſione vulgata, cum paraphraſi & adnotationibus Henr. Hammondi, ex Anglica lingua in Latinam tranſtulit, ſuiſque animadverſion. illuſtravit, caſtigavit, auxit Ioh. Clericus, 2. Tom. Amſt. fol.

SS. Patrum, qui temporibus Apoſtolicis floruerunt, Barnaba, Clementis, Hermae, Ignatii, Polycarpi Opera edita & inedita, vera & ſuppoſititia, una cum Clementis, Ignatii, Polycarpi Actis atque Martyriis: I. B. Cotelerius ex MSS. Codicibus eruit ac correxit, verſionibuſque & notis illuſtravit. Acceſſerunt in hac nova editione notae integrae Virorum doctorum, qui in ſingulos Patres ſcripſerunt, & Beveregii, Uſſerii, & Pearſonii varia: Recenſuit & notulas aliquot adſperſit Ioan. Clericus, 2. Vol. Antuerp. Huguetanorum ſumptibus.

Ex

1 *Filippo Buonarroti: Oſſervazioni Iſtoriche ſopra alcuni Medaglioni antichi. Roma* 1698. *in* 4.

Ex Anglico in Belgicum idioma verſi prodibunt propediem bini eruditiſsimi *Guielmi Cave Angli* libri, quorum hi tituli:

Eccleſiaſticae antiquitates, ſive deſcriptio Vitarum, Actorum, Mortium, & Scriptorum, praecipuorum Patrum, qui floruerunt ſaeculo quarto; enarratur etiam ortus & progreſſus Arrianorum, & aliarum Sectarum.

Antiquitates Apoſtolicae, ſive Vitae, Acta, & Martyria SS. Apoſtolorum, Evangeliſtarum, & Patrum uſque ad finem ſaeculi quarti. Additur Diſſertatio de terno Eccleſiae ſtatu ſub Patriarchis, Moyſe, & Evangelio, cum alia Herm. VVitſii, in qua Theologus magni nominis doctrinam Pauli, & Iacobi de Iuſtificatione perpendit.

Hi libri certe ſunt eruditiſſimi, & digni qui legantur ab omnibus Chriſtianis; quia abſque partium ſtudio ſingula examinantur. *Antiquitates Apoſtolicae* in linguam Germanicam iam verſae ſunt, uti patet ex *Colloquiis*, quae menſtrua eodem idiomate, ad inſtar *Actorum Eruditorum*; edit *VVilh. Erneſtus Tentzelius*, menſe *Febr.* 1697. ubi erudite imprimis agit Vir ille doctiſsimus de *Adventu D. Thomae ad Indos*. Scripſit nuper ad me epiſtolam & amicitiam meam petit; ſignificatque ſimul ſe *VVaesbergiis* dediſse epiſtolam, quam de *Sceleto Elephantino* ad Te ſcripſit olim (1), eamque editam iterum

1 *VVilh. Ern. Tentzelii Epiſtola ad Ant. Magliabechium De ſceleto Elephantino Tonnae effoſſo: Gothae* 1696. *in* 8. Prodiit iterum auctior *Ienae* 1696. *in* 8.

rum iri cum Iudiciis variorum Eruditorum Italorum, Gallorum, Germanorum, & Belgarum, aliorumque.

Ego certe multum laetor, Virum tam inſignem eo loco habere qualemcumque meam eruditionem; & ambabus, quod aiunt, manibus amplexus ſum oblatam amicitiam, quam etiam colam ſancte, & religioſe, ſicut meus eſt mos.

Multum debeo eruditis Venetis, quod *Gordianos* meos inſerere velint *Porticui*, quam edunt *Minervae* (1), dabo Operam ut *Ephemerides* illae ad me deferantur, & ſi quando novam libelli iſtius editionem vulgabo, non deſinam publice eorum erga me laudare benevolentiam.

Ex Germania varii libri ad me ſunt miſsi, qui ſuas elegantias habent, ſed quoniam perſuaſus ſum, eorum titulos, vel eos ipſos inde ad Te mitti, importunus forem, ſi eos Tibi annumerare vellem.

Gratias, quas par eſt, ago, de recte curatis *Gordianis* meis; & multum laetor illos Tibi, aliiſque Viris eruditis probari: faciunt haec iudicia, in tempore & apud poſteros praecipue, cum obtrectationis invidia deceſserit, mihi profutura, ut de aliis lucubrationibus meis edendis cogitare incipiam. Vale plurimum. Dav. 6. 16. Iul. 1698.

Iulius Perini mihi reddidit ante aliquot hebdomadas epiſtolam tuam commendatitiam; eum

1 *La Galleria di Minerva raccolta da Girolamo Albrizzi: Venezia 1696. & ſeq. in fogl.*

eum ſi adiuvare potero, nihil certe unquam in me deſiderabit; uti cognoſcere inde poſſis, quo loco apud me ſit amicitia Tua.

EPISTOLA XXVI.

EX litteris, quas tam ad me, quam ad *Graevium* noſtrum dediſti 17 Iulii proximi die, didici, qui Libri in Italia veſtra editi ſint; & ſimul accepi epiſtolam *Olai Celſii de Runis Helſingicis* (1), necnon quas mihi miſerunt *Bacchinus*, & *Boniourius*, quibus nunc etiam, ut vides, reſpondeo tandem.

Diſſertatio Boniourii de Ioſephi nomine (2) mihi reddita eſt; & *Anecdota Paulini* hic mihi comparavi; & laetor valde Viros praeſtantis adeo ingenii, tam diligenter pergere in promovendis ſtudiis, ad quae ſe adplicuerunt. Et quidem *Muratorius* multam gratiam apud eruditos iniret, ſi ederet novam *Marmorum collectionem*, quam promittit p. 9. ut & *Bachiarii Apologiam*; *S. Maximi Epiſcopi Taurinatis* ſermonem, *De Idolis auferendis*;

1 *Olai Celſii de Runis Helſingicis Epiſtola*. *Romae* 1698 *in* 4.

2 *Guil. Boniour Diſſertatio de nomine Patriarchae Ioſephi a Pharaone impoſito, in defenſionem vulgatae editionis, & Patrum qui Ioſephum in Serapide adumbratum tradiderunt. Appendix de tempore Iſiorum in aetate Gemini. Appendix altera de tempore Serapiorum, & Paſſionis S. Marci Evangeliſtae. Romae* 1696. *in f.*

dis ; Philippi, qui fuit diſcipulus *Hieronymi*, *fragmenta Commentarii in Iobum*, quorum itidem nobis ſpem facit p. 16. 19. & 79. Vides me haud perfunctorie legiſse Viri preſtantis notas ; ſed miror ſummopere, me ab eo nullas litteras accipere, licet eum bis terve verbis compellaverim amiciſsimis ; forte non male conſuleret ſtudiis communibus, ſi non amplius litaret *Sigalioni* ; obſervavi enim pluſcula in *Paulini Anecdotis*, quae examine Viri eruditi, ſi quid video, non erunt indigna ; & quae *Vitam S. Paulini* ſpectant, licet ab eo, nec non aliis, haud infeliciter illuſtratam.

Accipe nunc, qui Libri noſtro in orbe editi ſint. *Critici Sacri* in 9. Tomos diſtincti abſoluti ſunt, & vulgati ; aucta haec editio eſt variis adnotationibus, & diſsertationibus ineditis.

Chriſtiani Hugenii Κοσμοθεωρος, *ſive De Terris coeleſtibus, earumque ornatu conjecturae : Hagae Com. apud And. Moetiens* 1698. *in* 4. Liber hic variis rumoribus differtur, quanquam Illuſtris Auctor tantum probabile putet eſse, non autem tanquam rem certam defendat, vel homines, vel animalia in Planetis nonnullis eſse. Noſti iam olim Philoſophos quoſdam credidiſse Lunam habitari, & notior eſt *Luciani* ea de re luſus, quam ut neceſse ſit eum apud Te commemorare.

Fred. Spanhemius edidit *Diſſertationem Hiſtoricam de Philipporum temere credito Chriſtianiſmo* in quarto Lugd. Batav. Sane pereruditam, & perelegantem. Egi etiam

olim de eodem argumento cum *Ottone Sperlingio*, examinaveramque orbem vitreum, quem Ill. *Ciampini* ediderat; illum non vidit *Spanhemius*; ſed ego putabam parum in eo praeſidii eſse; quanquam alia ſint quae ſuadeant *Philippos*, ſi non publice, at ſaltem privatim fuiſse Chriſtianos, vel ab eorum Religione non averſos. Laudat autem valde *Spanh.* Diſsertat. meam de *Tribus Gordianis*.

Iob. Marchii in Ioelem, Hamoſum, Hobbadiam, & Ionam commentarius, ſeu analyſis exegetica, qua Habraicus Textus cum verſionibus veteribus confertur, vocum, & phraſium vis indagatur, rerum nexus monſtratur, & in ſenſum genuinum cum examine variarum interpretationum inquiritur: Amſtelaedami, excudit Gerh. Borſtius An. 1698. *in* 4.

Iob. Voet ICti, & Anteceſſoris in Academia Lugduno-Batava Commentarius ad Pandectas, in quo praeter Romani Iuris principia, ac controverſias illuſtriores, Ius etiam hodiernum, & praecipuae fori quaeſtiones excutiuntur: pars prior continens 22. *Libros priores. Lugd. Batav. apud Iob. Verheſſek* 1698. *fol.*

Theodorus Achersloot, & Ioannes Creyghton Verbi Divini Miniſtri Belgice illuſtrarunt *Epiſtolam Pauli ad Hebraeos; illiuſque liber typis deſcriptus eſt Hagae Comitis; huius Franequerae* 4.

Ioannis Lenſii Lectiones Lucianeae ad I. G. Graevium V. Cl. ſuper aliquot Diodori Siculi locis epiſtola: Hagae Com. apud M. Vitvverf 1699.

1699. 8. *Lenſius* ille eſt Rector Hagae Comitis, & Graece doctiſsimus, adeo ut ne eum quidem minutiſsimi fugiant errores.

Bibliotheca Nicolaiana in duas partes diviſa: quarum prima libros continet, altera Numiſmatum, ac Operis Priſci Theſaurum. Omnia multo iudicio & aſſiduo labore collegit Nobiliſs. Iuvenis (erat enim natus annos XXIV.) *Cornelius Nicolai. Amſtel. ſumptibus Haeredum*, 8.

Graevius, & *Gronovius* pergunt gnaviter in adornandis *Theſauris Romanarum*, & *Graecarum Antiquitatum*, & credo illis anno proximo ultimam manum imponendam eſse.

Gerbardus Noot, Anteceſſor Lugduno-Batavus edidit *Tractatum de Uſuris*, qui avide legitur, & laudatur. Vale plurimum. Daventriae 15. 25. Nov. 1698.

Litteras quaeſo ad *Bacchinum*, *Fabrettum*, & *Boniourium* claudas & cures.

EPISTOLA XXVII.

QUas ad me dediſti ſecundo Maii die litteras, recepi; & multum laetor, quod ultimae meae Tibi attulerint haud tralatitiam voluptatem. Tuae illae mihi venerunt etiam acceptiſsimae, cum quia a Te amico veteri, proficiſcebantur; tum quia *Boniourii Diſſertationem* doctiſsimam comitem habebant. Plurimum illo nomine Viro inſigni debeo, & ſingularem fructum ex libri

iſtius lectione percepi ; laetabarque eo magis , quia donum hoc non modo me certiorem facit amicitiae erga me ſuae , verum etiam , quia honorificam mei pag. 16. facit mentionem .

Doleo *Muratorium* non recepiſse epiſtolam meam , & cum illius exemplum penes Te ſit , rogo etiam atque etiam ut eius copiam praeſtantis doctrinae Viro facere velis ; ut inde perſpiciat , quid mihi olim venerit in mentem , & quid chartae illeverim , ad tollendas difficultates quas epiſtola fuerat complexus . Ex notis poſtea *Muratorii* cognovi INVICTVM etiam ex ſententia *Philippi Bonarotae* , & *Proſperi Mandoſii Solem* vel *Mithram* eſſe ; & deſidero vehementer cognoſcere , quid Vir inſignis de reliquis meis explicationibus ſentiat ; ad quem alias coniecturas mittere poſsem , ſi gratam illi & acceptam hanc opellam meam futuram ſcirem ; meque haud perfunctorie *Paulini Carmina* legiſse docebit Te epiſtola , quam , ut vides , ad *Bonjourium* mitto . Vale plurimum . Dav. a. 12. Iul. 1699.

EPISTOLA XXVIII.

QUi haſce Tibi , Vir Illuſtriſsime , tradent literas , ſanguine , & affinitate mihi meiſque iuncti iuvenes ſunt , nati Illuſtriſsimis & ampliſsimis parentibus .

Unus eorum genitus eſt *D. Barone de Kinſby* Praefecto ſummo Comitatus Meurſani , alter vero *D. de Bilderbech* , qui Reſi-

ſidentis, ut vocant, munere Coloniae Agrippinae fungitur, ab Ordinibus Foederatorum Belgarum Generalibus eo miſsus.

Et cum mihi Tecum iam inde a multis annis firmata fuerit amicitia, Tuque ſummopere faveas iuvenum honeſtis, & praeclaris conatibus, recte, nec Tibi ingratum me facturum exiſtimavi, ſi hos agnatos meos de meliore nota Tibi commendarem.

Paternos lares relinquunt ad omnia egregia nati & educati Iuvenes, ut fruantur Iubilaei proximi ſolemnibus, utque videndo mores hominum excolant animos, mentemque in melius quotidie forment, atque ita ſeſe aptiores reddant capeſsendae Reipubl. cui proculdubio aliquando admovebuntur.

Suſcipe igitur eos benigne, & ſi quid mea cauſa vis, Te autem plurimum velle certus ſum, videant tua opera, quae admiranda ſervat Urbs ſplendidiſsima Florentia, & praecipue Aulam Sereniſsimi Magni Ducis, in qua reconditum, & per diverſa cubicula digeſtum eſt quidquid rarum, quidquid egregium, quidquid pretioſum, ſive tabulas, ſive numiſmata, ſive gemmas, & res alias innumeras ſpectes, & priſca, & noſtra aetas tulit.

Fidem tibi facere poſsum, Iuvenes hos moribus eſse plane compoſitis, & alienos plane a vitiis, quae adoleſcentiae. & Iuvenilis fervoris fere comites eſse ſolent; adeo ut eos tuto amicis, quos Romae, vel alibi habes magno numero, commendare

poſsis; ut ita & eorum conſiliis adiuvari, & ſimul commode ſpectare queant, quae illis in Urbibus mirantur omnes advenae, & ſuſpiciunt optime merito. Vale plurimum. Daventriae 20. 30. Aug. 1699.

EPISTOLA XXIX.

Redditae mihi ſunt litterae, quas XIV. Nov. & XVII. ad me dediſti; & ecce Tibi reſponſum ad litteras *Boniourti* doctiſsimas, quod rogo etiam atque etiam, ut ad Virum praeſtantis ingenii, non ſecus ac alteram epiſtolam ad Rev. *Bacchinum* curare velis.

Bilderbequium, quem commendaveram, Tibi placuiſse multum laetor, nec deſinam Patrem illius, virum ampliſsimum, certiorem facere benevolentiae, & humanitatis erga illum Tuae; quas etiam valde celebrat Iuvenis, Teque, ut optimum, & diligentiſsimum, fideliſsimumque Myſtagogum laudat litteris Roma ad me datis.

Quae ad eruditionem interiorem pertinent, cognoſce, ſi tanti, ex litteris apertis; & qui libri in orbe noſtro editi ſunt ex Catalogo, quem mitto. Vale. Davent. 8. Febr. 1700.

VV. Singeverdii Prof. Philoſoph. Inquiſitiones experimentales, quibus praeter particularia nonnulla phaenomena, Aeris natura explicatius traditur, partium eius conſtitutio, figurae, preſſio, operandi modus, effecta &c. praecipuis huius aevi experimentis, Antlia imprimis Pneu-

matica

matica peragendis eruuntur, illuſtrantur, confirmantur. Adiectae ſunt Ephemerides indicantes noſtri aëris conditionem, eiuſque viciſſitudines, quae ſingulis obtinuere diebus a Cal. Feb. A. 1697. ad finem ſubſequentis A. 1698. apud Corn. Bouteſteyn, in 4. 1700.

Ioh. Frid. Hornii Architectonica de Civitate, quam notis illuſtravit, ac Indice locupletiſſimo auxit Simon Kuchenbecker, 12. Ibid.

Nicolai Vallerii Tentamina Phyſico-Chymica circa aquas Thermales Aquisgranenſes. Ibid. in 8.

Hſtoire du Regne de Lovis XIII. Roy de France par M. Michel le Vaſſor. A Amſterd. Chez Pierre Brunet 1700. 12.

Lettre Paſtorale de M. l' Archeveque de Paris aux nouveaux Reuis de ſon Dioceſe, avec des Remarques A Amſterd. Chez Dan. Pain 1700. in 4.

Traitte de l' Autorite des Rois, touchant l' adminiſtration de l' Egliſe par M. Talon, cidevant General. A Amſterd. Chez le meme 1700. in 8.

Antonii Van Dalen Poliatri Harlemenſis de Oraculis Veterum Ethnicorum Diſſ. II. quarum nunc prior agit de eorum origine atque Auctoribus; ſecunda de ipſorum duratione & interitu. Ed. 2. plurimum adaucta: cui accedunt Diſſertatiunculae, 1. De ſtatua Simoni Mago, ut praetenditur, erecta, qua occaſione agitur de Chreſto Svetonii. 2. De Actis Pilati, illaque occaſione cur Auguſtus Caeſar Dominus appellari noluerit: 3. De conſecrationibus, cum fig. Amſtel. apud Boomios.

Faſcis IV. Exercitat. Philologico - Hiſtoricarum, complectens VVilb. Mommae orat. de Adparitionibus I. C.: Kirchmaegeri Differt. de Paradiſo, Ave paradiſi &c. Ioh Cluveri Computum Chronologicum: Kremayeri differt. de Vita Chriſti: Strauchii de B. Virg. Mariae Natalibus: Butneri hiſtoriam Ioannis filii Zachariae: Et Noldii hiſtoriam Idumeam, ſeu de Vita, & geſtis Herodum: Lugd. Bat 8. 1700.

Melanges d' Hiſtoire & de Litterature, recuillis par M. de Vigneul Marville: a Rotterdam chez Elie Tvans. 1700. 8.

Hiſtoria & Vita D N. I C. Belgice verſa ex Anglico Ieremiae Taylor Epiſcopi in Irlandia: Trai. ad Rh. 1700. *fol. cum figuris aeneis.*

Corn. Nepotis Exc. Imperatorum Vitae: Ariſtomenis Meſſenii Vita ex Pauſania. Oxon. 8. 1698. Adiecit vir doctus, qui editionis curam habuit, Icones aliquot Impp. quas ex antiquis nummis aut marmoribus, aut *Goltzio* deſumptas fictitias eſse non putat; ſed tamen certus ſum multas ſuppoſitas inter eas etiam num eſse; praecipue quae ex nummis expreſsae ſunt; cum Graeci non ſoliti fuerint Ducum vel Impp. ſuorum vultibus nummos ſignare: Neque enim mihi fiet veriſimile *Lyſandrum*, *Epaminondam*, *Cimonem*, *Ageſilaum*, in nummis a Graecis Vrbibus libertatis ſuae tenaciſsimis, fuiſse ſignatos; & tamen horum vultus nobis hic exhibentur, ex nummis genuinis, uti putant, deſumpti; quibus an album calculum adiecturus ſis, valde equidem dubito.

Atque ita fictitium eſse *Timothei* nummum,

mum, quem in Diſſertatione de PIETATE deſcribit *Ioh. VVeidnerus* exiſtimo: in eo hinc cernitur caput ΤΙΜΟΘΕΟΥ ΑΘΕΝΑΙΟΥ, inde Sacerdos velatus &c. & ΙΕΡΟΝ ΕΥΣΕΒΕΙΑ, & multo minus eum cum viro erudito retulerim ad *Timotheum Tacito* laudatum Antiſtitem tempore *Ptolemaei I.* ceremoniarum; atque in eundem cenſum refero, quos viri eruditi nobis illuſtrium Impp. ad *Corn. Nepotem* venditant. Et haec quidem *ὡς ἐν παρόδῳ*.

Bilibra veritatis, & rationis de Verbo Dei Librae Ioh. Steph. Rittangelii, & Appendix Ioſepho de Voiſin, Raymundoque Martini oppoſita: praemiſſa eſt diſceptatio de Verbo Dei cuius creberrima ſit mentio apud Chaldaeos paraphraſtas: Freiſtadii 1670.

Les Anecdotes de Pologne ou memoires ſecrets du Regne de Iean Sobieſchi III. du Nom. 2. Tom. a Amſterd. chez Henry Desbordes, 8.

Sal. Glaſſi opuſcula, nempe: Chriſtologia Moſaica: Chriſtologia Davidica: & Onomatologia Meſſiae Prophetica; cum variis aliorum opuſculis eiuſdem argumenti: Lugd. Bat. apud Abrah. de Svvart 1700. 4.

Georgii Baglivi Doct. Medici & in Roman. Archilyc. Anatomes Prof. de Praxi Medica, ad priſcam obſervandi rationem revocanda libri II. Accedunt III. Diſſertationes novae, 1. De anatome, morſu, & effectibus Tarantulae, 2. De uſu, & abuſu Veſicantium, 3. De obſervationibus Anatomicis & practicis varii Argumenti, in 8. cum figuris, Lugduni: Batav. apud Fred. Haring propediem prodibit.

Apo-

Apologie des Dominicains Miſſionaires de la Chine ; ou reſponſe au Livre du Pere le Tellier Ieſuite , intitulè : Defenſe des Nouveaux Chreſtiens ; et a l' eclarciſſement du P. le Gobien de la meme Compagnie , ſur les honneurs que les Chinois rendent a Confucius , & aux morts , par un Religieux Docteur , & Profeſſeur en Theologie de l' ordre de S. Dominique : a Cologne , chez les Heretiers de Corneille d' Egmont , 1699.

Ex Anglia nuntiatur *tertium tomum rerum ſub Cromvvelio geſtarum* , auctore Equite *Edmundo Ludlou* , & *Litteras* , quas Eques *Temple* ante mortem iuſsit ut publicarentur , typis deſcribi ; ad haec *Lloydium* Epiſcopum nunc VVorceſtrienſem paratum habere *Commentar. in Apocalypſin & Danielem ; & Theſaurum itidem Chronologicum* incomparabile , & tot annis expetitum opus ; & *Cumberlandum* Epiſc. Peterbornenſem nonnulla commentari de *Sanchoniathone* (1).

EPISTOLA XXX.

Recte curatae ſunt litterae quas XXIV. Martii & XXV. Apr. diebus ad me dediſti , ſimulque recepi eruditiſs. *G. Boniourii* epi-

1 Similes & longiores etiam Catalogi Librorum aliis fere ſingulis Epiſtolis inſerti ſunt ; quos tamen conſulto edere noluimus , tum ne Lectorum patientia abuteremur ; tum etiam quia libri illi novitatis pretio amplius non commendantur.

epiſtolam, atque ad *Graevium* & *Burmannum* curavi, quas fidei meae commiſeras; & tandem inde cognovi, quid rerum apud vos agatur in Rep. Litteraria, eoque nomine me plurimum Tibi debere confiteor. Valde autem mihi arrident & blandiuntur *Monumenta Veteris Antii*, ſperoque illa, ut pote quorum teneor magno deſiderio, propediem ad nos delata iri; & ſi titulo atque Synopſi liber ille reſpondet, id quod futurum eſse fidem habeo & ſponſorem iudicium Tuum, certe *Philippus a Turre* inter eruditiſs. ſaeculi huius viros numerandus eſt. *Bonionrio* reſpondebo quamprimum potero; litteraſque eas, nec non alias ſemper apertas, fidei Tuae committam, quia video Te illarum lectione delectari, quanquam probe mihi ſim conſcius, illa non eſse eius eruditionis & elegantiae, quam, qua es ſingulari humanitate, & benevolentia, Te in iis invenire ſubinde ſignificas.

Inſcriptiones Fabretti, quem vehementer doleo Muſis, mihi, omnibuſque aemulantibus ſtudia doctrinae, ereptum eſse, nondum mihi redditae ſunt; & grave mihi eſt, eaſdem tam longum per tempus haerere in itinere.

Certiorem, ni fallor, Te feci olim, Bibliopolas Batavos conſilium inivisſe de edenda *Hiſtoria Byzantina*; ſed illud abiectum eſt, quia non inveniebatur ſatis idoneus numerus eruditorum, qui nomina ſua dare vellent; nunc conſtituerunt manus admovere *Inſcriptionibus Gruteri*, *Reineſii*, *Sponii*, *Fabretti*, *Gudii*, & aliorum; adiicientur

cientur notae *Gruteri*, & *Pigbii* ineditae, atque Inſcriptiones ſparſim ab aliis vulgatae; ita ut hoc corpus abſolutum futurum ſit.

Petrus Burmannus edidit elegantem diſſertationem de *Iove Catabate*, Περὶ Διὸς Καταβάτου, *vel Fulminante*; & *Otto Sperlingius* aliam *de Nummis non cuſis*: ambo illi viri celeberrimi illas mihi dedicarunt, quo honore nullus mihi maior ab eruditis haberi poteſt. Amplis s. *Sperlingius* vulgavit etiam nuper *Diſſertationem De Baptiſmo Ethnicorum*, quae miſsa in itinere periit; & *Novis* vel *Actis Literariis Lubecenſibus* ſunt inſertae eiusdem aliae, nempe: *de Veſtitu Veterum Danorum; De Ambactis; De origine Gallorum a Dite, id eſt, a Germanis*, iamque in eo eſt, ut edat *Diſſertationem de Conſtantini Magni Nummo rariſſimo*, de quo cum eo per litteras egi, atque eae omnes, aliaeque Diſsertationes typis Amſtelaedamenſibus deſcribentur.

Ego per aliquot hebdomadas laboravi morbo periculoſo; ſed nunc ſingulari Dei benevolentia reſtitutus ſum ſanitati; & hilare atque lubenter dies tranſmitto: ſique eſsem a negotiis liber, iam *Elephas* meus *Numiſmatibus* publicatus, & aliae Diſsertationes inchoatae, & affectae, abſolutae forent.

Memini vel Te ſcripſiſse, vel nuntium ab alio ad me adlatum eſse, Sereniſsimi Magni Ducis Antiquariam ſupellectilem typis deſcriptam iri: doce me, quaeſo, quid huius rei ſit, & an operae iam illis manus admoverint. Incredibili enim voluptate eiuſmodi libros lego, quia magis

ma-

magiſque perſpicio, ex illis priſci aevi & Romanae magnitudinis relliquiis Hiſtoriam, Chronologiam, Ritus, & quicquid ad Deos, & Ceremonias ſpectat optime poſse illuſtrari. Per *Bilderbequium* quaeſivi Romae, Venetiis, Parmae, & alibi *Numiſmata Ducis Parmae* (1), ſed illa nullibi venalia proſtant, & pauca ſibi tantum exemplaria edi voluit Dux Sereniſsimus; id quod equidem vehementer doleo, quia inde nullus ita fructus ad Rempub. Litterariam perveniet.

Bibliopolae noſtri, conſtituerunt etiam typis deſcribere *Iob. Potteri Angli Archaeologiam Graecam* cum figuris elegantiſs. 4 Vol. *Baſil. Kennet Vitas Veterum Poetarum* cum eorum effigiebus; & eiuſdem *Romae Antiquae Notitiam*, *ſive Antiquitates Romanas* 2. Vol. cum figuris aeneis, & multis additionibus novis: *Deſiderii Eraſmi*, *Opera omnia*, *quae ipſe pro ſuis agnovit*, auctiora, & emendatiora, eaque in 9. tomos diſtincta, ex recenſione, & cum notulis *Iob. Clerici: Auguſtini opera ſecundum noviſſimam editionem Benedictinorum*: & *Iob. Ludovici Gottfri de Deſcriptionem Indiarum Orient. & Occid. earum detectiones, navigationes, & expeditiones in eas Luſitanorum, Hiſpanor. Anglor. Batavorum aliarumq. nationum*; *nec non origines Societatum Indicarum noſtrarum cum plurimis tab. aeneis*. Vale plurimum. Campis, unde

1 *I Ceſari in oro e in argento del Muſeo Farneſiano pubblicati con le loro congrue interpetrazioni del P. Paolo Pedruſi. Tom. VI. Parma.* 1694. *in fol.*

unde me propediem Daventriam tranſeram. 19. Iun. 1700.

EPISTOLA XXXI.

TArde litteris, quas 10. Decembris proximi ad me dediſti, reſpondeo; id quod adſeverare Tibi poſsum factum eſse mea occupatione. Facili enim coniectura adſequi poteris, eos qui ſummae Foederatorum Belgarum Reip. admoti ſunt, periculoſis & dubiis hiſce temporibus, negotiis quaſi circumvallari; & inde ἀδύνατον mihi eſse, omnibus eruditis amicis, a quibus complures, & ſaepe ponderoſas epiſtolas accipere ſoleo, tam diligenter & exacte, uti meus eſt mos, reſpondere. Neque tamen diutius differre reſponſum, quod Tibi debeo, volui, ne videar Tui obliviſci, vel amicitiam Tuam parviſacere.

Literas, quas *Oligero Iacobaeo* inſcripſeras, curavi, & carmen, quo Te laudat. Eques *Lucas Albizzi* legi cum voluptate quae maior fuiſset, ſi omnes eius Veneres capere potuiſsem. Laetor ad hoc placuiſse Tibi, aliiſque doctis & elegantibus viris, quae ad *Boniourium* miſi: nondum reſponſum a viro ſpectatae & interioris eruditionis accepi, & quia antiquum non obtinet, vereor valde ut nobis ſit ereptus, vel in morbnm inciderit gravem, & periculoſum.

Elephas meus abſolutus eſt, iamque in eo ſum, ut, ſi qua irrepſerunt, Scripturae vitia corrigam; mirabuntur, praefiſcine dixerim,

xerim, eruditi, tot res parum cognitas, vel certe indigeſtas, in unum corpuſculum potuiſse redigi. Et certe *Elephas* meus procedet ornatus plurimis Nummis, iiſque variis ineditis, quos partim poſſideo, & quorum partim ectypos ab amicis accepi; uti nuper aliquos ex Gaza Gallorum Regia, & ex cimelio Illuſtris *Focautii* inferioris Normanniae Iudicis; quos utinam augere poſsent alii ineditі ex Gaza inſtructiſſima, & opulentiſsima Sereniſsimi Magni Ducis! Accedunt epigrammata varia itidem inedita; ne quid iam dicam de Auctoribus Graecis, & Latinis illuſtratis, & correctis magno numero, ita ut vix dubitem, vide quaeſo quantum mihi placeam, quin binas illas exercitationes (in totidem enim manſuetam belluam meam diviſi) adprobaturus ſim iis, qui amant humaniores literas, & qui mecum cenſent ex veteribus genuinis nummis totidem indubitatae fidei teſtibus, priſcos ritus & hiſtoriam optime poſse elucidari. Neque tamen iis uti vellem, ad paradoxa orbi obtrudenda, uti nuper ſolus fecit *Ioh. Harduinus*, & nunc cum eo Iudex Epternacenſis municipalis *Georgius de Ballonfaux*, Imperialis Abbatiae Clementis VVillebrordi itidem Satrapa; quorum Luxemburgi epiſtolae mutuae editae ſunt, in quibus ex ſiglis, vel literis ſingularibus nummorum, comminiſcuntur nobis novos *Aurelianos*, novos *Tetricos*, & alios novos *Auguſtos*, quemadmodum me certiorem fecerunt amici; librum enim ipſum nondum vidi, ſed magno illius teneor deſiderio, & ſpero

ro propediem novis illis, & admirabilibus opinionibus me exhilaraturum.

Mitto nunc Indicem ſimul librorum, qui noſtro in orbe prodierunt nuper; & accipe inſuper doctiſsimum *Begerum in notis ſuis ad Nummos Ducis Arſchotani* tab. 13. promittere Diſsertationem de *Sirenibus*, & tab. 10. *De Nummis, in quibus Serpentes picti ſunt*; uti exempli gratia in illo *Augusti* ASIA RECEP. qualem parvum ex argento, ſed elegantiſſimum poſsideo: praeterea prodiiſse in Anglia librum multae famae, cui titulus: *Arcana Imperii detecta, ou diverſes matieres Choiſies toucant le gouvernement, & plus particulerement; 1. De l' obeiſſance aux iniuſtes commandemens d' un Prince; 2. De la renontiation d' un droit a une Couronne; 3. De la proſcription d un Prince etabli, & ſes heretiers; 4. Du iugement, condemnation, & execution des Tetes Couronnees; 5. Du mariage d' un Prince & Princeſſe; 6. Des conſpirations decouvertes contre le Gouvernement; 7. De la revolte des ſuiets contre un Prince tirannique; 8. De l' excluſion des errangers; 9. Des emplois publics. 10. De la Conſtitution extraordinaire des Magiſtrats, dans des occaſions extraordinaires; 11. Des ſuiets, qui en diſſipent l' execution des loix; 12. De la toleration de Religion; 13. De la Paix, & de la Guerre, avec les debats, argumens & reſolutions des plus grands politiques dans divers ſiecles, & Gouvernemens la deſſus, par M. le Docteur d' Avenant. A Londres.* Librum ipſum non vidi, nec ſcio, an in Latinam, vel Gallicam linguam ex Anglica tran-

translatus ſit; & haec illius argumenta ita Tecum communico, uti ad me miſsa ſunt. Vale plurimum. Daventriae 2. Aprilis 1701.

EPISTOLA XXXII.

Litterae, quas binas ultimo Maii, & xv. Auguſti ad me dediſti, recte curatae ſunt, & occupatione mea, diverſiſque excurſibus, dubio hoc & periculoſo tempore factum eſt, ut illis citius non reſponderim. Nunc igitur de una fidelia duos parietes, ut eſt τὸ λεγόμενον, dealbabo; & primo quidem multum me Tibi debere fateor, quod exerceas iterum abruptum quodammodo literarum commercium, & deinde quod antiquum obtineas, & mittas, qui libri in Italia editi, unde ego ſemper ſingularem voluptatem capere ſoleo.

Niger an albus *Q. Settanus* ſit, ignoro plane, nec illius *Satyras* oculis meis vidi unquam. Epiſtolas, quas fidei meae commiſeras, Coloniam, & Dordracum curavi deferendas: a *Boniourio* nullas diu accipio, nec forte accipiam in poſterum. Nam certiorem me fecit *Nicaſius*, Superiores ipſi interdixiſſe humaniora ſtudia, non convenire illa exiſtimantes conditioni Monaſticae, adeo ut cogatur, nolens, nuntium iiſdem remittere, & ſeſe vel aliis libris oblectare, vel totum dare exercitationibus, ut loquuntur, piis.

Ego quidem magiſtris illis iraſcor, nec capere poſsum, quomodo in mentem ipſis venire potuerit, Monachos non decere illu-

ſtrationem Antiquorum Sacrorumque Rituum, & inveſtigationem verſionum Veteris, & Novi Teſtamenti; quam utramque provinciam *Boniourius* tam pulchre exornavit, edita Diſsertatione de *Nomine Ioſephi*, & *Specimine interpretationis Copticae*; iterum dico iraſcor auſteris, &, ut ſic loquar, nimium piis hominibus, idque eo magis, quia me defraudant voluptate, quam ex viri docti epiſtolis ſingularem capere ſolebam. Scriberem quidem ad ipſum, ſed vereor ne ipſi negotium parem, infeſtoſque reddam illos elegantes, ita ſim felix, Praepoſitos, quibus ego meliorem mentem ex animo precor.

Diſsertatio mea de *Elephantis* (1) eſt abſoluta; nunc operam do *Hiſtoriae trium Gordianorum*, in qua iam multum eſt profligatum, eamque ſpero hoc anno abſolutam iri variis auctam diſsertationibus, quas ad calcem reieci, ne filum illius interrumpatur.

Nunc accipe qui libri in orbe noſtro editi ſint * * *

EPISTOLA XXXIII.

MAgna cum voluptate literas tuas Florentia XVII. Ian. proximi miſsas perlegi, atque ex iis didici, qui libri in veſtro orbe typis deſcripti ſint, & quid agant re- rum

1 *Giſb. Cuperi De Elephantis in Nummis obviis Exercitationes duae*. Ext in T. 3. *Novi Theſ. Antiq. Romanar. congeſti ab Alb. Henr. de Sallengre*.

rum eruditionis praeſtantis Viri. Literas ad *Graevium*, & *Baelium*, qui Roterodami in Batavis habitat, curavi, nec dubito quin illi Tibi vicem reddituri ſint propediem; quanquam *Graevius* aliis rebus videatur eſse occupatus, cum per ipſos ſex vel plures menses nullas literas ab eo acceperim. Filiam amiſit, & luget ſummopere, vix illius abſentis ferens deſiderium, & procul dubio in eo eſt, ut res geſtas, & fortia facta Sereniſsimi Britanniarum Regis aeternitati conſecret, quem Regem nuper mors fato propera nobis & Europae, cuius vindex erat, eripuit, & ita toti Foederatae Belgicae luctus publicus indictus eſt.

Doleo vehementer me nullas amplius literas accipere ab eruditiſsimo *Boniourio*; & iraſcor ſcrupuloſis illis atque aſperis Superioribus, capiebar enim valde earum lectione, & ſingularis inde eximiuſque fructus ad me rediebat, & quod me ſummopere exhilarabat, edocebar Eminentiſs. *Noriſium* mei ſubinde meminiſse; in cuius Purpurati effigiem, quam Roma accepi, tanquam in ſpeculum inſpicere ſoleo, ut ita incendar magis magiſque ad extendendam eruditionis uſuram; ne quid iam de ſuavitate, quam illa praefert, morum, & de ſplendidiſsimo atque acutiſsimo ingenio dicam; πάθος enim & ἦθος, animum & ſenſum pictor expreſsit, adeo ut ipſam tabulam, cuius inſtar pictura mea (*taille douce* Galli vocant) eſt, merito referre poſſis inter *animorum picturas*, quas *Petronius* nobis memorat. Doce me quaeſo, an Vir Emi-

nentiſs. nuntium plane remiſerit Muſis, & an erudita omnis Antiquitas, quam dignum immortalitate ingenium tam pulchre exornavit, ab excellenti in Romana Eccleſia dignitate e manibus ipſius excuſsa ſit; praeterea, an *Bacchinus*, & *Muratorius*, qui utinam literarum commercium, quo ſummopere oblector continuaſsent! adhuc in vivis ſint, quid moliantur, quidve propediem ex eorum divite penu depromptum expectare debeamus.

In admirationem me rapuerunt *Homiliae Clementis XI* (1) & ita video redire priſca ſaecula, quibus non modo Epiſcopi, ſed ipſi Romani Pontifices populum e ſuggeſtu alloquebantur, & cum eo de rebus ad ſalutem & vitam aeternam pertinentibus agebant.

Caeſarum ex argento nummos a *Pedrusio* edi, & ſecundum tomum iam vulgatum eſse, tertiumque hoc anno abſolutum iri multum laetor, & gratulor viro illo eruditiſsimo, quod Parmenſis Ducis Gazophylacio admotus ſit, ſed illud vehementer doleo, quod nulla copia detur libros illos adipiſcendi, & quod venales non proſtent. Amicos, qui per Italiam peregrinati ſunt, rogavi, ut eos mihi pretio vel precibus pararent; ſed ſignificarunt, Sereniſs. Ducem hoſce ſumptus tantum ſibi, & quibus volumina haec dono, qua eſt ſumma liberalitate, mittit, facere; nec ulla via eadem ab aliis comparari poſse. Quid quaeris? iſta quidem vis

1 *Clementis XI. P. M. Homiliae XIX Florentiae ab An.* 1701. *ad* 1707. *in fol.*

vis eſt quodammodo Reip. Literariae facta ; & utut mihi ſaliva moveatur , video tamen hic acquieſcendum eſse, & eruditos, vel qui eruditionis amore , & talibus elegantiis tenentur , ſeſe ſubmittere debere tam Excellentis Principis voluntati.

Nunc accipe eruditorum orbis huius labores & conatus. *Cramerus* , qui a Bibliotheca & Conſiliis eſt Sereniſsimo Pruſſorum vel Boruſſorum Regi , vitam Principis illius ex nummis illuſtrat : ante paucos dies mecum fuit ; vidi & legi operis illius initium : erit certe magnificentiae Regiae ; & iuſſit Rex quicquid praeclarum ab illo geſtum eſt, vel conſilio, vel armis , poſtquam admotus fuit ad tot regionum gubernacula , in metallo ſignare , & monumenta illa aurea ita explicat *Cramerus* , ut veteres etiam ritus breviter tangat , & illuſtret . Accepi praeterea ab eo , Clariſs. *Begerum* edidiſse Tomum III. *Theſauri Brandeburgici* , eumque res ſcitu digniſsimas eo complecti . *Oligerus Iacobaeus* in fata conceſsit ſub finem anni proximi , uti ad me miſit ampliſsimus *Sperlingius* , a quo frequentes , eaſque eruditiſſimas , & dignas , quae edantur epiſtolas accipere ſoleo : en tibi inſuper librorum editorum catalogum , & vale diu multumque. Davent. 26. Aprilis 1702. * *

EPISTOLA XXXIV.

Licet non conſtituiſsem hoc tempore Te convenire, & veritus fuerim Te literis quaſi obruere, quia alias miſi v. Aprilis, & 11. Iulii menſium diebus, tamen hoc meum conſilium fregit ampliſsimus *Copeſius*, qui per ipſos octo dies hic mecum fuit.

Laudabat ille ſummopere ſingularem Tuam humanitatem, & excellentem erga ipſum benevolentiam: extollebat Bibliothecam, & gloriabatur Te duce vidiſse ſe quicquid eximium Sereniſs. Magni Etruriae Ducis Gazophylacia ſervant. Narrabat etiam mihi virtutes fratris Tui, Rotae in Vrbe Auditoris; deſcribebat Palatium & Cimelium Marchionis *Carpi*, gemmaſque quas magno numero & pretioſiſsimas in eo habebat repoſitas; nec omittebat antiquam *Tanarae* apud Bononienſis ſuppellectilem; nummoſque perelegantes Canonici *Du Monte*, atque *Magnaevaccae*, quem addebat tantam ſibi adquiſiviſse priſci aevi relliquiarum cognitionem, ut a plurimis, veluti oraculum, conſuleretur; cimeliumque illius eſse inſtructiſsimum, & unum ex melioribus totius Italiae, & elegans iiidem poſsediſse iam ſatis functum *Bonviloli*.

Neque obliviſcebatur Equitis *Proſperi Mandoſi*, *Bacchini*, & *Bern. Ramazzini*, & qui primus omnium nominari debebat, Eminentiſs. *Noriſii*, quem tamen periculoſo

mor-

morbo laborare affirmabat ſe Roma nuper accepiſse; & licet me valde illa oblectarint, quae mihi variis diebus multa cum elegantia annumeravit, tamen hoc ultimo nuntio fulminatus quaſi fui; & Te etiam atque etiam rogo, ut me certiorem facere quantocius velis, an res ſatis ſalvae ſint, & an columen illud & *ἑδραίωμα* eruditionis, atque ornamentum praecipuum, ſanitati (quam eidem una cum vegeta ſenectute proſperam precor) ſit reſtitutum, & vivat.

Equitis *Mandoſii* humanitatem maximopere etiam praedicabat; id quod & ante litteris ad me Roma datis fecit luculenter, quibus & librorum, carminumque, quae vel vulgavit, vel edere parabat indicem miſit. Quid multis? omnes illos praeſtantis eruditionis & dignitatis eximiae viros extollebat aequaliter, egoque eorum laudes, eruditionem, humanitatem, aliaſque virtutes hauſi iucunde auribus avidis, & apertis; & ita animo infixi, ut credam recordationem illarum nunquam apud me intermorituram.

Cum autem ſederemus in horto, in quem triclinium meum proſpicit, cum aliis veterum rerum ſtudioſis viris, adfertur ecce liber *Bern. Ramazzini De morbis Artificum*, typis commodum deſcriptus Traiecti ad Rhenum. Ego illum continuo inſpicio, & ſtili elegantiam miratus, invenio quid ſit apud Plinium *per Sapientiam mori*, quem locum multi alii non ſatis felici ſucceſsu explicare conati ſunt, & continuo videbam vera eſſe, quae ampliſsimus *Copeſius* mihi tam de viro ipſo, quam de alio eiuſdem libro *De*

fontium Mutinenſium admiranda ſcaturigine, narraverat; cuius ab eodem exemplar expecto, cum bina poſsideat.

Pariſiis ad nos ante aliquot menſes adlatum eſt *Diarium Italicum Bern. de Montfaucon*, & ego illud nuper mihi primo comparare potui. Deus bone! quantus theſaurus, & quot res praeclarae & parum obviae, quae in bibliothecis, hortis, urbibus, porticibus latebant, in lucem protractae ſunt! Bene ſit illi diligentiſsimo, & doctiſsimo peregrinatori! diu valeat, ut alteram, quam alicubi promittit, partem, etiam edere poſſit! Summa animi mei cum voluptate, & eximio cum fructu librum illum evolvi, & animadverti Te aliquoties, alioſque viros, & *Lud. Ant. Muratorium*, quem & valde *Copeſius* laudabat, honorifice memorari.

Cum autem apud vos ſint multi naturalium rerum ſtudioſi, facere non poſſum quin rem ſingularem Tecum communicem. In *Comitatu Meuſiano* ager eſt ſeſe extendens per horam & dimidiam itineris, luto rubro, producens maximam partem . . . . . Huius ſoli hoc ingenium eſt, ut ſingulis fere quinque, ſex, vel ſeptem annis, ſeſe attollat, & abundantia aquae ſubterraneae tam madidum fiat, ac ſi ſpongia eſſet, adeo ut totus locus paluſtris fiat, & uliginoſus. Quin interdum etiam tanta aquarum copia erumpit, ut omnem illum tractum inundet, & vicini Ruſtici cogantur animalia alio abigere, vel machinis ligneis, ſi ut alterum faciant temporis ſatis non eſt, imponere. Miranda haec res fere accidere ſolet tempore veris,

veris, & aqua tam frigida atque acuta eſt, ut omnes fructus agrorum, per quos fluit, perdat omnino. Tractus hic remotus eſt a Rheno duabus, a Moſa tribus horis, & nulli circum montes.

Habebunt hic, niſi me plane fallo, eiuſmodi mirabilium ſcrutatores, in quo ſe exercere poſsint, & deſidero valde cognoſcere, an ſimile quid in tot Naturae miraculorum feraci Italia obſervatum unquam ſit. Nunc accipe qui libri in Batavis editi ſint * * * Vale plurimum. Daventriae 5. Sept. 1703.

EPISTOLA XXXV.

Quam acephalam edimus, ſicut in Autogr. invenimus.

Berolino adlati ſunt *L. Annaei Flori Rerum Romanar. libri duo priores ex Criticorum correctionibus correcti, cum textus ratione, notiſque variorum Hiſtoricis, Politicis, & Antiquariis iuſſu, & impenſis Auguſtiſſ. Regis Boruſſiae in uſum Principis Regni adornati, & editi a Laur. Begero: Coloniae Marchicae, typis Vlrici Liebperti* 1704. *fol.* Eſt ingens & ſpiſſum volumen, multis tabulis aeneis tam editis, quam ineditis, nummiſque refertum, adeo ut nullus fere locus illuſtrior ſit, quin inde mirifice illuſtretur. Noſti virum illum diligentiſsime in antiquitatibus eſse verſatum; gravi & periculoſo nunc morbo laborat, uti ad me Berolino miſsum eſt; ſpero eum reſti-

reſtitutum iri priſtinae ſanitati, ut erudito orbi alia ingenii ſui monumenta illuſtria exhibere poſsit.

Idem vir praeſtanti eruditione id egit, ut Regis Galliarum *Medaglioni*, editi ſint in Germania, hoc titulo: *Numiſmata moduli maximi, vulgo Medaglioni Ludovici XIV. Potentiſſimi Galliarum Monarchae, ad exemplar Pariſienſe ſervato & ordine Numiſmatum & numero XLI. tabularum, in gratiam, & uſum ſtudioſae Iuventutis recuſa Eleutheropoli* 1704. *fol.* Dolendum nullam additam eſse explicationem; ſpero id Gallum aliquem harum rerum intelligentem, quales ſunt *Vaillantius*, & *Gallandus*, facturum propediem; nam quamvis varii minoris formae explicati ſint, tamen multi reſtant, qui certe ingenium & eruditionem alicuius exercere poſsunt, quique dignisſimi ſunt ut illuſtrentur, cum res parum obvias complectantur.

EPISTOLA XXXVI.

RECepi tandem, Illuſtris Antoni, *Tractatum de Computo Eccleſiaſtico* (1), quem in uſum Seminarii Montis Faliſci compoſuit eruditione praeſtanti Vir *Guill. Bonjour.* Anglus, cuius fidei commisſus erat, per hanc urbem non tranſiit, ſed Ultraiecto eundem ad

1 *Guil. Bonjour Tractatus de Computo Eccleſiaſtico ad uſum Seminarii Montis Faliſci & Corneti. Apud Montem Faliſcum* 1702. *in fol.*

ad me miſit, & ideo occaſio mihi erepta eſt cum eo de Tuis, aliorumque eruditorum Italorum virtutibus confabulandi. Ubi ad *Boniourium* ſcribis, ſignifica quaeſo eidem, me multum ipſi propter hoc munuſculum, licet breve & binorum, ut loquuntur, foliorum ſit, debere, & me animadvertiſse, eum ſolide materiam hanc, & luculenter docuiſse iuventutem aemulantem ſtudia doctrinae.

Egi de variis cum praeſtantis ingenii viro rebus 20. Oct. die, eaſque literas ad Te eodem menſe miſi, nec dubito, quin eaſdem recte curaveris; adeo ut ſperem me brevi tempore accepturum reſponſum, maxime cum eum rogaverim, ut lumen mihi accendere de ſuo lumine, atque adeo illuſtrare velit nonnullas ex Oriente ad me miſsas *Inſcriptiones*; id quod eum facturum propediem, fidem habeo Viri eruditionem & amicitiam qua me complexus fuit ab hinc multis annis. Poſtea reddita mihi eſt epiſtola Tua, quam acceptiſsima ad me Florentia 12. Oct. ſimulque recepi Concluſiones Theologicas, & Philoſophicas Illuſtriſsimi Abbatis *Albani*, qui iure merito gloriari poteſt Avunculo *Clemente XI.* Summo Pontifice, de quo praeſtat ſilere quam pauca dicere, & cuius ſi veſtigia Illuſtriſs. Iuvenis ſequitur, quid non de eo ſperandum, ubi ad maturam & provectiorem aetatem pervenerit? Perlegi diligenter *Theſes*, quas mecum communicaſti, & maiorem inde voluptatem, ut ut eruditae & profundae ſunt, cepiſsem, ſi tales in Scholis noſtris

tam

tam Theologicis, quam Philoſophicis docerentur. Alias nos, vide quam apertus ſim, ad cognitionem animi, & ad conſiderandam Religionem putamus neceſsarias eſse, ſed cum iſtiuſmodi quaeſtiones magnam partem faciant ſtudiorum in Eccleſia Romana, facere non poſsum, quin laudem acutum Abbatis Illuſtriſsimi, & acre, atque excellens ingenium, & auguror eum veſtigiis Avunculi ſui inſiſtentem, evaſurum in magnum virum, & adſcenſurum in culmina, & faſtigia, quae Romae ſumma ſunt & altiſſima.

Qui libri hoc in orbe editi ſunt quorum cognitio ad me pervenit, poſt ultimas litteras meas ex Indice perſpicies; iis addo in Anglia prodiiſse tomum II. *Geographorum Graecorum minorum* notis & diſsertationibus illuſtratum, quem tamen nondum vidi, licet ingenti eius tenear deſiderio: deinde a *Petro Texelio*, quem ante ne nominari quidem audiveram, publici iuris factum eſse librum, cui titulus, *Phoenix viſus, & auditus*, Roterod. 1703 4. Miraberis proculdubio rem tam parum credibilem, cum nemo mortalium hanc avem, licet Rabbinis, Gentilibus, Chriſtianis, atque ipſi Sanctae Scripturae, ut nonnulli Patrum exiſtimant, memoratam, viderit oculis ſuis unquam. Sed mirari deſines, ubi edoctus fueris virum illum, qui Hebreae Linguae eſt callentiſsimus, conari probare, *Phoenicem* nullum alium eſſe quam *Iacobum Patriarcham*; varioſque avis illius in Aegyptum memorari adventus, quia & *Moſes* aliique magni Viri eo ex Phoenicia,

cia, Palaeſtinam & Madianitas etiam complexa, venerunt; quod an aliis probaturus ſit, ego equidem valde dubito; nam multi proculdubio hanc avem, & alia ficta animalia adſcribent ſomniis & mendaciis Iudeorum, & Gentilium, quos tamen, ſatis negligenter, nonnunquam Patres etiam vetuſtiſsimi ſunt ſequuti. De Ampliſſimo *Copeſio* diu nihil inaudivi; hac ipſa hebdommade eum per literas conveniam, & ſignificabo, quo loco memoria eius apud Te, Vir Illuſtris, alioſque ſit eruditos.

Eminentiſs. *Noriſium* ſpero ſanitati reſtitutum eſse, & non modo hunc, quem inimus, ſed etiam multos alios annos abſque moleſtia & incommodo, hilarem atque alacrem tranſacturum.

Libelli mei adhuc privatis parietibus, veluti captivi, detinentur: bibliopolae cauſantur bella, obſeſsas vias, atque infeſta ubique Maria. Magna, atroci, & horribili tempeſtate initio Decembris laboravimus, naves merſae, claſses diſperſae, arbores radicitus evulſae & fractae, domus deiectae, & tectis orbatae, animalia morti data, adeo ut Foederati Belgae, Angli, aliique ingentia damna paſsi ſint; hinc factum eſt, ut Sereniſsimus Archidux Rex Hiſpaniarum tardius quam conſtitutum erat Angliam petierit; eo tamen non modo pervenit vento ſecundo, verum etiam duodecimo huius menſis die inde comitatus Anglorum & Belgarum magna & ornata claſse, & multo milite profectus eſt; cumque coelum ſerenum, ventus proſper fuerit, & ceciderit in utrum-

que,

que, ut cum veteribus nautis loquar, pedem, nullum dubium quin iam Olyſipponem pervenerit. Hac de re Tecum breviter ago, quia de rebus ad litteras pertinentibus paucula mittere poſsum, & quia illa omnem Europam; omnes Reges & Principes tenet ſuſpenſos, & attonitos; atque ex ſuccesſu huius expeditionis felici pendet multorum populorum ſalus & requies. Sed quia neſcio, an eiuſcemodi digreſsiones ſtomachi Tui ſint, & an audeam Tecum de rebus publicis confabulari, finem illis, & huic epiſtolae imponam, & rogo, ut perſuaſiſsimum habere tandem velis, magna me ſemper intellecturum cum voluptate, Tibi omnia proſpera & prolixa fluere, &, ut binis verbis dicam, Te gaudere & valere. Davent. 22. Ianuarii 1704. quem annum Tibi felicem precor ex animo.

Haſces literas recipies ab Vltraiectino quodam, qui Florentiae per multos annos vixit, ibique uxorem duxit: *Burmannus* mihi ſignificavit eum ad lares ſuos reverſurum propediem, & ideo illius fidei illas commiſi.

EPISTOLA XXXVII.

EX litteris, quas ad me 5. Oct. & 3. Nov. dediſti, ſumma cum animi mei voluptate intellexi meas Tibi redditas non modo eſse, verum etiam Te eaſdem miiſſe Romam, ut eruditionis praeſtantis Viri inde cognoſcerent, quid de Illuſtris Abb.

Al-

Albani Theſibus, & de Commentario D. Abbatis *Vignoli* (1) ſentirem, quo illum multa nos edocturum praeclara ex capitum breviariis, quae ad me miſeras, cognoveram.

Plurimum autem Viro tam egregiae docto debebo, ſi mei in polito ſuo libro faciet mentionem, & laetabor multum, ſi me meliora docebit. Neque enim ex moroſorum & δυσκόλων hominum genere ſum, qui aegre ferunt, & iraſcuntur, ſi alius ab eorum ſententia facit diſceſsionem; & cum id unice mihi ſit propoſitum, ut verum, & genuinum Auctorum, Nummorum, & Inſcriptionum ſenſum adſequar, gratias revera habeo eruditis quod me emendent; modo id fiat abſque iniuria & acerbitate, quam tamen, & ipſe flocci facio; ſed tunc nolo θηριομαχεῖν: relinquo feroces illos, & ab omni humanitate moribuſque placidis alienos homines, genio irato ſuo. Plurimum autem viro illi excellenti, nec non Illuſtriſs. *Corradino* debeo, quod ad me mittere conſtituerint lucubrationes ſuas (2), & ut ſingulari me deſiderio explicationis afficit *Columna* illa *Antonini Pii*, quam depictam ad me miſiſti, ita

1 *Io. Vignolii ſpecimen Diſſertationis de Columna Imperatoris Antonini Pii: Florentiae* 1703. *in* 4. *Diſſertatio* autem, cui acceſſerunt *Antiquae Inſcriptiones ex quamplurimis quae apud Auctorem extant ſelectae*, prodiit *Romae* 1705. *in* 4.

2 *Petri Marcellini Corradini Vetus Latium Profanum & Sacrum. Romae* 1704. *&* 1707. *fol.*

ita non minori incendit me *Latium Vetus*, quia fieri nullo modo poteſt, quin in eo multae antiquae & abſtruſae res, auctorum difficilia vel corrupta loca, inſcriptiones, & nummi illuſtrentur, & emendentur; cumque eiuſcemodi animadverſiones horis ſubciſivis deliciae atque amores mei ſint, facili coniectura adſequi poteris, me eorum librorum teneri incredibili cupiditate. Quod ſi ad Illuſtriſs. Viros *Corradinum*, & *Vignolum* ſcribis, certiores eos, quaeſo, facias ſummo illorum eruditionem apud me loco eſse, & propterea Deum me venerari, ut diu rebus humanis ſuperſint, & ſcribendo Rem Literarum publicam adiuvare, & promovere queant.

Multum praeterea me devinxiſti, quod miſeris librorum indicem, qui in Urbe & Italia lucem adſpexerunt nuper publicam, & ſpero ad nos perlatas iri *Statuas antiquorum, & poſteriorum ſaeculorum Artificum*, quas auſpiciis Summi Pontificis edidit *Dominicus Roſſi*, & expoſuit *Alex. Maffeus* (1); & inde, bona fide, erudita & elegantia ingenia perſpicere poterunt, quantum & quam excellens bonum poſſideant in Auguſtiſſimo Principe, qui tanto amore Literarum tenetur, ut inter tot & tam ardua negotia, quae poſt ſe trahit ſummum ſacrarum, & humanarum rerum faſtigium, & motas to-

ta

1 *Raccolta di ſtatue antiche e moderne date in luce da Domenico de' Roſſi, coll' eſpoſizione a ciaſcheduna imagine di Paolo Aleſſ. Maffei. Roma 1704. fol.*

ta fere Europa graviſsimorum bellorum tempeſtates, nihilominus ſeſe demittat ad ſtudia promovenda, & curam edendorum librorum, quae proculdubio illis magno erunt ornamento. Et certe ex *Actis Eruditorum*, quae *Trivultii* componuntur, non abſque ſummo animi mei gaudio, perſpicio Summum Pontificem id ſerio agere, ut in Italia magis floreant Humaniores literae; qua re certe aeternam, & nunquam intermorituram laudem adipiſcetur & relinquet.

Benedictus Bacchinius mihi dono miſit Diſsert. ſuam *De Hierarchiae Eccleſiaſticae Originibus*, quae mihi placet mirifice; id quod etiam Viro Rever. & egregio ſignificavi, literaſque commiſi fidei *Franc. Stryberi*, qui Conſulis nomine res Batavorum Mercatorum Venetiis curat, a quo etiam accepi *Minutoli Roman. Antiquitatem*(1); nec non *Ioh. Astorii* Diſsertationem *de Diis Cabiris* (2), cum quo ultimo etiam de nonnullis ad eam materiam pertinentibus locis, egi binis epiſtolis, & ſpero eum, nec non *Minutolum* alia publicaturos, quorum nobis ſpem faciunt. Nam libri illi multa ſunt eruditione referti, & tot praeclara complexus eſt ſuo *Minutoli*, ut vix me ſatiare potuerim illorum lectione,

1 *Iulii Minutoli Diſsertationes VIII. Hiſtorico-criticae Romanam antiquitatem illuſtrantes.* Extant in Tom. I. *Novi Theſauri Antiquitatum Romanarum congeſti ab Alberto Henr. de Sallengre.*

2 *Io. Ant. Aſtorii Diſsertatio de Diis Cabiris.* *Venet.* 1703. *in* 8.

opteinque vehementer, ut reliquos etiam quam primum publicet.

Literas ad Illuſt. *Spanhemium* curavi: neſcio quis ſit *Phereponus* (1), & *Aletinus*; ſed tamen credo eſſe *Ioh. Clericum*, qui iis ſub nominibus latet, quem noſti multa eruditione eſse ſuccinctum, quique etiam, ſuum tamen nomen non celans, notas adiecit operibus *Hammondi* Angli. Oblata occaſione id agam, ut nanciſcaris *Aelianum Perizonii*; quae ille & *Gronovius* de *Morte Iudae* commentati ſunt; nec non eiuſdem *Curtium* reſtitutum, & vindicatum ab accuſationibus *Ioh Clerici*, qui illi reſpondit in Tomo III. Biblioth. Selectae, *Bibliotheque Choiſie*, Ann. 1709.

Remitto epiſtolam Abbatis *Fontanini*, Virumque Illuſtrem meis amiciſſimis verbis, quaeſo ſalutes, ſignificeſque inſuper me valde eidem devinctum eſſe, quod per Te mihi ſignificat, aliquo loco eſſe Romae qualemcunque meam eruditionem, & quod id egerit, ut literae meae lectae fuerint ab iis viris, qui ingentia ſtudiorum humaniorum ornamenta ſunt. Spero Ill. *Fontaninum* publicaturum propediem *Antiquitates Urbis Hortenſis*, quarum nobis ſpes fit in menſe Februar. Actor. *Trivultianorum*; maxime quia inde docemur, easdem exornatas iri numi-

1 *Io. Clerici* (ſub nomine *Io. Phereponi*) *Appendix Auguſtiniana, in qua ſunt S Proſperi Carmen de Ingratis, Io. Garnerii, Deſiderii Eraſmi, Io. Lud. Vivis, Iacobi Sirmondi, & Henrici Noriſii opuſcula &c. Antuerpiae* (ſive *Amſtelaedami*) 1703. *fol.*

miſmatibus, antiquis & Inſcriptionibus ineditis quae diligenter explicatae, id quod proculdubio faciet Vir eximius, non poſſunt niſi teſtes eſſe variae ipſius eruditionis; eundemque tandem id curaturum, ut opera *Aleandri* inedita publici fiant iuris, de quibus ibidem agitur.

Carmen, quo *Alex. Marchetti* Te celebrat, mihi valde placet, & recte ſcribit *Fontanini*, Orbem literatum Te communibus defenſurum ſuffragiis contra eos, qui aliquid de laudibus Tuis delibarunt. Ego tamen mortem tuam non invenio in *Actis* quae *Trivultii*, vel iis quae *Lutetiae* compoſita ſunt: illorum annus mihi ultimus eſt 1703. horum 1702. nec credo eam omiſſuros fuiſse noſtros bibliopolas, ſi iisdem foret comprehenſa. *Acta Trivultii* ceſſare dicuntur, & Pariſiis propter bellum reliqua non deportantur ad nos, adeo ut nihil certi hac ſuper re ad Te mittere poſſim.

In *Actis Trivultii* video Celeberr. *Muratorium* Mutina ſcripſiſſe, librum *Ant. Capelli* multum extimari, & in illo explicari varias gemmas veteres, quarum nonnullae *Baſilidianorum* ſunt: dolendum utique eiuſcemodi libros ad nos non adferri, cum proculdubio multos emptores ſint inventuri, & ego illum eo magis legere deſidero, quia forte nonnullae earum gemmarum inſervire poſſent *Harpocrati* meo explicando, in quo ſimiles, uti noſti, exhibentur.

Significes quaeſo doctiſſimo *Boniourio*, mihi literas ipſius veniſſe acceptiſsimas; rogaſſe Ill. *VVitzenium*, ut ectypum Lancis

vel Diſci, qui in ſepulchro apud Siberios repertus eſt, mecum communicare velit, meque illum miſſurum Romam ſimul ac ad me perlatus erit, & additurum epiſtolam, qua Eminentiſs. *Noriſii* mortem deploravi, quaeque in eius manus non pervenit.

Iam tandem qui libri hic editi, atque adeo ad nos aliunde adlati ſint, accipe, & cognoſce ex Indice quem Tecum communico, & rem mihi pergratam facies ſi haec omnia ad eruditos, qui Romae magno numero ſunt, mittere velis, atque adeo etiam veſtratibus legenda dare.

Otto Sperlingius me certiorem fecit ſeſe in eo eſſe, ut examinet *veram Scripturam Gothicam*, quam nemini adhuc perſpectam fuiſſe arbitratur, agetque ſimul *de Literis Runicis*, quas putant varii noſtri eruditi etiam legi in nummis Hiſpaniae ante Auguſtum, & ſub eodem Principe ſignatis, quorum plurimos, & rariſsimos inde deportavit *Iac. de Bary*, de quo alias memini me Tecum egiſſe. Certe magna earum eſt ſimilitudo, & ego ad *Sperlingium* characteres illos miſi, rogavique doctum illum Regis Daniae Conſiliarium, uti etiam examinare velit ſepulchrales Vrnas a *Bellorio* editas, in quibus *Etruſcae*, & non abſimiles literae ſculptae ſunt; & fidem habeo viri illius eruditionem & Septentrionis Antiquitatum inſignem peritiam, eum nobis muſici aliquid daturum.

Ioh. Ianſſonius ab Almeloveen Hiſtoriae Harderovici in Gelris Prof. *Conſules* ex Inſcriptionibus digerit, & ante aliquot menſes,

ſes, cum per Urbem eam tranſirem, vidi eum erudita & egregia multa annotaſse; & forte ego a Symbolis ero, cum varia paria mihi notaverim in Inſcriptionibus a *Fabretto* aliiſque editis, & quid mihi videatur de nonnullis, in chartam tumultuaria opera conieccerim.

Olearius varias Lipſiae edit diſsertationes, quas propediem expecto: ſunt inter eas elegantis argumenti, & quidem una *de iis, quae Veſpaſiano praedixit Ioſephus*. Oxonii multum profligatum eſt in *Dionyſio Halicarn. Suida*, & *Philoſtrato*, aguntque id ſedulo Angli, ut emendatos Auctores Graecos in publicum emittant. *Horatius* etiam *Bentleii* edetur propediem, quam editionem multi laudibus efferunt: eſt certe vir doctrinae inſignis, & tam in Graecis, uti ex Ill. *Spanhemii Callimacho*, & ex Epiſtola, quae prodiit cum *Ioh. Malela* patet, quam latinis Auctoribus verſatiſsimus; adeo ut ſpem ſingularem lucubrationis illius concipiam & foveam. *Spanhemii* etiam *Diſſertationes* gnaviter procedunt, & ſpero nos propediem accepturos theſaurum illum eruditionis & politioris literaturae. *VVilhelmus VVotton* edidit Anglice *Hiſtoriam Romae ab Antonini morte uſque ad mortem Al. Severi*, & diligenter in eo argumento, uti accepi, eſt verſatus: ſaepe a *Tillemontio* diſsentit, quem tamen magni facit, & opiniones ſuas nummis defendit; idque etiam ſerio agit, ut vindicet ab obiectionibus *Larroquani Hiſtoriam Legionis Fulminantis*: ſpes mihi facta, eam lucubrationem in Lat. linguam propediem transla-

tam iri, id quod equidem vellem uti iam factum eſset.

His tandem addere debeo, in editione *Xenophontis*, quam ex Indice vides in Anglia prodiiſse, exhiberi nobis Vultum Ducis illius pulchrum & amabilem adſpectu plane; ſed cum nullis illum repererim in libris, qui nobis iſtiusmodi veteris aevi reliquias conſervarunt, ego credo fictam hanc imaginem eſse, & ſumptam ex deſcriptione, quam *Xenophontis* nobis reliquit *Chion* in epiſtola & alii, qui pulchritudinem eius nobis ob oculos ponunt. Et multum imo plurimum me devincires, ſi me docere poſses an Viri illius imago ſervetur in Gazophylacio Sereniſsimi Magni Ducis, aut Romae ubi tot illuſtria extant monumenta. Vale plurimum. Davent. 18. Dec. 1704.

Haec cum ſcripſiſsem, adferuntur ad me literae ab Illuſtri *VVitzenio*; inde factum uti etiam ad *Boniourium* ſcriberem, ad quem literas quas vides, curare ut velis rogo, utque faſciculum hunc tardius accipias. Annum quem brevi inibimus novum, tibi fauſtum & felicem opto. * *

EPISTOLA XXXVIII.

Litteras, quas ad me 18. Ianuarii die dediſti, recepi una cum Epiſtola doctiſsimi *Boniourii*, & poſtea redditae mihi ſunt alterae Tuae ſine die, & Conſule, quaeque illis iuncta erat, *Homilia Pontificis Romani* habita in Natali Chriſti Domini anno 1702.

Mul-

Multum profecto Tibi debeo, quod mihi tam diligenter ſignifices qui libri in Italia typis deſcribantur, & ſpero nonnullos, qui mei guſtus, & ſtomachi ſunt, ad nos propediem deportatos iri.

Sed quid iam dicam de nova illa *Homilia*? quas Tibi eo nomine gratias agam? ingentes certè, & ſummas habeo, & fidem Tibi facere poſsum, me maxima animi mei cum voluptate, & ſummo cum fructu illam legiſse, & ut in aliis, ita & in hac Adlocutione, miratum eſse aculeos qui in eadem inveniuntur magno numero, quibuſque ad Chriſtum, rite magnifico, & ſalutari illo die colendum omnes Chriſtiani lectores accendentur proculdubio, & inflammabuntur; qui & inde diſcent, ſe falſo Chriſtianos dici, ſi Chriſti imitatores non ſunt, & ſacrum illud Nomen iis maxime convenire, qui meritis Divini Salvatoris Noſtri confiſi, vitae eternae praeſumptione, ut *Plinii* Iunioris verba ſacris illis myſteriis aptem, perfruuntur, & certi ſalutis ſuae cum Chriſto, & futura gloria vivunt. Ego certe gratulor Eccleſiae Romanae, quòd a tam Docto, & tam Pio, atque adeo a tam Auguſto Capite regatur, quodque ex eius mellifluo ore Homiliae proveniant, quae per ſua momenta, rerum verborumque pondera, auditorum, & legentium animos flectunt atque trahunt.

Neque tantum legi Latinam ſummi Pontificis Adlocutionem; verum etiam verſionem Italicam, quam adornavit *Auguſtinus Tain*, & quanquam illa elegans admodum ſit, ſi quid modo de Italis deliciis iudicare poſsum

tamen veniam Vir Illuſtris mihi dabit, ſi teſter ipſa illa Pontificis verba maius quid & auguſtius ſonare, & nos docere pectus illud largo eloquentiae flumine, piarumque rerum notitia completum, atque inundatum eſse.

Sed ut ad alia tranſeam, quanquam pro dignitate argumenti longius illi immorari deberem, *Ioh. Schultingius* Iuris apud Friſios Profeſsor, orationem anno proxime elapſo habitam *De Iurisprudentia M. Tullii Ciceronis* mihi dono miſit: facere non poſsum, quin Tibi ſignificem, virum illum eruditiſſimum, & amicum meum admirabiliter hoc argumentum tractaſse. Ii qui vitas ICtorum ſcripſerunt, *Ciceronem* illis non annumerant, excepto *Guielmo Grotio*, ſed *Schultingius* rationibus ex ipſo *Cicerone* aliisque veteribus auctoribus petitis, oſtendit quam clariſsime eum ſummis non modo Oratoribus, verum etiam ICtis adſcribendum eſse. Summam certe ex lectione tam eruditae, & tam elegantis [eſt enim ſtilus plane Ciceronianus] Orationis voluptatem caperes, ſi modo in Italiam eiuſmodi libri deportantur, quos ego quidem magni facio, & qui oſtendunt, quid non ſedula & diligens lectio poſsit.

Gronovius, & *Perizonius* ad manus ſunt, ex occaſione verbi *ἀπάγχεσθαι*, quo utitur *Evangeliſta* in deſcribenda Iudae morte: examinant alter alterius ſcripta, idque ſubinde ſatis acerbiter. Et quanquam ego litem eam meam nequaquam faciam, tamen video *Perizonium* ſeſe fortiter defendere, & varia carpere atque monere, quae non ſatis dedolata

lata ab altero edita ſunt. Scis me ex Icuncula *Smetii* facere *Harpocratem*; & *Gronovium*, magno molimine, quatuor anni tempora. Nolui opinionem illam, ut frivolam, & ab omni ratione, atque adeo veriſimilitudine alienam, refutare, quia eiuſmodi lites perſonam meam non decent: ſed ecce tibi *Perizonii* me defendentis verba. *Multa hic poſſem dicere etiam de Icuncula Smetiana, qua Harpocratem deſignari omnes Antiquitatum periti cenſent. Nec res amplius eſt dubia, quum ſimiles plane cum digito ad os admoto, quod certiſſimum eſt Harpocratis indicium, exhibuerint iam Sponius Miſcell. p. 18. & Baudelotius de Vtil. preregrinat. t. 1. pag. 196. & 212. At noſter ne credere quidem voluit Ampliſſ. Cupero, qui id publice docuerat, quin expro feſſo librum contra eum oppoſuit, quo Icunculam ad quatuor anni partes transferret, ſed qui manifeſte iam illis apud Sponium, & Baudelotium imaginibus refutatur.* Et in eo praeterea eſt Vir doctiſs. ut oſtendat *Gronovium* ſupinos errores frequenter commiſiſse in explicandis monumentis priſcis, eumque id agere gnaviter, ut in omnes, qui eruditione ſibi viam ad laudes, & gloriam ſternere cupiunt, invehatur ſatis proterve, & acerbiter.

Lis etiam orta inter viros celebres Antiquarios amicos meos ſingulares *Gallandum*, qui *Foucatio* ſummo Normanniae Iudici a ſtudiis eſt, & *Andr. Morellum*, id quod proculdubio perſpexiſti ex Actis Eruditorum, quae Trivoltii componuntur, quibuſque * * *Reliqua in Autogr. deſiderantur.*

EPI-

EPISTOLA XXXIX.

SPero Te accepiſse litteras, quas longas revera, & poderoſas ad Te dedi 18. Decembris proximi; & ad *Boniourium* curatas eſse eas, quae Tuas comitabantur. Oblitus tunc fui ad eundem virum praeſtantem mittere ectypum *Nummi Arabici*, quem nunc cum aliis a me fert; & ſpero Eruditos Romanos, vel potius omnium fere gentium, qui in Urbe commorantur, nobis enodaturos, & aperturos myſteria, quae priſci aevi iſtis reliquiis continentur.

Qui Libri ex Germania ad nos deportati ſint, accipies ex iis, quae praecedunt initium huius epiſtolae; & qui apud nos pauci prodierunt, ex ſequentibus cognoſcere poteris **

Lugduni Batav. *A. Gellius* typis deſcribitur cum *Gronoviorum*, aliorumque notis. Aprilis proximo menſe vendetur inſtructiſſima *P. Francii* Bibliotheca Amſtelaedami miror certe unde Vir elegantis ingenii tot raros Libros, & emendationibus doctorum virorum Mss. aliiſque adnotatis plenos nactus ſit; nec non integros Mss. & quidem ineditos.

Vendetur etiam Hagae Comitis Bibliotheca Mss. inſtructiſsima, cuius Indicem ubi cognoveris, facile perſpicies, me nihil gratiae dare; eſt autem talis.

Catalogus variorum inſignium & rariſſimorum in quovis fere eruditionis ac linguae genere

nere Manuſcriptorum, hinc librorum, qui omnes fere inediti ſunt; illinc Epiſtolarum a Regibus, Principibus, Illuſtribus Politicis, & Literatis Viris, Saeculis XV. XVI. XVII. conſcriptorum: quibus accedunt Acta Politica & Eccleſiaſtica, quae magna diligentia & ſtudio ſibi comparavit harum rerum indagator curioſiſſimus: quorum publica diſtractio habebitur per Abrah. de Hondt Bibliopolam Hagienſem, a. d. 23. Febr. 1705. Verbis exprimere vix poſsum theſauros, qui hoc Catalogo continentur, & digni illi profecto ſunt, qui a Rege vel Principe ſibi comparentur. Nondum expiſcari potui, qui gazas haſce collegerit, quamvis credam ex Bibliotheca & cimelio Viri maximis honoribus hiſce in regionibus functi eas profectas eſse; & ita per manus ad haeredes pervenifse, qui nunc, vel quia iſtiuſcemodi deliciis non capiuntur, vel alias graviſſimo hoc bello ob cauſas, publice eaſdem diſtrahere conſtituerunt.

Doce me quaeſo an *Catanenſium* in Sicilia Reſpublica hodie *Elephante* utatur pro Sigillo publico: illud equidem ſcire vellem, quia non incommode inſereretur *Elephanto* meo, & ſpero Te eam in rem inquiſiturum, licet & aliis ſimilibus quaeſtiunculis oblitus fueris reſpondere; id quod Te corrigere velle etiam atque etiam rogo.

Ex Germania diu nullas accipio: *Begerus* non ſatis proſpera utitur valetudine, id quod & *Leibnitzio* evenire credo, quia caeteroquin in reſpondendo fuit diligentiſsimus; & a *Sperlingio* quotidie novas expecto, & ſpero eum illuſtraturum Nummos Hiſpanos,

qui

qui ſimilibus, ac *Runicae* ſunt, literis inſcribuntur, quia in eo nunc eſt ut explicet eam ſcripturam, & in illius primas origines inquirit; putatque eam tam antiquam non eſſe, ac Sveci ſibi perſuadere ſolent.

Hac Vrbe nunc homuncio eſt natus abſque pedibus & manibus, longus ulnam & quadrantem; qui tam eleganter ſcribit, ut iurares typis literas & picturas, quibus eas exornat, deſcriptas eſſe, pennas ipſe ſibi facit, idque ope protuberantis carnis, quae a cubito dependet; facit & alia plane mirabilia, adeo ut obſtupuerim, quando ea conſpexi; admiratuſque ſimul fui Dei Providentiam, quia non hominem, ſed truncum fere, excepto capite quod ſatis elegan, illi eſt, tam ſingulari ingenio donavit, ut ipſe ſibi victum parare poſsit. Pulcherrimam, ut audio, habuit uxorem, quae fato Roterodami obiit, & ex ea ſuſtulit non minoris elegantiae infantem. Vale plurimum. Davent. 14. Febr. 1705.

Litteras ad *Bonioutium* ſcriptas apertas reliqui, ut inſpicere poſsis praeclaras veteris aevi relliquias. *Sicco Abbring* Friſius molitur opus *de Re Ruſtica Hebraeorum*.

EPISTOLA XXXX.

Binas epiſtolas Tuas accepi, ſed illam, quae ſcripta eſt 14. Februarii ante quindecim, & alteram exaratam 18. Ian. ante paucos dies, & neſcio ubi haec tamdiu haeſerit. Redditae mihi etiam ſunt litterae Il-

luſtriſ-

luſtriſs. *Fontanini*, ad quem rogo vehementem in modum, ut reſponſionem meam, non ſecus ac alteram epiſtolam ad Illuſtriſs. *Corradinum* curare velis. Remitto etiam epiſtolam, quam Italico Idiomate ad Te ſcripſit idem *Fontaninus*, & ex illa, non ſecus ac alia quam ad me miſit, biniſque Tuis, non ſine rubore perſpicio, aliquo, imo multo loco Romae eſse qualemcunque meam eruditionem.

Et quid quaeſo, glorioſius mihi eſse poteſt, quam Summum Pontificem, qui tot & tanta negotia ſuſtinet, e throno quaſi deſcendere, & ſe dimittere ad literas & nugas meas legendas, & tot induſtria atque praeclara ingenia, exemplo Auguſti Principis, inde capere ſingularem voluptatem?

Nunquam honor ille mihi excidet, ſed memoriam eius ſervabo ſempiternam, meque nunc primum perſpicio aliquid in literis profeciſse, cum in ſummo humanarum rerum faſtigio conſtituti Viri calculis ſuis haud obſcure approbent quicquid, licet non ſatis edolatum ſit, a me fere proficiſcitur.

Gratias igitur iis omnibus, quas poſſum, maximas ago & habeo, & referrem etiam, niſi longe dignitate & gloria me ſuperent, & inter alios capita efferant *quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi*, quam comparationem maxime Pontifici Summo convenire, credo mecum exiſtimaturum.

Tibi autem, Ill. *Antoni*, plurimum debeo, quod me tam laetis nuntiis bees, & quod id agas ſedulo, ut epiſtolae meae perveniant in inſignium tam dignitate, quam eru-

eruditione Virorum manus, & beneficii eius ſemper memor vivam.

Literas ad Ill. Bar. *Spanhemium* curavi: recte *Orbem eius Romanum* laudas; eſt enim plenus omni genere doctrinae humanioris; egoque ex eius lectione ſingularem fructum percepi. Credo nos propediem accepturos Diſſertationes eruditi huius Legati, plus quam alteram partem auctiores. Eſt vir ille valde occupatus, & factum eſt, ut diu ab eo nullas literas tulerim, cum tamen mihi frequentem per alios ſalutem mittat.

Illuſtriſs. Virorum *Corradini*, & *Fontanini* lucubrationes ad Conſulem Calkbernerum mitte; eum hoc ipſo tempore rogavi, ut earum curam habere velit, id quod facturum eumdem nihil eſt quod dubitem.

Begerius Sereniſs. Boruſsiae Regis Antiquarius, & multis editis libris clarus diem obiit ſupremum; & ubi catalogum accepero librorum, quos editioni paratos habet, continuo eum ad Te mittam. Succedet, uti credo, Nepos, qui eum per binos vel tres annos decreto Regis iuvit, quique diu cum *Spanhemio* tam in Anglia, quam alibi fuit, & nummorum, monumentorumque veterum eſt valde intelligens; adeo ut ſperem, eum id acturum ſedulo, ut Opera Avunculi poſthuma typis deſcribantur propediem: nomen ei eſt *Sebotta*.

Spero Te accepiſse epiſtolam, quam ad Te ſcripſi 14. Menſis proximi, & alteram, quam illa complectebatur, curatam eſse ad doctiſs. *Boniourium*, cuius reſponſio mihi veniet accepiſsima, quia certus fere ſum

eum

eum enodaturum myſteria, de quibus cum eo binis ultimis literis egi.

Ecce Tibi exemplar Scripturae *vivi trunci*, ut ſic loquar, *humani*, de quo proxima epiſtola Tecum egi; ipſe meis oculis vidi eundem id exaraſse; papyrus verti lecta linea prima, & quarta debet, & ita aliquis Belgicae linguae peritus in ea haec inveniet: *Februarius habet* 28 *dies. Ego Matthias Buchinger hoc abſque manibus ſcripſi Daventriae anno* 1705. & ornamenta ſunt ab eadem manu. Cum id agere vellem, ut latinam mihi ſcriberet ſententiam, eamque multo pulchrius exornaret, aliam in urbem ſeceſserat; & ecce Tibi, quod illi exarandum dare conſtitueram: *Beatus qui vitae aeternae praeſumptione perfruitur, certuſque ſalutis, cum Chriſto & futura gloria vivit*: id quod fere ex Plinio Iuniore ſumptum eſt, qui *beatum* ex opinione gentilium, vel ſaltem ſua deſcribit; ſed ego inſerui *D. N. I. Chriſtum*, qui nobis ſalutem aeternam adquiſivit. Adiecisſem nomen meum & honores quos geſsi & quibus cum maxime ornatus ſum: at ſpero me miraculum iſtud hominis in alia inventurum urbe, & eum ſatisfacturum meo deſiderio.

Ex epiſtola autem, quam ad Illuſtris *Spanhemium* miſiſti, non modo cognovi qui libri editi ſint in Italia, ſed etiam quem honorem Tibi habuerit Sereniſsima Boruſsiae Regina. Eum certe Tibi ex animo gratulor, licet forte Auguſta illa voto ſuo exciderit, quia Deo Summo noſtro Imperatori viſum fuit eandem a ſtatione ſua revocare. Patere

autem

autem ut mittam, Te peccare in ſtudia communia, quod Te pingi nolis; accenderet enim vultus Tuus aliorum diligentiam, & ſedulitatem, quae in Te tam eximiae & egregiae ſunt, & inde maior fructus perveniret ad Rempubl. Literariam. In vitam Tuam tanquam in ſpeculum inſpicerent, & ex Te ſumerent exemplum ſibi, cum vix alius Tibi comparari poſsit, ſi libros, & literarum commercium ſpectes; me certe ille inflammaret etiam, & currenti, praefiſcine dixerim, adderet calcaria. Vale, plurimum. Dav. 4. Aprilis 1705.

EPISTOLA XXXXI.

Menſe Aprili proximo literas ad Te dedi ſatis prolixas, & quanquam non ſignifices 10. Iunii Te eas accepiſſe, tamen reſponſum Illuſtriſſ. *Fontanini* me edocet eas recte curatas eſſe. Egi iis de variis rebus, quae vix dubito, quin Tibi pergratae fuerint, quanquam ne verbulo quidem quicquam admoneas. *Boniourii* epiſtola mihi venit acceptiſſima, multumque viro diligentiae & eruditionis ſpectatae debeo, quod in *Inſcriptionem antiquam Cardinalis Carpenſis* inquiſiverit, licet illa ipſa iam inveniri non poſſit.

Laetor illos qui *Acta Trivultii Eruditorum* componunt, ſe ſe correxiſſe, Tibique male ereptum reddidiſſe honorem: nullus dubito, quin Abbas *Vignoli* ſit eruditiſſimus, & inde eſt quod ſummopere deſiderem le-

legere illius *Explicationem Columnae Antonini Pii*, rogoque vehementem in modum, ut ad eum litteras, quas vides, curare velis.

Ex Indice librorum, quem ſimul transmitto, videbis qui libri in Batavis, in Anglia, & Germania editi, & inde hanc in urbem translati ſint. Ipſi tituli Te docebunt, plurima bona iis contineri, eorumdemque lectione optima ſic extendi poſſe eruditionis uſuram. Digna in primis lectu eſt *Io. Andreae Fabricii Bibliotheca Graeca*, & tot illa res eruditas complectitur, ut vix legendo Te exſatiare poſſis; promittitque Vir ille eruditiſſimus adhuc aliquot alios tomos, & ita Auctorum veterum hiſtoriam abſolvet magno eruditorum cum emolumento & commodo.

Non mitto haec, quia qualemcunque eruditionem meam aliquoties laudat, idque ſatis copioſe; ſed quia diffugere non poſſum quin tale teſtimonium reddam libro, qui veluti eſt Κέρας Ἀμαλθείας, ſi argumentum, quod exornandum ſumpſit ſpectes, id quod proculdubio omnes eruditi cenſebant, & inter eos Tu etiam, Ill. *Magliabequi*, ſtatues, ſi quando lucubratio illa in manus Tuas pervenerit.

Pariſiis ad me dono miſit Iuvenis Antiquarius, cui nomen *Gros de Boze*, Diſſertationem, qua explicat Inſcript. nuper Lugduni inventam, quaeque memoriam *Sacri Taurobolii* conſervat hoc titulo: *Explication d'une Inſcription antique, trouvée depuis peu a Lion, ou ſont deſcrites les particularitez des Sacrifices, que les Anciens appelloient* TAVROBOLES,

A Paris 1705. Eſt illa erudita, & certum indicium auctorem in magnum evaſurum virum.

Medicus Pariſienſis, cui nomen *Genebrier*, ad me etiam miſit Differt. ſuas ſuper *Magna Vrbica*, & *Nigriniano*, vel eorum Nummis, oſtenditque praeclare, ſe optima fide cum Muſis rationem deduxiſſe.

Atque inde perſpicies, non modo Romae, Venetiis, & in reliqua Italia coli valde, & promoveri antiquorum Monumentorum ſtudium, verum etiam in Galliis, in Batavis, in Germania, & ubicunque eſt aliquid hominum elegantiorum; & praeter Illuſtris *Spanhemii Diſſertationes alteram partem auctiores*, expectamus ex Anglia aliorum curas, quae eandem ad metam tendunt, & quorum auctores eodem calamum collineant.

Eſt etiam apud Friſios *Sicco Abbring*, qui molitur opus *De re ruſtica Hebraeorum*, quo varii Gentis illius ritus explicabuntur nova, & intentata aliis via; & apud nos vivit *Nicolaus Gurtlerus* S. Theolog. Profeſſor, qui incumbit novae Hiſtoriae univerſali, fidemque mihi fecit, ſe plurima in medium afferre, quae apud nullum alium invenias, adeo ut opus hoc quaſi novum plane ſit exiturum.

Ego iam aliquoties fui in praecinto ut Amſtelaedamum excurrerem, ageremque cum bibliopolis *De Elephante meo*, & *Hiſtoria trium Gordianorum*; ſed Reſpublica mihi toties remoram iniecit. Nihil tamen perdet Reſp. Literaria, nam ita lucubrationes illae poliuntur, & augentur magis magiſque, &

hic

hic vel ille auctoris locus mihi ſaepe materiam praebet aliquid novum & indictum afferendi in medium; quod ſubinde, praefiſcine dixerim, Veneres ſuas habet.

Rogavi Te 14. Februarii proximi, uti etiam a ſymbolis eſſe velles ad ornandum *Elephantem meum*, atque adeo uti me doceres, an inſignia *Catanae* in Sicilia hodie eſſent idem illud animal: da id quaeſo ſtudiis, gloriae Tuae, & mihi, ut quid huius ſit rei, certior fiam. Vale etiam atque etiam. Daventr. 22. Aug. 1705. * *

EPISTOLA XXXXII.

Reddita mihi eſt epiſtola, quam brevem 22. Iulii die ad me miſiſti, ſed brevitatem illam compenſabat altera prolixa, quam ad excellentis dignitatis & doctrinae Legatum *Spanhemium* ſcripſiſti, quam apertam legi, & ex qua ſingulari animi mei cum voluptate, intellexi quid rerum agant Itali eruditi, & quam diligenter praeclara illa ingenia operentur caſtis Muſarum ſacris.

Spero Te iam diu accepiſse literas, quas 22. Auguſti ad Te dedi, & curatas eſse alias, quae iis iunctae erant ad *Fontaninum*, & *Vignolium*, Viros utique Illuſtriſs. & eruditiſsimos.

Plurimum debeo Illuſtriſs. & Excellentiſs. *Corradino*, quod licet plurimis gravibuſque negotiis ſit circumvallatus, mei tamen meminerit, & tanti fecerit amicam

meam compellationem, ut ad me tam elegantem, & amoris, benevolentiaeque plenam epiſtolam miſerit, Certiorem quaeſo fac Virum inſignem, me plurimum eo nomine ipſi debere, non ſecus ac quod mihi dono mittit *Latium* ſuum *Vetus*; quod ubi accepero, non deſinam illud legere, & tunc mihi dabitur occaſio, iterum eundem conveniendi, id quod nunc facere non audeo, cum quia mihi materia non ſuppetit cura & attentione eius digna, tum quia rationem habeo negotiorum quibus perpetuo diſtringitur, & maxime quia Tu, Ill. *Antoni*, cum eo aliiſque communicas quae a me ad Te mittuntur.

A Spanhemio nullas diu litteras accipio; certior tamen factus ſum ei viridem eſse ſenectutem, & propediem publicatas iri *Diſsertationes* eius; id quod equidem ut fiat vehementer opto, quia procuſdubio multa praeclara illis continebuntur, & aliis indicta.

Fui nuper per aliquot dies Amſtaeledami, & vidi raritatis eximiae Nummos magnam partem ineditos, & plures vidiſsem niſi negotia me revocaſsent Daventriam; unde & conſtitui iterum me eo conferre, ut oculis & manibus meis tractem ſplendidas illas veteris aevi relliquias.

Iacobus de *Bary*, vir ampliſsimus, fidem mihi fecit, ſeſe explicaturum *Nummos Celtibericos*, qui characteribus incognitis plane inſcripti ſunt: varios, ſed parum correctos publici olim iuris fecit Hiſpanus quidam, novi enim ſequentem librum ibi

edi-

editum eſse : *Muſeo de las Medallas deſconocidas Eſpagnolas publicado por D. Vincentio Iuan de Laſtanoſa Seneor de Figaruelas : Impreſſo en Hueſca por Iuan Nogues , anno* 1645. 4. Contuli typos illos cum nummis *Baryanis* , ſed inſignem differentiam inveni ; id quod & mihi evenit in examinandis *Gaditanorum*, quos idem amicus meus ſervat, *Nummis* , quorum varii inſerti ſunt libro , cui titulus : *Grandezas y Antiguidades de la Isla y Ciudad de Cadiz par Iuan Baptiſta Suarez de Salazar Racionero en la Sancta Igleſia de Cadiz : en Cadiz* 1610. 4. Parat Diſsertationem *de Populis , qui variis temporibus Hiſpanias occuparunt* ; & *Ioh. Clericus* per quam erudite explicavit *Gaditanorum Nummos* ; legique illas Diſsertationes ſummo cum fructu , nec minori cum animi mei gaudio.

Inſcriptiones Gruteri nondum abſolutae ſunt , procedunt ſatis lente , idque ideo , quia nimis multae tabulae aeneae ex *Boiſſardo* & aliis ſumptae iis inſeruntur , adeo ut futurum ſit opus ingens & ſumptuoſum , quod an typographorum expectationi ſatisfacturum ſit , gravi hoc bello , multum equidem dubito. *Inſcriptiones Marquardi Gudii* in ordinem ſunt redactae , ſed an manus librarii iis admoturi ſint ignoro.

Ioh. Clericus parat editionem *Epigrammatum veterum* , & *D. Hieronymi de locis Hebraicis* , nec eſt quod dubites , quin ille multa erudita in notis nobis propinaturus ſit , cum ipſe expertus ſim , virum eſse ſummae & exquiſitae eruditionis , quem miror tot laboribus ſufficere.

A. Gellius cum notis Gronovii etiam propediem lucem adſpiciet publicam ; & *S. De Vries* magnum molitur opus, *Dictionarium nempe Historicum & Geographicum*, in quo deſcribentur Belgicae origines, & antiquiſſimi harum regionum populi, una cum deſcriptione urbium, vicorum, monaſteriorum, caſtellorum, fluviorum, lacuum, eorumque originibus & fortunis, & vitis rebuſque geſtis Principum, Virorum eruditorum, mulierumque, qui eruditione & bellicis rebus inclaruerunt : ex Indice cognoſces inſuper, qui libri hic editi ſint. Vale etiam atque etiam. Daventr. 18. Octob. 1705. * *

EPISTOLA XXXXIIII.

EX litteris, quas ad me 16. Octobris die dediſti, intellexi Tibi meas ſecundo & vigeſimo Auguſti die ſcriptas, redditas eſſe, & ſpero alias, quas miſi hinc XVIII. Octobris etiam in manus tuas perveniſse, & inde Te proſpexiſse me tuas, XVI. Oct. datas ad me, accepiſse, alteraſque curaſse ad excellentis dignitatis ac doctrinae Virum *Ezech. Spanhemium*, a quo per longum tempus nullas literas accipio, id quod attribuo gravibus eius negotiis, nullo autem modo imminutae erga me prolixae voluntati.

Multum *Boniourio*, viro certe profundae eruditionis, debeo quod mihi dono mittat *Diſſertationem in Hiſtoriam ſacram primae*

nae Mundi aetatis (1), & ſpero *Calkbernerum* eam diligenter curaturum, atque me etiam accepturum ſimul *Fontanini Vindicias Antiquorum Diplomatum*; & ad bibliopolas noſtras delatam iri *Battelli Diſſertationem de Sarcophago marmoreo Probi Anicii & Probae Faltoniae*, quem certe non abſque ſingulari voluptate depictum vidi in *Boſii Roma Subterranea*.

Plurimum me devinxit *Vignolius*, quod litteris meis reſponderit, & mecum agat de *Columna Antonini Pii*; quam illuſtrabit proculdubio propediem: ecce Tibi alias ad Virum praeſtantem litteras, quas Te curare velle etiam atque etiam rogo, non ſecus ac alteras ad *Boniorium*, quas eidem gratas fore nihil eſt quod dubitem.

Rubore autem me ſuffundunt laudes, quibus literas, & qualemcunque meam diligentiam proſequeris; & quod eas legendas tradis Viris ſpectatae doctrinae, & inter eos etiam Legato Sereniſsimae Angliae Reginae (2), quem, licet ne nomine mihi quidem cognitus ſit, verbis rogo meis amantiſsimis, & obſervantiſsimis ſalutes, non ſecus ac eruditos, quos ſcribis, niſi auribus meis inſidias facis, lectione epiſtolarum mearum delectari.

H 4 Lit-

1 *Guil. Bonicur Diſſertatio in Hiſtoriam Sacram primae Mundi aetatis habita per Dialogos in Academia Divinarum Literarum Seminarii Montis Faliſci. Apud Montem Faliſcum 1705. in fol.*

2 *Henrico Nevvton, ſeu de Nova Villa.*

Litterarum mihi commercium eſt in Anglia cum *Alexandro Cuningamo*, qui ad me curavit donum Excellentiſsimi Comitis *de Pembrok*. Sciebat is me poſsidere binos Nummos, quorum deſiderio tenebatur; certior eius rei factus, continuo Londinum eos mihi dono Comiti; is eoſdem remittere volebat, ni vel pretium, vel libros accipere vellem; ego reſiſtere, certus propoſiti, verſabaturque mihi ante oculos vetus illud, *Nec mihi aurum poſco, nec pretium dederitis*; ſed tandem expugnatus, & ne viderer gratiam effundere alte nati Viri, libros accipere coactus fui; & qua ſumma eſt Comis liberalitate & animi magnitudine, miſit ad me *Suidam* 3. Volum. cum *notis Neocori*; *Dion. Halycarnaſs.* ultimae editionis 2. Vol. *Opera Bulli*; *Vitam Elfriei Regis*; *Catalogum Bibliothecae Bodleianae*; *Geographos minores veteres*, 2. Vol. *Auctores Geoponicῶν Gr. Lat. Apicium de Re Culinaria*; & tandem *Horatii opera in uſum Sereniſs. Ducis Gloceſtrienſis*, qui fato brevis, ante aliquot annos Anglis & Europae ereptus eſt. Plerique horum librorum recentes ſunt, & *Horatius* anno 1698. editus eſt typis tam ingentibus & pulchris, ut plane dignum ſit opus Regio Principi, & pulcherrimos Gallorum characteres vel equet, vel vincat.

Haec ad Te ſcribo, ut inde perſpicias Comitis munificentiam, atque adeo benevolentiam, qua me complectitur; fui enim, cum vivo *Guilielmo* Rege Legatum Hagae-Comitis ageret, per varias vices cum eo, egique & de rebus ad Rempubl. & erudi-

tio-

tionem ſpectantibus ; ibique etiam familiariter cognovi *Epiſcopum Saliſburienſem*, qui cum VVorceſtrienſi, quem ſemel ſalutavi, perpetuam mei memoriam ſervant.

Ecce tandem Tibi Indicem librorum, qui in Holandia, editi, vel ex Anglia ad nos adlati ſunt ; & etiam atque etiam vale. Dav. 8. Dec. 1705. * *

EPISTOLA XXXXIV.

VLtimas ad Te litteras dedi XIII. Sept. proximi die, cum prope Tornacum Nerviorum agerem in caſtris Foederatorum, atque ex iis intellexiſti proculdubio me valere, rem feliciter gerere, & inter armorum, armatorumque ſtrepitus & tumultus, Muſarum etiam memorem vivere. Nunc Te certiorem facere debeo, me a feliciſſima expeditione laribus primo reducem fuiſſe initio Decembris, & Antuerpiae, dum iter facio, ſalutaſſe nomine Tuo Reverendos & Perdoctos Viros *Papebrochium*, atque *Ianningium*. Verbis vix exprimere poſſum, quantopere gaviſi fuerint, ubi nomen Tuum audiverunt, atque adeo certiores facti ſunt, inter *Cuperum* & *Magliabequium* eſſe literarum commercium: laetabantur etiam quod me, quem fama & ex editis libris cognoſcebant, praeſentem conſpicerent, & tam illuſtri dignitate ornatum ſalutarent ; Inde mihi patuit Bibliotheca, patuit Garzophylacium, quod iis a fratre Archiepiſcopi Mechlinienſis, morti cum proximus foret, legatum eſt. Vidi cer-

te

te in eo nummos raritatis eximiae, atque adeo, ut puto, ſingulares & ineditos. Sed iraſcor negotiis meis, quod mihi tantum temporis non reliquerunt, ut eoſdem annotare, & deſcribere, vel iterum theſaurum illum inſpicere potuerim. Cum enim una cum duce *Marloburgio*, aliiſque Ordinum Generalium Legatis, quantocius Hagam me conferre deberem, nec illi vel unum diem morari amplius in Emporio celeberrimo vellent, ego quidem eorum conſilia ſequi debui, & ita invitus reliqui delicias meas, quas tamen alio tempore, ſi Deus favet, ſpero me viſurum, & tractaturum manibus meis.

Is qui antiquariae ſuppellectili praeerat ſocius appellabatur *Soulier*, eratque apprime reliquiarum aevi veteris intelligens, ad hoc eruditus, comis, & humanitate ſingulari praeditus, quam etiam non ſecus ac omnigenam doctrinam in ſene *Papebrochio*, & adulto *Ianningio* non abſque gaudio perſpexi: pergunt Viri illi eximii in adornandis *Sanctorum Actis*, & multum proculdubio illis debet Reſpubl. Litteraria, quod tam immenſum laborem, & quidem Herculeum ſuſcipiant, & tanta cum laude ferant.

A Legato Reginae Anglorum litteras accepi, & inde perſpicio eundem Genuae agere, & deſiderio magno teneri Florentiae; quia ut ut Urbs illa ſplendida, & magnifica eſt, tamen non invenit ibi eruditos, cum quibus aliquot horas tranſmittere poſſit; id quod ſaepiuſcule antea fecit Tecum, aliiſque eruditis, quorum è numero *Salvinum* eſſe didici ex *Vita Pythagorae*, *Verſibuſque eius aureis*,

reis, quos Commentario illuſtravit *Dacierus*, & proinde rogo Te vehementer, ut eundem virum pereruditum verbis meis amantiſſimis ſalutare velis.

Ecce Tibi etiam litteras ad *Corradinum*, *Fontaninum*, *Vgnolium*, & *Boniourium*, quas fidei Tuae committo, & peto ſummopere, uti eas ad Viros illuſtris dignitatis & ſummae doctrinae cures deferendas.

VVilh Erneſtus Tentzelius Conſiliarius Regius & Electoral. Saxon. mihi dono miſit *Saxoniam Numiſmaticam*, ſive *Nummophylacium Numiſmatum Mnemonicorum & Iconicorum*, in qua ex vetuſtis Saxoniae Ducum nummis, ſive ob res geſtas, ſive in uſum quotidianum ſignatis, eorum hiſtoriam perele-ganter Latine & Germanice digerit, 2. Vol. 4.

Io. Andreas Schmidt Abbas Mariaevallenſis duas Diſſertationes, quarum prior agit De Hiſtoria ſaeculi ſecundi fabulis variorum maculata, altera De Annulo Paſtorali; iisque varios Chriſtianorum ritus ſollerter elucidat.

Burmannus Orationem, qua celeberrimam anni elapſi expeditionem, cuius aliqua pars fui, commemorat: videtur in multis Demoſthenem imitari, qui Philippum Macedonem ſatis inclementer habuit &c. Vale plurimum. Daventr. ipſis Cal. Ian. 1707.

Litteras Boniourio deſtinatas abſolvere non poſſum.

EPISTOLA XXXXV.

REdditae mihi fuerunt epiſtolae, quas 16. Februarii, & 29. Maii ad me dediſti, una cum altera *Iuſti Fontanini*, quam Vir egregie doctus fidei Tuae commiſerat.

Vt autem ex iis ſingulari animi cum voluptate accepi, qui libri in veſtro orbe editi ſint, ita laetor ſummopere, ultimas meas in manus Tuas perveniſse, eaſque literas Tibi, aliiſque eruditis non diſplicuiſſe, quam fortunam eaſdem experturas Romae etiam ſpero.

Vultus Tuus mihi erit acceptiſsimus, eumque collocabo in Muſaeo, ut eius aſpectu magis magiſque accendar ad extendendam Tuo exemplo eruditionis uſuram.

Amſtelaedami per pluſculos dies fui, & *Ioh. Clericus* aget cum bibliopolis, de libellis meis praelo ſubiiciendis: incidi dum navi vehimur, inter Traiectum & Amſtelaedamum, in duos Miſsionarios viros graves & probos; unius nomen erat *Franceſco Maria di San Siro*, alter vocabatur *Denys Schinebellei*; cumque antea in Oriente & Indiis fuiſsent, de variis earum regionum miraculis, ut ſic loquar, cum iis egi, magnamque voluptatem ex eorundem narrationibus cepi. Laudabant valde libros, quibus tituli ſunt: *Iſtoria dell' Imperio del Gran Mogol in tre tomi in foglio di Nicolao Manucci*, & *Giro del Mondo del Dottor Gemelli ſtampato in Roma*; & primum quidem inde ex verſione

Gal-

Gallica didici, optime & accurate, nec minus laeta brevitate, conſcribere Res Impp. Indorum, deducta a *Tamerlane*, fulmine illo belli, uſque ad haec tempora hiſtoria.

Almeloveenius Medicus & Hiſtoricus Hardervicenſis edidit *Strabonem* pulcherrimis typis, nuncque manus admovet *Epiſtolis Caſauboni*, quas dabit auctiores.

Burmannus Petronio incumbit, eiuſque pars iam parata eſt, & apud Bibliopolam *Vandevvater* poteſt videri: egit Vir doctiſſimus mecum de nonnullis *Fragmenti Tragurini* locis fere conclamatis; a ſymbolis fui, ſed neſcio profecto an aliquid praeſtiterim, quia tot naevis illud faedatum eſt. Servat etiam in Bibliotheca ſua *Nicolai Heinſii notas in Silium Italicum*, eaſque publicandas dedit in manus Iuvenis doctiſſimi *Draekenburgii* & qui haud modicam ſibi famam paravit editis binis Diſſertationibus de *Praefecto Urbis*, & de *Praefecto Praetorii*, in qua ultima mei perquam honorificam facit mentionem, eademque gradum meruit Doctoris Vtriuſque Iuris. Cum autem ſis πολυμαθέστατος, doce me quaeſo, an typis vulgatus ſit liber ſequens: *Veterum Hiſpaniae Deorum Manes, ſive reliquiae, Ruderico Caro Baetico auctore: Liber unus, Illuſtriſſimo Domino Adamo Centurioni A Corduba, Marchioni Aſtapano, Almunienſi, Lauulenſi &c. dicatus anno* 1629. Amicus quidam meus eum poſſidet manu exaratum, & credo eundem hanc lucubrationem publicaturum, ſi antea non prodiit in dias luminis oras. *Carus* ille

fuit

fuit utique vir doctus, diligentiſsime in Antiquis Hiſpaniae Monumentis verſatus, uti ex alio libro ipſius mihi patuit omnino.

Kuſterus, vel *Neocorus* editione *Suidae*, & aliis operibus editis notus, publicat, & notis illuſtrat *Iamblichi vitam Pythagorae*, & nobis etiam exhibebit *Ariſtophanem* cum MSS. collatum, & inedito *Scholiaſte* auctum. *Sykius* ibidem, vir praeſtantis doctrinae, *Heſychium* adornat, & latinam verſionem *Alcorani*, nec non *Mohametis* Vitam, quam noſti ante aliquot annos etiam conſcripſiſse eruditum Anglum, cui nomen *Prideaux*, quae certe lectu eſt digniſsima; & ſi meliora dabit *Sikius*, atque certiora, multum illi debebit Reſpubl. Literaria procul dubio.

Adlatus ad nos ex Germania eſt liber titulo ſequenti: *Reponſe a l' Hiſtoire des Oracles de M. Fontelle, dans la quelle on refute le Syſteme de M. Van-Dale ſur les Auteurs des Oracles du Paganiſme, ſur la cauſe & le temps de leur ſilence, & ou l' on etablit le ſentiment des Peres de l' Egliſe ſul le même ſujet. A Strasbourg*, 1708. 8.

Crenius edidit Tomum XIII. XIV. & XV. *Animadverſionum Hiſtoricarum*, quibus inſertae ſunt variae Eruditorum defunctorum Epiſtolae. Vale. Davent. XI. Iul. 1707.

EPI-

EPISTOLA XXXXVI.

REddita mihi eſt epiſtola, quam ad me ſcripſiſti nono Auguſti proximi die, & inde edoctus ſum recte curatam eſse eam, quam undecimo Iulii ad Te dedi, laetorque ſummopere eam Tibi, Ablegato Anglo, aliiſque Viris inluſtribus & praeſtantibus placuiſse. Excellentis dignitatis & doctrinae Viro *Henrico de Villa Nova* rogo tradas literas, quas vides, & credo Te ex illarum lectione, niſi mihi imponit prava perſuaſio, aliquam, imo, ſi pateris, multam voluptatem capturum.

Gratias tibi ago, quod me doceas, *Roderici Cari* librum nondum vulgatum eſſe; exhortatus ſum manuſcripti illius dominum, ut publici iuris faciat, nec privatis parietibus premat opus, quod ſaeculo eſt profuturum; ſpero illum hoc daturum mihi, Muſis, atque adeo Tibi, cuius verba cum eo communicavi; & quantum equidem videre potui, *D. Nicolaus Antonius*, quem equidem penitius cognoſcere vellem, recte appellat lucubrationem illam, *aureum opus*.

Oblectarunt me tituli librorum, quos ad me miſiſti; ſed cum eos lego, ſemper doleo, eoſdem ad nos non deportari, & accuſare ſoleo negligentiam bibliopolarum noſtrorum, qui mercibus tam vendibilibus tabernas ſuas non exornant, & implent. Doce me quaeſo an *Patina argentea myſtica*, quam ſcribis *D. Petrum Chryſologum* dediſse

mu-

munus Eccleſiae Foroiulienſi, ſit ſculpta, & facta illo quo vixit tempore; an vero ſit opus Gentile; qualia varia uſibus ſacris inſervire conſtat.

Fontanelli, & *Antonii Van Dalen* ſententias *de Oraculis* impugnatas eſse a neſcio quo erudito Viro, in libro Baſileae typis deſcripto, nuper ſignificavi; nunc addo illum refutari in *Bibliotheca Selecta*, *Bibliotheque Choiſie de M. le Clerc* Tom. 13. *a la page* 179. *& ſuivantes*, quae lectu revera non indigna ſunt.

Significes, quaeſo, Illuſtri *Fontanino*, *M. Antonii Gatti epiſtolam pro Vindiciis Antiq. Diplomatum* typis Amſtelaedamenſibus deſcriptam eſse; ſed nondum me vidiſse, vel certe hanc in urbem non perlatam eſse, alteram *Abbatis Lazzarini*, quanquam eius mentio iniiciatur in *Ephemeridibus Eruditorum*, quae in Batavis publicantur. Laetor valde hanc difficilem materiam tanto molimine illuſtrari, & audio *Petrum Conſtantium* acceſsiſse *Fontanino*, ac defendiſse *Vindiciis* editis codices a *Germonio* impugnatos.

Barneſius eruditus admodum Anglus, & edito *Anacreonte* inprimis celebris, parat *Homeri* editionem ad fidem MSS. correctam, vitam poetae, ſcholia emendare, & fragmenta colligere. Miſit ad me *Anacreontem Chriſtianum* typis Cantabrigiae deſcriptum, quo ſtylo & metro Poetae Teii, celebrat myſteria Sanctae noſtrae Religionis, alioque carmine deſcribit, pari felicitate, *Marlburgii Ducis victoriam ad Danubium* caeſis fortiſſimis Gallorum copiis partam. Si unquam

Pytha-

Pythagorae, & aliis olim, nunc etiam Indorum ſapientibus credita Metempsychoſis, aliquo fundamento ſolido ſuperſtructa fuit, crederes animam *Anacreontis* in *Barneſii* corpus migraſse, tam pulchre, & tam floride dulce ſonantem Poetam imitatur; qua occaſione mirari ſatis non poſsum, *Iulianum Apoſtatam*, diligenter caeteroquin Philoſophiae praeceptis imbutum, eo dementiae prolapſum eſse, uti animam ſuam dixerit olim fuiſse *Alexandri Magni* in corpore. *Allixius*, pulſus Patria Gallus, quae clades multos probos, pioſque viros afflixit, Londini edidit *Diſſertationem de Chriſti anno & menſe Natali*, quam ferunt, neque enim ipſam adhuc vidi, multa refertam eſse eruditione. Qui libri praeterea editi ſint ex catalogo, qui ſequitur, cognoſces; hiſce nunc fruere, & alio tempore, ſi modo nunc non ſum nimius, ero prolixior. Vale ſummopere. Davent. ipſis Cal. Octobris 1707. * *

EPISTOLA XXXXVII.

Apud *Lucianum* mortui colloquuntur, ſed ſaeculo, quod vivimus, illi etiam literas ad amicos ſcribunt. Significaverat mihi Illuſtris *Leibnitzius* fine anni proxime elapſi, Te, bona fide, ultimum valere dixiſse humanis rebus: ego id dolens & maerens credebam; idque eo magis, quia tam longo tempore nullas literas a Te acceperam, & ſemper fueris in reſpondendo diligentiſſimus.

Plurimo igitur & ſincero gaudio affectus fui, poſtquam manum Tuam vidi, & literas initio anni huius ſcriptas legi; iſque nuntius me valde exhilaravit.

Gratulor igitur Tibi ex animo non modo reſtitutam ſanitatem, verum etiam honorem, quem Tibi habuerunt Magni Principes (1), qui more Sereniſsimorum Maiorum ſtudiis favent, ſtudioſos amplectuntur; unde nec mirum eos pro Te fuiſſe ſollicitos, cum non modo Florentia, ſed omnis erudita Reſpublica magnum, Te nobis erepto, damnum faceret.

Si quid popularibus meis credendum eſt, eiuſmodi rumores ſunt prognoſtica longioris vitae, quam ſpero Tibi daturum Summum Noſtrum Imperatorem Deum, vel, quod mihi commode in mentem venit, Θεὸν Αὐτοκράτορα, quo contumelioſo in Deum titulo in nummis ſuperbit impius & inſanus *Caligula*.

Ne quaeſo nimium fidas viribus tuis, vel Tibi ipſi incommodes; maloque per aliquod tempus, licet longiuſculum, ignorare quid agant eruditi, quam ut Te ſcribendo novae febri exponas; tutiſsimumque & mihi gratiſsimum erit, ſi valetudinem tuam curare velis diligenter.

Ad Legatum Angliae longam nuper dedi epiſtolam & verboſam, nec dubito,

quin

1 *Ferdinandus* M. Etr. Princeps *Magliabechium* gravi diuturnoque morbo conflictatum, Lares ſuos in ipſum Regium Palatium transferre iuſſit.

quin Vir illuſtris eam tecum communicaverit; ſcripſique etiam ad Illuſtriſs *Corradinum*, nec non praeſtantiſsimos Viros *Vignolium*, & *Fontaninum*, quas litteras, propter famam falſae mortis tuae, rogavi Nuntium, qui nunc Coloniae eſt, & quem Bruxellis cognovi, uti curare velit, id quod tam amplae dignitatis virum feciſse, nihil eſt, quod dubitem.

Hadrianus Relandus Linguar. Orientalium Traiecti ad Rhenum Profeſsor edidit tertiam partem ſuarum elegantium *Diſſertationum*, eamque mihi inſcripſit. Agit in ea de *Iure Militari Turcarum*, & variis *Orientalis & Occidentalis Indiae Linguis*, quarum utique diverſitas me plane rapit in admirationem, laudatque pag. 193. praeclare Clariſs. *Fontaninum*.

Ioannes Maſſon publicavit *P. Ovidii Naſonis vitam*, ordine Chronologico ſic delineatam, ut Poetae fata & opera veris aſſignentur annis, notiſque Philologicis & Hiſtoricis illuſtrentur, atque Auguſtei aevi ritus moreſque varii elucidentur, Amſtel. apud VVaesbergios 1708. 12. Noſti eundem virum aeque feliciter *Horatii* Vitam conſcripſiſse, in qua, uti etiam Ovidiana, me valde laudat & celebrat. Nunc ſub praelo Oxoniae ſudat eiuſdem Vita *Plinii Iunioris*, quae cum eius *Epiſtolis* vulgabitur propediem.

Certior factus ſum *Boniourium* fidei Tuae commiſiſse nonnullas Diſsertationes mihi deſtinatas, & ab eodem compoſitas: quid quaeſo illis factum eſt? Saluta Legatum, & vale. Davent. 12. Mart. 1708.

EPISTOLA XXXXVIII.

QUartum igitur mihi mortuus fuiſti, & totidem vicibus revixiſti; id quod utique magna mea cum voluptate intellexi ex literis, quas ad me dediſti ultimas 23. Octobris proxime elapſi.

Eiuſcemodi nuntiis, & literis in poſterum non credam, & ſpero Deum Te incolumen conſervaturum diu. Quod ut rite procedat, ego Summam illam Maieſtatem veneror multum, ut Te Anno, quem inituri iam ſumus, ſanum praeſtare velit, eundemque ego opto non ſecus ac alios multos ſequentes fauſtos, & felices.

Multum me devinxiſti, quod miſeris nomina variorum librorum, qui Romae, & alibi typis ſunt deſcripti. Abbatis *Nurrae* diſſertationem De Adagio *Tinctura Sardiniaca* (1) accepi, eamque ſumma cum alacritate per-

1 *De Varia Lectione Adagia* Βάμμα Σαρδινιακόν *Tinctura Sardiniaca Diſſertatio*, *Auctore D. Ioanne Paulo Nurra Caralitano I. C. Patriae Eccleſiae Canonico*. *Florentiae* 1708. *in* 4. In eleganti hac Diſſertatione quam *Ant. Magliabecbio* inſcripſit, *Sardiniae* ſuae Antiquitates illuſtrat Doctiſs. Auctor. Florentiam ſe contulit hoc ipſo anno 1709. ut adverſae valetudini cui diu Romae obnoxius fuerat, ſolatium quaereret: ſpe tamen fruſtratus obit die 24. Iunii 1711. aetat. an. 55. conditusque eſt ad D. Petri Maioris.

perlegi, idque eo tempore cum fruebar honore conſortii Abbatis *Paſsionei*.

Fuit Vir ille Illuſtris per decem dies in aedibus meis, illoſque pulchre, & colloquendo de rebus eruditis transmiſimus: temporis longi opus foret, ſi Tibi narrare occiperem omnia, de quibus inter nos actum eſt, & ideo tantum dicam, me mirari elegantiam morum, & foecunditatem ingenii Abbatis *Paſsionei*; nos Ablegati Britanni, Tui, & *Bianchi* frequenter meminiſse, & vobis ſumpſiſse parvos Bacchi hauſtus, ut ita vicem redderem veſtro *Brindits*, de quo mihi olim ſcripſiſti. Nec certe indictus nobis abibat Sereniſs. Magnus Dux, & Princeps Iuventutis, & Auguſtum Gazophylacium, Bibliotheca, Picturae, & quicquid exquiſitum ex Oriente, & aliis Orbis partibus eo deportatum eſt Regiis ſumptibus, non minimam partem faciebant confabulationis noſtrae, quibus accedebat honor inprimis inſignis, qui Tibi habitus fuit a tanto Principe.

Ecce autem Tibi literas ad Abbatem *Nurram*, rogoque ſerium in modum, eas diligenter, uti ſoles, curare velis; *Paſsioneus* valde laudabat Viri doctrinam, aperuitque mihi, quomodo abdicatis Philoſophicis ſtudiis amplexus ſit Literas Humaniores, auctore, & ſuaſore Illuſtri *Fontanino*.

Iam accepiſti proculdubio Reverendum *Millium* in Britannia Magna edidiſse *Novum Teſtamentum* diu promiſsum, & multa praeclara eo volumine contineri; Typographi Amſtelaedamenſes illud ſuis typis deſcribunt, &

Kuſterus editionis huius curam habebit, diſponetque eam aliter, & novis obſervationibus ornabit. *Millius* diem obiit ſupremum; & curis illius multa addi poſse patet ex Epiſtola Latina, quam publicavit *Clericus p.* 311. *tom.* 16 Bibliothecae Selectae (*Bibliotheque Choiſie*) non ſecus ac ex Excerptis Literarum, quae eodem volumine leguntur, Dom. *l' Enfant* Capellani Regis Boruſsiae, adeo ut abſque dubio nova illa editio alteri ſit praeferenda, idemque *Clericus* varia etiam loca aliter explicat tomo XIV. eiuſdem Bibliothecae.

Ariſtophanes cum novis Scholiis, notiſque *Ez. Spanhemii*, *Bentlaemii*, & *Kuſteri* imprimitur, & ultimus eorum editionis curam gerit; qui & poſtea manus doctas admovebit *Herodoto*, ſi modo conſulere Mss. poterit. Saluta verbis meis amantiſsimis Ablegatum Magnae Britanniae, & *Bianchum*, & alios qui me amant, atque accipe, tandem, qui libri in orbe noſtro ſunt editi. Davent. ipſis Cal. Ian. 1709. **

EPISTOLA IL.

NON abſque ſingulari voluptate mihi redditae ſunt literae, quas 6. Aprilis proximi ad me dediſti; & quanquam non ſignifices in manus Tuas perveniſſe eas, quas miſi ipſis huius Calendis Ianuariis, tamen vix credo, illas Tibi redditas non eſſe, imo potius perſuaſus ſum, Te inde perſpexiſſe, me Tui ſervare memoriam perpetuam. Ec-

Ecce Tibi reſponſum meum ad literas Viri Illuſtriſsimi Franciſci *Blanchini*, quas ad eundem curare ut velis diligenter, etiam atque etiam rogo.

Legatum Reginae Magnae Britanniae valere ſpero: occupatione mea fit, ut Viro excellentis dignitatis, & doctrinae reſpondere nequeam, licet iuſtius aequo tempus effluxerit; Teque me apud eum excuſare velle etiam atque etiam; imo ſummopere rogo itidem.

Clariſsimo *Bianchi* Te tradidiſſe literas meas, nihil eſt quod dubitem; perſuaſuſque ſum omnino recte etiam curatas eſse alteras ad Reverendum, & doctum admodum Virum *Ioan. Paulum Nurram*, meque propediem cogniturum, quid ſentiat de meis miniatulis ceris. Incredibili enim teneor deſiderio cognoſcendi veteris aevi relliquias, & plurimum ſemper debebo Viris eruditis, qui me corrigere, & qui quaeſtiunculas poſitas illuſtrare voluerint.

Gratulor Tibi honorem, quem Sereniſſimus Daniae Rex Tibi habuit, nec immerito effigiem Viri deſideravit, cuius fama per totam Europam, & ubicunque eſt aliquid hominum elegantiorum, ſparſa eſt.

Rhenferdo ſignificavi Te illius meminiſſe, & ſpero eundem nobis explicaturum characteres *Inſcriptionis Palmyrenae*, quos ſumma cura, & elegantia exſcriptos, atque aeri inciſos ad me miſit *Franc. Blanchinus*.

Multis Tecum de rebus agere equidem poſſem, ſed eadem, quae mihi non permittit ſcribere ad Illuſtriſs. Legatum, occupatio intercedit.

Ad *Fontaninum* ſcripſi Non. Februarii proximi; non ſecus ac ad *Ficoronum*, ad *Vignolium* Id. Iuliis 1708. atque ad *Corradinum* ultimo Decembr. Illuſtriſsimorum, & celeberrimorum taciturnitas facit, ut credam eoſdem occupatiſsimos eſſe; & quanquam iis importunus fieri nequaquam velim, tamen ingens me reſponſorum tenet deſiderium, ut ita eruditionis poſſim extendere uſuram, & inde aliis literis iterum teſtari, magno apud me loco eſſe eorum ſingularem doctrinam, & virtutem.

Fontanini Antiquitates Hortanas nondum accepi, neque etiam *Exercitationes Boniourii*, nec capere poſſum, ubi hi eruditi libri tamdiu haereant, augeturque meum deſiderium eos adipiſcendi, quia non proſtant in noſtro orbe.

Harduini opera omnia, quorum, ut hoc addam, nonnulla ita mutata ſunt, ut plane alia videantur, prodierunt Amſteled. in fol. Scis proculdubio eruditum illum Ieſuitam publice revocaſſe Syſtema ſuum de auctoribus fere ſuppoſitis ante 4 vel 5. ſaecula, eundem interceſsiſſe editioni operum ſuorum, & quae alia huc ſpectant; quae ego nihil aliud eſſe credo, quam genuinam hiſtrioniam. Vale, & amicos communes verbis meis amantiſſimis ſaluta. Davent. ipſis Calendis Iuniis 1709.

EPI-

EPISTOLA L.

SIngulari cum voluptate cognovi ex litteris, quas ad me 28 Iunii proximi die, atque adeo ad *Relandum* dediſti, quid agant rerum eruditi Itali, & multum Tibi debeo, quod mecum illorum curas, & lucubrationes communices.

Gaudeo etiam Te accepiſse meas ultimas, & alias, qua ſoles diligentia, curaſſe ad Illuſtriſsimum *Bianchinum*, nec non Rever. Abbatem *Nurram*: cui illas gratas, & acceptas fuiſse ſummopere mihi placet, & ſpero eundem ſoluturum, qua valet eruditione ſingulari, dubia quae mihi crucem figebant. Et facit *Bianchini* Viri inprimis Illuſtris erga me ſumma benevolentia, ut perſuaſiſsimum habeam meam ipſi Epiſtolam non diſplicuiſse. Alteram nuper dedi ad virum excellentis dignitatis, & doctrinae, eamque curavit Abbas *Paſsioneus*, amicus meus ſummus, qui Hagae Comitis commoratur intentus proculdubio, ex mandato Pontificis Summi, rebus tam pacis, quam belli.

Ex Galliis ad me miſsum eſt Epiſtolae iſtius acceptiſsimae, & mirifice inſervientis honori, & gloriae meae apographum, una cum binis exemplaribus pulcherrimae Inſcriptionis Palmyrenae, quae non deſinam mittere ad Viros Orientalium Linguarum peritos, licet characteres illi pulchre explicati ſint a *Iacobo Rhenferdo* apud Friſios Profeſ-

ſore

ore doctiſs. qui alias etiam eiuſdem Urbis inſcriptiones expoſitas, uti noſti, olim mihi dedicavit. Significavi ſoli *Blanchino* quid *Rhenferdus* inde exculpſerit, nec dubito, quin eidem rem perquam gratam fecerim. Ad alios viri docti interpretationem non mitto, ne edita propediem exuat gratiam novitatis. Legatum Sereniſsimae Britannorum Reginae mei memorem vivere laetor ſummopere. Saluta quaeſo eundem non ſecus ac *Bianchum* (1) noſtrum verbis meis obſervantiſſimis, & amiciſſimis. Debeo illi, fateor reſponſum, nec eſt quod dubitet, quin illud propediem ſit accepturus. Spero *Ficoroni obſervationes in Diarum Italicum Montfauconii* (2) ad nos delatas iri quam primo, nec dubito, quin illae pulchrae ſint, & politae. *Palaeographia Montfauconii* inſignis liber eſt, dabitque mihi occaſionem inſtituendi cum eodem literarium commercium, id quod utique ambo deſideramus vehementer.

Illuſtris *Fontanini Antiquitates Hortanae* recepi tandem, & eaſdem legi cum maxima voluptate, & cumulatiſsimo fructu. Hoc profecto eſt ſapere, & optima fide cum muſis rationem deducere: nomen meum aeternitati datur, quando inſeritur eiuſmodi libris.

Ab-

1 *Sebaſtianus Blanchus*, cuius Elogium videſis in *Memorabilibus Italorum eruditione praeſtantium, quibus vertens ſaeculum gloriatur*: Tom. I. a Cl. *Io. Lamio* editis pag. 29.

2 *Franc. de Ficoroni. Oſſervazioni ſopra le Antichità di Roma deſcritte nel Diario Italico del P. Monfaucon. Roma* 1709. *in* 4.

Abbas *Paſſioneus*, qui Hagae-Comitis agit, non dixit mihi Reveren. *Nurram* nuntium aliis ſtudiis, & maxime ſacris remiſiſse, ſed ex conſilio *Fontanini* excoluiſse humaniores literas, quarum amore antea non tenebatur, vel quas tam ſedulo non excolebat, ac nunc facit ſummo Reip. Literariae bono, & meo ſingulari cum gaudio. Reſpondebit Vir egregius mihi, ubi commodum erit; non eſt neceſse, ut negotia propterea ſua, vel ſtudia interrumpat, mihique procraſtinatio amicorum, licet Epiſtolae eorum mihi veniant acceptiſsimae, nunquam gravis eſt, dummodo mei memores vivant; id quod vos omnes facere, plane certum, & perſuaſum habeo. Literas tuas ad *Relandum* curavi diligenter; & proculdubio ex ſuaviſsimo Viro intelliges illas ipſi gratas fuiſse. *Petronius Burmanni* prodibit propediem; erit editio pulchra, & emendata, & notae bonae frugis; valet enim *Burmannus* ingenio, & eſt ſtudioſus elegantiarum, quae magno numero in *Petronio* inveniuntur. Expectamus *Epiſtolas* auctiores longe, & *Vitam Cauſaboni* compoſitam ab *Almelovenio*: Vir indefeſsae diligentiae publicabit etiam propediem *Apicium de Re Culinaria*, noſtique eum antea dediſse nobis *Caelium Aurelianum Siccenſem de Morbis Acutis & Chronicis*, qui liber ſolus ex omnium Methodicorum ſcriptis ſuperſtes creditur. Parat etiam novam editionem *Vitae Stephanorum*. Mercator Italus Amſtelaedami habitans, cui nomen *Leon d' Urbino* ſignificat mihi, eum ad me miſiſse librum *dal Seg. Dott. Ant. Franc.*

Ber-

Bertini di Firenze; (1) Sed ego illum recepi nunquam, nec *Bertinum* cognoſco: da hoc, quaeſo, mihi, uti me edoceas, quis qualisve ſit Vir iſte eruditus, & qualem librum mihi donum miſerit: cruciat ſeſe propter hanc perditionem valde *Leon* iſte, ſed damnum facili opera reſtaurari poterit. Vale plurimum. Daventriae XII. Auguſti 1709. *Relandus* ſignificavit mihi, ſibi redditam eſse Epiſtolam Tuam.

EPISTOLA LI.

Uti ultimas literas Tuas, quibus comites erant aliae a Reverendo plurimum Viro *Virginio Valſecbio* ad me ſcriptae, nactus ſum, ita ſpero Te accepiſse eas, quas XVIII. menſis Iulii miſi ſatis loquaces & prolixas; atque adeo ex iis intellexiſſe non modo, quid rerum agant eruditi, verum etiam triſte & deplorandum fatum Principis Naſsoviae, quod mihi & alterum revocat in memoriam. Scilicet Haereditarius Princeps Boruſsiae perdidit etiam filium unicum: Rex avus erat in vicinia, vel Praetorio Principum Arauſionenſium, Regiſque *Guielmi*, cui nomen *Dieren*, ſito in Velavia quinque horas ab hac urbe remoto. Ego me eo contuli, Regique obtuli quam humillime debita mea officia, caſumque funeſtum mi-

1 An. *La Medicina difeſa dalle calunnie degli Uomini volgari, e dalle oppoſizioni dei dotti, dal Dott. Ant. Franc. Bertini. Lucca* 1699. in 4.

miſeratus fui: Sereniſsimus Rex hanc meam libertatem accepit in bonam partem, gratias egit quod dolerem immaturam Nepotis ſui mortem, meque honore menſae ſuae dignatus eſt: Quod ut honorificum valde, & glorioſum mihi, ita neſcio quo animi inſtinctu, viſum fuit hoc Tibi ſignificare, & per Te aliis amicis Italis, ut mecum de hac praerogativa laetari & gaudere poſsint.

Ecce Tibi reſponſum, quod rogo tradas eruditiſsimo *Virginio* Familiae Benedictinae Caſinenſis praeclaro decori, eundemque meo nomine ſalutes verbis amantiſsimis.

Canonicum *Nurram* ultimum vale dixiſse rebus humanis equidem vehementer doleo; erat enim vir, qui multum prodeſse aliis potuiſset ſcribendo, valebatque iudicio, uti ex opuſculo patet de *Tinctura Sardiniaca*, quod mihi donum miſit, quodque diligenter legi, uti docet epiſtola, quam ad τὸν Μακαρίτην miſi, cui utinam reſpondiſset, & ita ſuſtuliſset ſcrupulos, qui mihi obvenerant, dum doctam illam lucubrationem percurro. Da hoc, quaeſo, mihi, ut inquiras, an non Viri reperiantur alia opera vel abſoluta, vel adfecta; eorumque titulos ſi ad me mittere velles, plurimum certe deberem Tibi.

Itinerarium Cornelii de Bruyn ad me adlatum eſt, & quamvis ſit conſcriptum Belgica lingua, tamen tabulae aeneae delectabunt etiam alios eius ignaros. Advertent omnium animos ruinae Perſepoleos, & mirabuntur vel lecturi, vel inſpecturi moles immenſis ſumptibus congeſtas, & ultra fidem

fere

fere ornatas ſtatuis aliiſque rebus; in quibus tamen id videor animadvertiſse, duriorem tunc fuiſse artem ſcalpendi, & rigidiorem, nec perveniſse ad eam mollitiem illos artifices, quam in Graecorum Romanorumque ſtatuis miramur; imo & in Etruſcis veſtris editis a *Petro Sancti Bartoli*, licet *Quintilianus Tuſcanica ſigna* ſcribat *duriora* eſse. Id tamen ego vix videre poſsum, & certe Perſarum ſtatuae nihil ad illas a Viro eleganti & antiquarum relliquiarum ſtudioſiſsimo editas.

Vtinam, utinam aliquis Etruſcus eruditus me docere poſset, quo tempore exiſtimet monumenta illa ſepulchralia facta eſse, an ante Romam conditam, an primis eius temporibus, an vero poſterioribus, vel media Republica; vix enim ad Auguſtorum Imperium decurrere auſim, quia neſcio an ſub iis in uſu fuerit illa Lingua & ſcriptura, cum Latina tunc utramque, ut ſic loquar, fecerit paginam, & τα' πάντα fuerit.

Nec quicquam certe puto erui poſse ex *Inghirami* Antiquitatibus Etruſcis (1), cum eruditi credant alios viro illi docto impoſuiſſe: certe ſuppoſitas illas eſse oſtendit *Leo Allatius*, & *Anonymus* quidam, qui Amſtelaedami anno 1639. publicavit ad easdem obſervationes. Certe circa annum V. C. 445. Romani pueri adhuc inſtituebantur Lingua & Literis Etruſcis, uti praeclare docet *Liv.* 9. 36.

Caere

1 *Curtii Inghiramii Ethruſcarum Antiquitatum fragmenta Scornelli prope Vulterram reperta. Francof.* 1673. *f.*

Caere educatus (vel *Fabius vel Claudius*) *apud hoſpites*, *Etruſcis inde literis eruditus erat*: *linguamque Etruſcam probe noverat*. *Habeo auctores*, *vulgo tum Romanos pueros*, *ſicut nunc Graecis*, *ita Etruſcis literis erudiri ſolitos*; idque praecipue propter aruſpicinam, & portenta procuranda, uti patet ex *Cicerone lib.* 2. *de Legibus*, & *lib.* 1. *de Divinat.* nec non *Valerio Maximo*, unde & videntur Proceres Romani nutrices ex Etruria arceſsitas dediſse filiis; id quod accidiſse tempore *Porſenae* memoriae mandavit *Dionyſius Halicar.* lib. v.

Pulchre, ita me Deus amet! agit de hac Lingua Illuſtriſs. *Fontaninus* in *Antiquitatibus Hortae*, quas eundem mihi donum miſiſse, etiam nunc agnoſco libens lubens: exhibet ibi etiam veteris aevi relliquias, quibus characteres tales inſcripti ſunt, meque honorifice nominat, quo nomine plurimum perfectae eruditionis Abbati, nunc ab honore Cubiculi *Clementis XI.* me debere fateor. Atque hac occaſione facere non poſſum, quin Tibi, aliiſque eruditis ſignificem, me Bruxellis, cum anno 1706. ad caſtra miſsus forem ſumma cum poteſtate, comparaſse librum, quo variae antiquitates continebantur. Et quidem inveni Gemmam pulcherrimam, in qua ſimiles literae inſcriptae erant binis faemoribus viri nudi, ad cuius pedes hinc iacet captivus, inde ſedet aquila: additur trophaeum, & vir ille una manu haſtam, altera fulmen tenet. Praeterea multas Inſcriptiones Etruſcas una cum explicatione, quibus hic titulus praefigitur, *Lettres Hetruſ-*

ques

ques que Don Diego de Mendoza Ambaſsadeur de l'Empereur a Rome m'. a envoye per Ximenes a Iſpruts (hanc vocem non recte legere poſſum) 1552. Et vir iſte doctus putat Gemmae Inſcriptionem Graecam eſse, literis Etruſcis vel antiquis Graecis ſcriptam. Quae omnia cum mihi totidem ſomnia ſint, nec quicquam eorum capere poſsim, ego Te etiam atque etiam rogo, ut eruditos, neque enim Tibi ſeni, & ex oculis, id quod vehementer doleo, laboranti, tantum oneris imponere audeo, horteris atque adeo impellas, ut me certiorem per Te, vel per ſe ipſos facere velint, num illa, de quibus egi, typis vulgata ſint, & quid de tam obſoletis obſcuriſque rebus ſtatuere debeamus.

Neque enim, *Antoni*, haec Tibi ſoli, verum etiam aliis ſcribo, id quod eo facilius apud Te depono, quia ſolitus es levidenſes meas epiſtolas cum iiſdem communicare; & plurimum me demerebuntur, ſi mihi myſteria haec aperire velint. Vale. In ſuburbano meo, 26. Aug. 1711.

EPISTOLA LII.

HAſce, quas vides, literas rogo ut curare velis ad *Valſecbium*, & *Brenkmannum*. *Biancbo* reſpondebo propediem: illius literae ſcriptae 1 Ianuarii proximi die, mihi venerunt acceptiſsimae, eoque nomine Te viro inſigni gratias meas perſolvere velle, ſummopere peto. Scripſi ad *Salvinum* a. d. XII. Cal. Ian. 1712. & ſpero illi epiſtolam

ſtolam illam redditam eſſe eundemque me docturum propediem, quomodo dubia mea e medio tolli poſſint. Vale, 28. Maii 1712.

Addidi literas ad *Bianchum*.

EPISTOLA LIII.

Literas ad Te dedi 26. Auguſti, & ultimo fere Novembris diebus, nec Te iterum nunc convenirem, niſi fidei Tuae committere deberem literas, quas ad *Salvinum*, ut vides, ſcripſi. Ignoro enim, an Vir eruditione praeſtanti Florentiae, an vero Piſis ſit, & rogo Te ſerium in modum, ut eaſdem, qua ſoles diligentia, curare velis.

Multum autem me devincies, ſi binis illis meis epiſtolis aliquid reponere velis, & me certiorem facere earum rerum, quas ſummopere cognoſcere deſidero. Spero oculis Tuis medicinam factam eſſe, atque adeo Te valere; & quocunque loco ſit valetudo Tua (ego optimam illam eſſe vellem equidem) opto Tibi ex animo annum, quem inituri ſumus propediem, novum & felicem, ut ita frui adhuc poſſim literis Tuis, quibus Hiſtoria Literaria mirifice illuſtratur.

Maſſonus, qui cum Reverendi *Burneti* filiis in Italia & apud Te fuit, edet tandem *Annum ſolarem Antiquum*, a variis in Oriente, ac Aſia populis, & urbibus, uſu Civili olim uſurpatum, nunc tandem naturali ſuo ordini reſtitutum, plurimiſque

adaptatum epochis, ex Mediceis praeſertim *Claudii Ptolemaei* MSS. aliiſque Hiſtoriae monumentis, marmoribus, ac Nummis maximam partem anecdotis, &c. Verbis vix exprimere poſsum quantopere deſiderem legere hanc lucubrationem; nam vidi in aedibus meis varias materias, unde doctum illud aedificium conſtrui debebat; deinde eiuſcemodi argumentum tractatum eſt cum ab Eminentiſs. *Noriſio*, tum ab Illuſtriſs. *Bianchino*, quae opera tria ſi iungantur, perſuaſum habeo omnino, ne ſpicilegium quidem aliis relinqui.

Perizonius poſt editas *Origines Babylonicas & Aegyptiacas*, edet *Aſſyriacas*; certe eaſdem promittit in prima iſtarum lucubrationum, & multum eidem debebit Orbis eruditus, ſi provinciam iſtam tam ſplendide etiam exornat, id quod virum facturum, fidem & ſponſorem habeo eius iudicium, & doctrinam.

Ioh. Schultingii Antecesſ. Friſii *Fragmenta Veterum Iuriſconſultorum* typis deſcribuntur, licet tam felix non fuerit, ut miſsae ad eundem ſint vel Roma, vel Lutetia Pariſiorum collationes; qua ultima ex Vrbe forte nonnullas, ante finitam lucubrationem illam, opera Ill. *Bignonii* accipiet. Amici Romani nihil ad me ea ſuper re ſcripſerunt, quamvis iis aperuerim viri imprimis eruditi conſilium: confido *Brenkmannum*, cui ſpero Te literas meas tradidiſse, illi opem laturum. Vale ſummopere. Davent. a. d. IX. Cal. Ian. 1712.

EPI-

EPISTOLA LIV.

Litteris, quas ad me dediſti XX. Auguſti die, citius reſpondiſsem, niſi expectaſsem, quid de conjecturis meis ſentirent *Bacchinus*, & *Bonjourius*, Reverendi illi & docti admodum Viri, ut ſcilicet ſimul ad eos mittere novas epiſtolas potuiſſem, ſed cum videantur eſse occupatiores, nolui diutius moras nectere, ne videar abieciſse antiquam meam conſuetudinem, & non aeque ac antea deſiderare cum amicis meis, atque adeo Tecum, confabulari.

Multum igitur Tibi debeo, quod ad me miſeris, qui libri in Italia nuper editi ſint, ex quibus mei guſtus & ſtomachi praecipue erunt, *Numiſmata Pontificum Romanorum* (1), & *Inſcriptiones Fabretti*. Harum bina exemplaria, vir Illuſtris, *Graevio*, & mihi deſtinata, miſit ad *Calkbernerum*; ſed iraſcor ventis, iraſcor mari, imo ipſis nautis, quod tamdiu gaudia mea morentur.

Honorificum mihi valde eſse duco, lau-

1 *Phil. Bonanni Soc. I. Numiſmata Pontificum Romanorum, quae a tempore Martini V. usque ad annum* 1699. *vel authoritate publica, vel privato genio in lucem prodiere. Tomi* 2. *Romae* 1699.

Raph. Fabretti Inſcriptionum Antiquarum, quae in Aedibus paternis aſſervantur explicatio & additamentum. Romae 1699. *fol.*

dari a tam praeſtanti & erudito Viro ; idque cum teſter epiſtola , quam fidei Tuae committo , rogo , ut eam diligenter , ſicut tuus eſt mos , curare velis. Legi etiam epiſtolas , quae agunt de *Portu Antiatium* , & de invento novo , cuius ope ab incendio conſervatur pulvis bellicus ; quam ſtupendam rem antea quidem breviter audiveram narrari ; ſed tamen non cognoveram tam exacte . Mirari autem ſubit Virum Eccleſiae ſacratum , inventorem eſse huius rei ; & ſimul mihi in memoriam revoco , multos exiſtimare , Monachum Germanum pulverem hunc , & ferreas fiſtulas quibus ille eiicitur , & cum globis invenisſe (1) ; quanquam *Iſaacus Voſſius* , magni certe nominis vir , ignorari ſcri-

1 *Vinc. M. Coronelli* Ser. Reip. Venetae Coſmographi Opus , de quo ipſe ſic loquitur in Epiſtola ad Ant. Magliabechium data Venetiis 22. Aug. 1699. *Di due mille eſemplari che ho fatto ſtampare del Porto antico e moderno d' Anzo , non me ne attrovo che cinquanta in circa , eſsendomi tutti ſtati rapiti dalla curioſità degli amici . In queſto foglio non vi è altro di buono che il reverito nome di VS. Illuſtr. e per queſto viene deſiderato* &c. Eiuſdem methodum defendendi incendium Pulveri Pyrio ſeorſim impreſſa eſt in fol. volanti , ut aiunt , vidiſse quondam me memini. Coeterum *Pulveris Pyrii* inventionem Germanis aſſerit *Mich. Maierus de veris Inventis Germaniae*. Eius primum excogitati laus communiter tribuitur *Bartholdo Schvvartz* Ord. Min. D. Franciſci , vel iuxta alios *Conſtantino Anklitzen* , ſeu *Avelitzen* circa finem faec. XIV.

ſcribat, quis globis ferreis, plumbeis, vel lapideis bellicam hanc machinam primus armaverit, & pulveris ſulphurei uſum ex ſiphonibus abſque globis mittendi, & ipſum pulverem longe vetuſtiorem eſse, in *Obſervationibus variis* doceat.

Tormenta autem *Bellica*, vulgo *Cannoni*, fama eſt primum uſurpata a Venetis fuiſſe adverſus Ianuenſes anno 1380. Attamen non obſcura indicia evincunt uſum Pulveris Pyrii, & Tormentorum Bellicorum vetuſtiorem eſse. Ut praeteream *Anthemium Trallianum* Architectum & Mechanicum inſignem imitari valuiſse Fulgur, Tonitru, & Terraemotum referente *Agathia* Lib. 5. *Rogerius Baco*, qui obiit An. 1284. in ſua *Epiſtola de Operibus ſecretis Artis & Naturae* Pulverem Pyrium non obſcure indicat. *Nauclerus* evincere conatur Tormenta Bellica ipſo anno 1213. primum fuiſse conſtructa. *Polydorus Vergilius*, Anno 1330. Alii, & rectius fortaſſe, anno 1350. in Mari Danico primum uſurpata fuiſſe aſserunt. Quicquid ſit, machinas haſce ferales in Etruria notas fuiſse ante annum 1330 evinci poteſt inſequentibus teſtimoniis. *Matthias Lupius* Geminianenſis Leonardi Aretini diſcipulus Poeta Laureatus, & Humaniorum Literarum in Patrio Gymnaſio Prof. qui ſaec. XV floruit, in Poemate MS. quo Oppidi S. Geminiani Patriae ſuae Hiſtoriam proſequitur, aſserit anno 1309 in bello inter Geminianenſes & Volaterranos tormenta bellica in uſum deducta fuiſse his verſibus.

Neſcio an videris carmen, quod nuper in manus meas incidit; quodque cum elegantiae eximiae ſit, & celebret Sereniſsimum Magnum Hetruriae Ducem, cum olim in Batavis eſset, ad Te mitto.

Hetruſci nitido dum Principis haeret in ore
Et Celſum Italiae ſuſcipit Haga iubar,
Ite, mei Cives, Magni Venerabile Coſmi
Iam licet ante oculos cernere Germen, ait.

Maie-

Et qui Cannones incluſo pulvere fertis.
Item
Dux in cainteriit ſtridentis zulfaris ictu.
V. Coppium Annali di S. Gemignano L. 3. pag. 193. In Regeſtis Senatuſconſultorum (vulgo *Provviſioni*) Reip. Florentinae, quae in Tabulario Publico Reformationum adſervantur ſub Libro Z. pag 65. *Proviſio*, eſt die 11. Februarii An. 1325. St. Flor. ſeu 1326. ſtilo Communi, in qua inter caetera legitur. *Domini Priores poſſint eligere unum, vel duos Officiales, & pro Officialibus ad faciendum & fieri faciendum pro ipſo Comuni Pilas ſeu Pallottas ferreas, & Canones de metallo pro ipſis Canonibus, & Palottis habendis & operandis per ipſos Magnificos Dominos in defenſione Comunis Florentiae, & caſtrorum quae per ipſum commune tenentur, & in dapnum inimicorum.* Notari meretur *Bombardae* nomen ante haec tempora in Actis Publicis inveniri; ſed denotare genus machinae Bellicae qua Lapides, & alia miſſilia in hoſtes iacerentur Elaſtri diverſi Ope, abſque Pulveris Pyrii adiumento: deinde vero impoſitum fuiſse Tubis ignivomis, ſeu Tormentis Bellicis quibus modo utimur; ab operationis ſimilitudine quadam.

Maieſtas, ſublime decus, Mavortia Virtus,
Palladis, & Charitum iunctus, & auctus honos.
Hinc vultus gravitas, & mentis amabile pondus,
Et Florentini dulce decus Genii.
Illinc magnanimum notiſſima gloria Patrum,
Hoc certant pariter condecorare caput.
Gaudete, o Batavae, Florentia numina, Nymphae,
Dum Tuſcum veſtro ſidus in axe micat.

Quae ad rem Litterariam pertinent, ex iis, quae adiunctae ſchedulae inſcripta ſunt cognoſce, & vale. Daventr. . . . .

EPISTOLA LV.

QUod in ſchedula ſcriptum eſt, id facere conſtitui, ſed patere ut mittam, me nihil cauſae videre, cur tantus ſcrupulus Tibi iniectus ſit; nihil enim ad me miſiſti, quod alicui nocere poſſit; imo illud ipſum inſervit ad laudandum ſummum illum Virum, & ad docendum alios, a tali tantoque Muſas non alienas eſſe. Cumque illa res mirifice augeat honorem meum, Te etiam atque etiam rogo, ut hanc mihi veniam dare velis, & permittere, ut ſcriptionem, & ſchedulam illam ſervare mihi poſſim; ex omnibus praemiis eruditionis ampliſſimum praemium eſt gloria, & hac ad eam accendimur; cumque res illa glorioſa mihi ſit admodum, facili videbis opera, me non modo non iniuſta, ſed iuſta plane petere; Teque

iterum propterea, & vehementiſſime rogo, ut petitioni meae annuere velis. Ego certe non video, aliquod inde incommodum ad Te pervenire, vel aliqua Te calumnia peti poſſe, nihilque miſiſti, quam quod proculdubio in Urbe vulgatum eſt, quodque vel ullam criminis, etiam leviſſimi, umbram habere poteſt, aut unquam poterit; niſi inter crimina certi homines numerare velint, quae laudibus Virorum ſummorum optimo merito inſerviunt. Fidem Tibi do, meminem unquam mortalium lecturum ea, quae mecum ad gloriam meam facientia communicaſti, & ſi nec hoc Tibi ſatisfacere poteſt, Tibi morem geram, & faciam omnia quae iubebis.

EXCERPTA EX EPISTOLA

GISBERTI CVPERI

AD IACOBVM TOLLIVM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LACtantius *de Mortibus Perſecutorum* Traiecti ad Rhenum imprimetur cum uberioribus *Baluzii*, ut & *Graevii*, *Colombi* Anglorum, & *Baudrii* notis. Adiicentur etiam meae pluſquam quatuor partes auctiores; & fidem Tibi facere poſſum me plurima notare, quae illuſtrando *Lactantio*, auctoribuſque, qui res Impp. eorum memoriae mandarunt, inſerviunt, meque feliciter ſatis, niſi auribus meis amici inſidias faciunt, varia libelli elegantiſsimi, & conclamata loca emendare. Vtinam tam felix fores, ut eius MSS. conſulere in Italia, & ita corrigere poſses loca, & lacunas explere, quae abſque illorum ope ſanari nequeunt.

Apud Upſalienſes edita eſt *Ariſtidis* Oratio ante non vulgata, quae inſcribitur Πρεσβευτικος πρὸς Αχιλλέα. Promittit *Laurentius Normannus* ſe alias plures e MSS. editurum. Et Tu me quaeſo certiorem facias, num in Bibliotheca Medicea eiuſdem Rhetoris Orationes ineditae ſerventur: num *Scholia in Ariſtidem*, qualia *Graevium* ſervare noſti; numque eorum auctor ſit *Metrophanes*, quem *Suidas* teſtatur Commentarios in eius Orationes ſcripſiſse.

Irlandus quidam Meridianum, *Ooſt en VVeſt* vocant alii, ſeſe reperiſse affirmat, & ſi Ordines promiſsa ſexaginta florenorum millia ſolvere volunt, ſeſe hoc Naturae ſecretum aperturum ſpondet.

Anglus machina gloriatur, qua naves bellicas, aliaſve breviſsimo temporis ſpatio mergere, vel incendere certiſsime queat: Alius molas invenit, ut ſic loquar, fixas, quae non neceſse habeant circumagi, & nihilominus, quicunque incumbat ventus, frumentum frangant; quibuſque tormenta ignivoma obſidionis tempore nocere nequeant.

Alii denique fidem faciunt, ſe Rheno & Druſianae Foſsae opem ita laturos, ut Vadalis ſemper, ut nunc navigari queat.

NICOLAI HEINSII EPISTOLAE AD ANT. MAGLIABECHIVM.

EPISTOLA I.

NICOLAVS HEINSIVS ANTONIO MAGLIABECHIO SVO

S. P. D.

PRoſuſam Tibi ineſſe comitatis officioſae vim, inter alias laude ſingulari digniſſimas virtutes, diu eſt, Vir Politiſſime, quod conſtanti rumore ſum edoctus. Eiuſce vero rei quod experimentum Tute luculentiſſimum capere me nuper admodum voluiſti, datis ad me litteris mirificum in modum benignis, id, ut aperte Tecum agam, expectationem meam praevertit, fateor, ac ſuperavit. Quo impenſius operam a me dari oportet, ne quod grati animi argumentum ali-

aliquando in me requiras deſidereſque: aut ſine id quidem praeſtare poſſum, vix enim eſt ut mearum ſit virium paria Tecum feciſſe, confido fore, ut nuda propenſae voluntatis teſtificatione ſatisfieri a me Tibi patiaris. Et ecce ſub ipſa mutuae neceſſitudinis exordia, ſtudiis meis qualibuſcumque ornandis ac promovendis totum Te offers: qua tam inſigni benevolentia, peream, ſi quid iucundius ad me poterit perferri; nec viam invenio qua grates a me referantur *Emerico Bigotio*, mortalium candidiſsimo, qui Te mihi dexterrime conciliavit.

Vt igitur omnem inſtituti mei rationem audias; quando valetudo pertinax me revocat a ſtudiis publicis, & ad otium liberale invitat, agitare coepi mecum de colligendis *Animadverſis noſtris*, quae iam olim ad Scriptores antiquos opera tumultuaria ſcripto conſignaram, auſpicaturus a Poetis Latinis, qui in deliciis praecipuis mihi fuere ſemper. Horum in numero complura obſervaſſe mihi videbar ad Papinianas *Silvas* mendoſe hactenus circumlatas, quae reſtitui in integrum non difficulter poſse iudicabam. Eoſque conatus fovebat non parum *Editio pervetuſta Parmenſis*, Interpretum Statianorum viſa nemini, redempta olim a me Florentiae, quae cum per ſe vicem Codicis manu exarati praeſtaret, tamen illitas paſsim margini exhibebat Scripturae diſcrepantias ex membranis antiquis ab homine neſcio quo haud indocto collectas. Iam vero non ignoras membranas huius *Papiniani* poematis oppido raras in priſcis Biblioth. inveniri. Mihi certe nuſquam inventas, quae trium ſaeculorum aetatem excederent, liquido poſ-

poſsum adfirmare. Quid quod Interpretibus *Statianis* ad unum omnibus defuere ſubſidia Codicum ſcriptorum? quod ſpem meam adauxit Tua opera poſse confieri, ne ſine ſucceſſu admoturus eſsem manum *Sylvis* recognoſcendis, ſi impetrarem editionem huius libelli unam alteramve, quas cum Codicibus ſcriptis collatas penes Te extare (1) *Bigotius* noſter ſubindicabat. Idem haud ignarus nonnulla a me obſervata ad Amoris Triumviros, *Propertium* in primis, quem *Achilles Statius*, dum in *Catullo Tibulloque* recenſendis ſedulus occupatur, neſcio quas ob cauſas reliquit intactum, Tuo offerebat nomine exemplar unum alterumque Poetarum horum cum membranis veteribus commiſsum (2). Nec oblata, fateor, re-

1 Inter plurimos rariſſimoſque codices Biblioth. Magliab. unum eſt complectens *P. Papinii Statii Sylvas* impreſſas *Florentiae apud S Iacobum de Ripoli An.* 1480 *in f.* cuius ad margines *Hieronymus Benivenius* Flor. vir doctiſs. manu ſua adnotavit plurimas variantes lectiones ex codicibus antiquis optimae notae deſumptas.

2 In eadem Biblioth. adſervamus *Catulli*, *Tibulli*, & *Propertii Opera*, et *Statii Papinii Sylvas* ex editione *Ioannis Calphurnii*, impr *Vicentiae per Magiſtrum Ioannem Renenſem*, & *Dionyſium Berthochum in f.* Volumen hoc eo potiſſimum nomine ſe commendat, quod manu cuiusdam Viri docti adnotatas ad oram exhibet plures variantes lectiones ex antiquis Codicibus optimae notae deſumptas. Ad calcem Poematum Catulli legitur: *Val. Catulli Veronenſis Epigrammaton Libri finis: quem reco-*

recuſavi, ita tamen ut priores apud me *Papinii* eſsent partes, quod priſcos eius Codices excuſsiſset nemo; de tribus Poetis iam dictis maiorem curam geſsiſsent aetate ſuperiori Populares tui. Vidi enim exempla complura typis deſcripta Poetarum trium, quorum ad marginem ab hominibus litteratis diſcrepantes Scripturae ex membranis eſsent congeſtae. Sed nec horum Codices oppido vetuſti in Bibliothecis occurrunt, quo minus negligenda ſunt, quae ex recentiori quantumvis notae libris Viri eruditi collegerunt. Idem de *Silio Italico*, ac *Flacco Valerio* dictum eſto; huius enim nonniſi unum codicem pervetuſtum, qui in *Vaticana* aſservatur vidi; illius nullos, utrumque tamen plurimis in locis meliorem effeci, vocatis ad partes, ut plurimum, coniecturis. Minus in *Senecae* Tragoediis, *Martiale*, *Auſonio*, *Lucretio*, *Lucano* deſudavi; deſudavi tamen. Horum quoque membranae oppido antiquae rarius occurrunt, ſi unum excipis *Lucanum*. Nam Tragoediarum *Senecae* (1) exemplum uni-

gnovi ego Ber. Piſanus collato emendatiſſimo F. Puccii exemplari An. 1502. Ad Calcem Tibulli: *Recognovi ego Bernardus Piſanus ut ſupra*. Tandem in fine Elegiarum Propertii: *Bernardus Piſanus haec adnotabat brumalibus vigiliis, collatis aliis exemplaribus, ſecutus fidem probatiſſimi quod fuit Franciſci Puccii Viri literaturae laude inſignis*. Dolendum vero eſt Eruditiſs. *Bernardum* nihil omnino ad *Statii Sylvas adnotaſſe*.

1 Inter MSS. Codices eiusdem Biblioth. unum eſt complectens *L. Ann. Senecae Tragoedias* cum Adnotationibus interlinearibus & margi-

nicum in Medicea apud vos ad D. Laurentii exquiſitae notae, alibi nullum hactenus ſeſe mihi obtulit. *Propertium* in eadem memini vidiſse haud contemnendum, uti prima fronte promittebat: habebat enim margini adſcriptas lectionum diſcrepantias ſane plurimas ex aliis Codicibus, uti videbatur, conquiſitas. Sed & de libro alias Tecum agam uberius. De *Naſone* curis ſecundis percenſendo cum cogitabo, ſpecimen audebo a Te flagitare vetuſtae editionis Florentinae quam offers, ſi tanti ſit illa ut ad me mittatur. Quod per compendia, ut puto, poſsit non incommode fieri, commiſsis ad editos codices vel *Sabini Epiſtolis*, vel *Epicedio in Druſum*: Haec enim poemata in ſcriptis exemplaribus vix occurrunt. Quod ſi in iis Florentina editio nonnihil conferre poteſt lectionum variarum, praeter eas, quas in Annotatis ad illa meis iam congeſsi, dubitandum non eſt, quin totum exemplar excuti, accuratiuſque perpendi mereatur. Praeter *Obſervata*, quae iam deſignavi *ad varios Poetas*, urget Typographus *Valerium Flaccum* eique ut manum ſibi liceat admovere flagitat. Vidi Poetae eius pervetuſtam, ut puto, editionem Bononienſem in Italicis Biblioth. non ſemel, ſed qua uti non eſt mihi datum. *Baptiſtae* etiam *Pii* commentarios in eumdem hactenus quaero. Atque haec quidem hactenus. Vale, Vir Erudit., & mihi ſtudiiſque meis, ut

nalibus non ſpernendis incerti Auctoris. In fine legitur: *Expliciunt Tragoediae Senecae correctae & punctatae. Ego Agapetus propria manu ſcripſi, vel ego Iovanides Ser Vanidae Fanenſis.* Scriptura ſaec. XIV. ni fallor, eſt.

ut coepiſti, patrocinari perge. Hagae Comitum A. 1671. a. d. xv. Decemb.

P. S. Rogo me doceas, ecquas videris *Caroli Viviani in Naſonem notas*, praeter illas quas Iuntae veſtrates edidere *in Metamorphoſes*: easdem etiam poſſideo ex editione Veneta minoris formae; at *Geſnerus in Bibliotheca*, ſi probe recordor, complura eiusdem annotata in alios *Ovidii* Libros publica luce donata enarrat, quae hactenus oculos meos fugere.

Quod propemodum monere oblitus eram, *Maronem* a me recognitum praelo typographico commiſi. *Catalecta* eius depravatiſſima hactenus circumferuntur, quae tamen ex primis editionibus caſtigari hic illic, & in meliorem formam reduci poſse ſum edoctus. Quapropter Te rogatum volui, ut ſi quae perveτuſtae *Catalectorum* editiones Tibi offerantur, eas aut mihi vindices, ſi venales erunt, aut utendas ab amicis impetres: pretium gratiſsimus refundam. Florentinam Iuntarum editionem in 4. iam teneo; ſed recognitam ab *Andrea* Aldinam *Maronis* editionem quaero hactenus nequicquam.

EPISTOLA II.

TAntum mei ſtudium, tantum amorem ſpirant undiquaque Tuae Epiſtolae, Vir Ornat., ut abſit minimum quin iraſcar mihi, & quidem graviter, cui litterarium commercium Tecum tam ſerum iniri coeptum eſt. Addis & munificentiam epiſtolari officio, meque

Com-

Commentario in Valerium Flaccum opera Io. Bapt. Pii lucubrato donatum cupis: quod ego munus ut exoſculor, ſic mihi tamen non vindico, aut inter res meas admitto, niſi ea ſub lege, ac conditione, ut ſubindicare ne graveris, quibus ego viciſſim officiis, ac quibuſnam conquirendis libris Te demereri poſſim. Hoc ſi impetravero, audebo fortaſsis exporrigere frontem, Tuamque ſedulitatem aliis experiri, ac tentare in rebus. Etſi eae temporum difficultates incumbunt nobis, is armorum apparatus, ut aeſtatem proximam terra marique turbatam prorſus, ac minime tutam exacturi ſimus, niſi adſit e machina Deus plane inexpectatus, qui omen omne bellicae huius procellae in pacatiora praeter ſpem convertat. Id niſi fit quam primum, quicquid eruditae ac literariae mercis huc a vobis mittetur, in praeſentiſſimum diſcrimen unguibus piraticis ſeſe exponet.

In Adverſariis meis annotatum deprehendo, uſibus meis iam olim inſerviſſe Florentinam Iuntarum editionem a *Bartholomaeo Fontio* recognitam, ac anno MDXVII. iuris publici factam, uti & Aldinam MDXXIII. anno procuſam eiusdem *Flacci Valerii*, cum Maſeriana Pariſina eodem anno in lucem prolata, quo *Baptiſta Pius* ſuos in hunc ipſum Poetam *Commentarios* Bononiae divulgabat, & quamquam Iuntarum illa, quam poſsides, editio *Valeriana* aetate nonnihil differt ab illa, quam ego olim adhibui meis lucubratiunculis, vix tamen dubitandum videtur, ex Tua illa eſſe expreſsam, quod *Fontium* eumdem agnoſcat recognitorem. Ser-

vatur ea etiamnum in pluteis armariiſque Bibliothecae meae, quantum meminiſse poſſum, ut Tuam humaniſsime abs Te oblatam, inutilem mihi fore omnino exiſtimem; Obtulit mihi ſeſe olim haud infrequenter editio *Valerii* Bononienſis in Bibliothecis Italicis, annos ante ducentos promulgata, quam in aliis tum occupatus excutere negligebam, dum ſpero apud nos eandem quoque inveniri aliquando poſse, ſed fruſtra. Exemplar Dacicum quod *Baptiſta Pius* commendat, pervetuſtum in Vaticana adhuc aſſervatur, quantum licuit deprehendere ex caſtigationibus inde per illum in *Commentario* ſuo hic illic depromptis. Nam coeteri codices, quotquot ad manum fuere mihi, in vetuſtis haudquaquam ſunt habendi; de manu exaratis loquor: nec inveni, qui aliud huius Poetae exemplar vetuſtum ſe vidiſſe aſſeveraret, praeter unum *Carrionem*, qui Codicem notae exquiſitae nactus, tamen ignorari a nobis voluit, quibus illum ſcriniis deberet. Suſpicio etſi ſuborta eſt mihi, depromptum fuiſse ex Bibliotheca Eccleſiae Cathedralis Agrippinatis, in qua & *Silium* pervetuſtum *Franciſcus Modius* invenit; etſi neuter horum nunc ibi comparet, haud ſine magno rei litterariae diſpendio, cum nec *Silii* exemplaria vetuſta alibi in Bibliothecis compareant. Nam quod *Modius* in *Lectionibus Novantiquis* alicubi affirmat, rumorem eſse de Codice *Silii* admodum antiquo ex Hiſpaniis, ſi recordor probe, allato, qui in Vaticana aſſervatur, feſellerunt illum rumores. Meminit & *Franciſcus Philelphus* Lib. XVI. Epiſtola XIV. Siliani Codicis an-

antiquiſsimi, quem *Antonii Barbadorii pater*, quo tempore in Monte Politiano Praeturam geſſerit, ex bonis illius *Bartholomaei* venatus ſit, quem *Martinus* Pontifex Max. primum Secretarium habuit. Si apographum iſtius libri occurreret, poſſet pro theſauro equidem haberi: nam de ipſo codice eruendo ſpem ſupereſſe nullam opinor. Quae in Medicea Bibliotheca, & alibi apud vos reperiuntur notae recentioris exemplaria *Siliana*, profluxiſſe reor ex illo Codice, quem *Poggius* ex Germania, ſecum advexerat.

Caroli Viviani Annotationes in Naſonem intercidiſſe maiori ex parte, eſt mehercules dolendum: quod is ſpartam hanc diligenter ſatis gnaviterque exornarit. In iis quae ad Metamorphoſes Naſonianas conſcripſit, profitetur ipſe, ni fallor, ſe animadverſis ſuis Naſonem omnem illuſtraſſe. *Alexandri Paganini* obſervata in eumdem Poetam memini me vidiſſe laudata ab *Hercule Ciofano*, nec arbitrabar facta iuris publici. De illa igitur editione ex Te certiora cupio cognoſſe, ſi fortaſſis inveniri hic terrarum poſſit. De *Sylvis Papinianis* agnoſco errorem optimi *Bigotii* noſtri. Rogaveram eumdem ante paucos menſes, uti Te percunctaretur, quis fuiſſet *Antonius Petreius*: tenere enim me Triumviros Rei Amatoriae ex editione Aldina cum variis exemplaribus ſcriptis ab illo Florentiae partim, partim Romae collatos anno ſaeculi ſuperioris viceſimo octavo, in quibus, & *Pucciani* Codicis fiat mentio. Oblitus eſt haud dubie Amicus noſter Te ſuper hac re conſulere, cum reſcribat ad eam quaeſtionem nihil. Quicquid interim opis conferri abs

Te in medium poteſt, ad illuſtrandos hoſce Scriptores, id omne mihi erit acceptiſſimum, nec video ad quem tutius id mittatur; quam ad *Danielem Elzevirium*.

Virgilium iam praelo commiſi, *Catalecta* huic editioni tamen vix additurus; quibus illuſtrandis non ſatis me paraverim ab omni deſtitutus ſubſidio, niſi quod Aldinam habeo in promptu editionem ab amico oblatam.

Hic terrarum ſtudia interquieſcunt quodammodo poſt ereptum e vivis *Gronovium*, cuius *Tacitum* propediem proditurum, uti & *Suetonium Graevii* ſpem nobis fieri video. *Typographia Blaviana* ante triduum Amſtelaedami conflagravit tota, cum Tabulis fere omnibus aeneis ad Atlantem, aliosque libros partim iam editos, partim edendos ſpectantibus: Perierunt etiam *Annotata Grotiana in Novum Teſtamentum* magna iam ex parte typis deſcripta, cum autographo exemplari Auctoris manu paſsim adaucto.

Pricaeanum Commentarium in libros tres priores Epiſtolarum Plinii (1) edituros ſe promittunt fratres *Gasbecii* Lugduni Batavorum. Iidem affirmant oblatum ſibi ab homine neſcio quo Italo pererudito (nomen enim mihi non eſt indicatum) *Hyginum* Mithologum ex vetuſto exemplari locis plurimis caſtigatum ac auctum: qui nuntius aures meas, fateor, inopinus accidit; cum non meminerim vetuſtos *Fabularum Hyginianarum* codices apud vos inveniri: Addebant (ſi recordor probe) Piſanum eſſe qui librum obtuliſſet edendum.

An-

1 *C. Plinii Secundi Epiſtola IX. Libri Tertii cum Annotatis Io. Pricaei. Romae* 1681. *f.*

Andream Cavalcantem (1) non magis natalium ſplendore, quam propriis illuſtrem virtutibus fero aſsidue in oculis, etſi virum in gravioribus occupatum rarius litteris meis interpello. Huic, ut & coeteris Amicis, ne graveris ſalutem plurimam meis deferre verbis, obnixe Te rogo; tum per otium ne moleſtum ducas ſignificare quid factum ſit Bibliothecae *Caroli Strozzae* (2) optimi & Humaniſ-

1 De *Andrea Cavalcantio* vide-ſis quae inferius adnotavimus ad calcem Epiſtolae *Heinſii* ad ipſum datae.

2 Bibliotheca haec *Strozziana* eſt, inter praecipuas quae Florentinam Urbem exornant iure merito recenſenda, ſi Codicum MSS., quibus conſtat, numerum, et precium ſpectes: eam collegit *Carolus Strozza* Senator Flor. *Thomae* fil., de quo inter alios *Cinellius in Hiſt. Scriptorum Florentinorum* MS. quam in Bibl. Magliab. adſervamus, haec ait: *Carlo di Tommaſo Strozzi il Giovane, Senatore, dell' Antichità diligente conſervatore e ritrovatore, meſſe inſieme una copioſa Libreria di manoſcritti, come nelle* Bellezze *accennai. Fece ſtampare il Libro chiamato*: Hugolinus Verinus de Illuſtratione Urbis Florentiae, *nel quale vi è di ſuo le poſtille in Lingua Toſcana, quando il Libro è Latino*: Florentiae 1636. 4. *Compoſe la* Storia della Famiglia Barberina, *e certi* Diſcorſi dell'origine della Città di Firenze, della derivazione di ſuo nome; del primo, ſecondo, e terzo Cerchio *MS. Lib. propria vol.* 1148. Storietta della Città di Firenze dall'anno 1279. fino al 1292. *MS. Libreria propria vol.* 1284. Raccolta di

ſimi Viri, quam Codicibus manu exaratis haud paucis inſtructam memini me vidiſſe. Vale. Exarabam Hagae Comit. An. MDCLXXII. a. d. xxv. Febr.

Gisbertus Cuperus, cuius *Obſervationes* non ita nuper Vltraiecti editas videre potuiſti, Commentarium librum meditatur in lapidem antiquum *Homericam Apotheoſin* complexum. *Iohannes Georgius Graevius* Obſervationes parat in Epiſtolas Familiares *Ciceronis*, cui auctor eram, ut poſtremam *Petri Victorii* Viri ſummi editionem Florentiae olim editam, curaret exprimendam? Sed nec ille eam vidit, nec eius mihi eſt copia. In iisdem Epiſtolis locus eſt ex Libro IX Ep. XVI. ſub finem: *Solebam enim antea delectari Oleis & Lucanicis tuis*. Si Laurentianam alia de cauſa accedes Bibliothecam aliquando, rogo in tranſcurſu conſulas pervetuſtum illud exemplar, ex quo *Victorius* editionem ſuam praecipue concinnavit: non enim video quam bene *Oleae* cum *Lucanicis* iungantur; unde fit ut ſuſpicer ab antiqua manu fuiſſe *illis & Lucanicis*, hoc eſt *Hillis*: *Hillae* Lucanicarum ſpecies.

EPI-

notizie, memorie, fondazioni, e privilegii di varie Chieſe di Firenze, e d'altri luoghi. Notizie, memorie, e privilegii della Chieſa Metropolitana di S. Maria del Fiore. Sommario delle Vite degl' uomini illuſtri di Caſa Strozzi, Tomi due MSS. His adde Indices locupletiſſimos praecipuorum contentorum in Codicibus MSS. Bibliothecae ſuae; ut taceam inſignem Monumentorum Antiquorum collectionem, de qua V. *Gorium in Inſcript. Etruriae Vrbium*.

EPISTOLA III.

PEr fortunae meae anguſtias non datur mihi aſſurgere ad demerendum Magnum Etruriae Ducem, Principem, ut ſcis, omni virtutum genere cumulatiſſimum, quo tamen me invitant unice quae privatim illi debeo longe plurima. Hinc ſuborta mihi eſt fiducia, quando maiora non licebat ſperare, ut de libris eius in uſum conquirendis agitarem conſilium, ſi opella fortaſſis hic mea quid commodi ſtudiis tanti Herois conferre quiret. Auſus ſum igitur Seren. Principi me totum hic tradere, ac vovere, & cum minime praeterire me poſsint occupationes ſonticae, quae ab illo in bonum commune promovendum aliae ſuper aliis proficiſci ſoleant, Te in partem deſiderii huiuſce mei adhibendum duxi, Vir Cl. cui rei iſtius curam praecipue demandatam ab illo iam ex fama cognoveram. Coeterum quod Bibliothecam Mediceam bonis Codicibus minus inſtructam eſſe aſſeveras, metuo ne hoc quoque pro reliqua Tua modeſtia extenues. Quicquid ſit, intelliges, ac compertum habebis ſemper, voluntatem meam, & quidem propenſiſsimam haud defuiſſe Tibi, ſi eventus & meis votis, & expectationi veſtrae parum, quod abominor, reſponderit. Maturius, ſi Index eorum Codicum qui praecipue deſiderantur illic, ad me perveniſset, iam maiori ex parte ſupplevíſse poteram, quod Tu ſupplendum iudi-

caſti. Ita enim res meas compoſui, ut ad Thermas Germanicas excurſurus videar ante Iunias Kalendas, ſi fortaſſis earum ope debilitatem pedum, quam permoleſtam experior, profligare detur, aut ex parte ſaltem amoliri. (1)

Perferetur hodie ad Sereniſs. Magnum Etruriae Ducem Catalogus Bibliothecae cuiuſdam ſupra privatam ſortem inſtructae, quae auctione publica apud Amſtelaedamenſes diſtrahetur die VII. Maii menſis proxime ſecuturi. Moris eſt autem apud nos, quod *Iacobus Gronovius* Te docebit, ut libri ſinguli, non complures ſimul, niſi forte formae ſint minoris, venum exponantur a ſectore vel praecone in hiſce auctionibus unus poſt alium, atque ita ſeorſim cetere in poſſesſionem illius, qui maximum inter licitantes pretium pro horum unoquoque obtulerit. Si quid illic coemendum putabis, curae erit mihi, ut aut ipſe auctioni interſim, aut ſi hoc non dabitur, ut mandata Tua per fidum hominem gnaviter curentur. Interim quos enotaſti, libros ut naneiſcar opera a me dabitur: Ex hiſce *Sanderi Bibliothecam Belgicam MS.* bis poſſideo, alte-

1 In Epiſtola enecd. ad eumdem *Magl.* data die 18. Ianuar. 1674 haec ait: *Heinſius. Reſtitutus Patriae valetudinem diu eſt quod experiar, ſatis adfectam, ne nunc quidem reſtitutis in integrum viribus: ſed in morem iam abiit mihi veternoſus languor, ac diutina pedum debilitas; de quibus inſtituere querelas ſerum ſit omnino, nec ſatis opportunum hoc loco.*

terumque exemplar iam nunc ſeponam Tibi. Plures praeſtare poſsem, ſi maior Bibliothecae meae pars mei eſset iuris, quae in Aula etiam num Svecica haeret, ſed ſic ut ſpes ſit, praeſertim poſt iam ſancitam Pacem Britannicam, perferri eam ad nos ſub aeſtatem proximam poſse. Nonnulli ex libris a Te enotatis parum mihi ſunt cogniti.

Bella funeſtiſsima Praelis apud nos typographicis ferias indixere: *Meurſianum* tamen opus hactenus ineditum *De trium Inſularum Antiquitatibus* (1) propediem in publicum emittetur. Tum *Antoninus Liberalis*, *Frontinus*, *Hyginus*, atque id genus ſcriptores brevibus annotatis illuſtrati.

Iacobum Gronovium inveniſse in exteris patronos tam munificos (2) gaudeo equidem, illique hanc fortunam ex animo gratulor. Reliquum nunc eſt, ut ille expectatione veſtra, ac paterni nominis ſplendore dignum ſeſe praebeat. Te interim rogo, ut monitis fidelibus ac benignis adeſse illi ne gra-

1 *Io: Meurſii Creta*, *Rhodus*, *Cyprus*: *Amſtel.* 1675. 4.

2 *Coſmus III.* M. Etr. Dux, *Magliabechii* ſuaſu, *Iacobum Gronovium*, *Io: Frid. fil.* Batavum Virum eruditiſſimum in Etruriam accerſivit, & in Piſano Lyceo Humaniorum Literarum Profeſsorem conſtituit in demortui *Valerii Chimentelli* locum. *Gronovius* autem vix elapſo anno primo ſcholaſtico, ſplendidum hoc munus abdicare coactus fuit inimicorum artibus, quos plurimos ipſe ſibi ultro fecerat; ut patebit ex inſequentibus *Heinſii*; ex *Noriſii*, & ipſius *Gronovii* Epiſtolis a nobis edendis

graveris. Fit enim haud raro, ut quos fortuna benignior reſpexit procul poſitos a patria, illi multorum invidiae, ac obtrectationi exponantur; quam & ipſi imprudentes nonnumquam fovent, cum caute poſſit amoliri haud magno negotio. Ipſe *Iacobus* rerum ſuarum ſtatum hactenus, neſcio qua de cauſa, apud me latere voluit: & ſane exiguus neceſſitudinis vinculus cum illo mihi interceſſit hactenus, quod totos XV. annos rarus admodum paterno lari haeſerim adfixus, in exteris aſsidue publico nomine occupatus. Patrem eius amavi a teneris conſtanter, & quidem merito: erat enim vir, qui praeter multam eruditionem, alia complura poſſidebat omnium amore digna: quibus virtutibus filium ſuum ſucceſsorem auguror.

Cavalcantii, & *Oricellarii* (1) Virorum inſignium mortem lacrimis meritiſsimis ſum proſecutus: cui meae iacturae aliam acceſſiſse doleo inconſolabiliter erepto nuper e vivis *Ioanne Capelano*, quo ego amicum in exteris certiorem nec habebam, nec poteram ſperare mei magis ſtudioſum: ſed non permittit dolor, ut plura hiſce ſuperaddam.

De *Catena SS. Patrum in D. Marcum* res plane me praeteribat. Pervetuſtum *Prudentii* Codicem Florentiae apud Monachos Camaldulenſes vidiſse me non recordor: nec ſane ſub eam tempeſtatem de Poeta illo in pu-

1 *Horatius Oricellarius* Patricius Flor. Vir doctiſs. obiit die 6. Febr. 1673. Eius Elogium v. apud *Salvinum Salvinium Faſti Conſolari dell' Accademia Fiorentina* pag. 566.

publicum emittendo cogitabam, quod rogatus poſtea ab Epiſcopo Paderbonenſi feci, ſed opera plane perfunctoria, quam tamen ad ſecundas curas revocabo fortaſsis. Sed nobis ea codicum antiquorum copia non eſt in promptu, ut cum velimus maxime, praeſtare quicquam poſsimus cum laude coniunctum. De *Petronio Traguriano* quae *Lucius* Hiſtoriae Dalmaticae auctor diſſeruit libentiſſime videbo: habeo enim compluria in promptu, unde perſuadear, & certo certius credam *Fragmentum* illud eſse genuinum *Petronii* foetum.

Amicos omnes iubeo ſalvere plurimum, atque in his Ill. *Laurentium Panciaticum* (1) quem in oculis aſsidue fero. Heri improviſus ſuperveniebat mihi *Laurentius Magalottus* (2) abiturus in Sveciam propediem, Daniamque. Vale, Vir Cl & mihi favere perge. Hagae Comitum MDCLXXIV. xiv. Martii.

EPI-

1 *Laurentius Panciaticus* Eccl. Metropol. Florentinae Canonicus Vir doctiſs. de quo vide, inter alios, *Negrium Hiſt. degli Scrittori Fiorentini*.

2 Idem *Heinſius* in Epiſt. anecd. ad *Magl.* data die 16. Maii 1674. ait: *Laurentium Magalottum Tui Nominis ſtudioſiſſimum, audio Hamburgum perveniſse, ſed minus valentem quam velim. Auguror per litteras proximas non ſolum me intellecturum fauſtiora omnia de reſtituta illi in integrum ſanitate; ſed cogniturum quoque iter Suecanum ex voto proceſſiſſe.*

EPISTOLA IV.

ACceptis Litteris Tuis, plurimum equidem ſum gratulatus mihi ſubortam occaſionem, qua promoveri nonnihil commoda Ser. Etruriae Magni Ducis per me poſsent. Confeſtim igitur Amſtelaedamum me contuli, ut edocerer quid de Indice Librorum ad *Guaſconios* fratres Florentia miſso, eſset factum. Cognovi autem *Elzevirio* traditum, qui cum nec ipſe ſat otii haberet, emptioni librorum vacaturus, nec e ſuis quemquam huic negotio curando idoneum praeſtare poſset, tutius, conſultiuſque omnino fore ſum arbitratus, ſi *Plumeri* Bibliopolae non ita nuper mortui filium itidem Bibliopolam huic rei delegarem, quem auctioni, tantum non aſsiduum ſciebam interfuturum; addito mandato, ne coemendis in libris plus nimio ſibi indulgeret, ſed temperaret nonnihil impenſis, ſi iuſtum pretium, quod fore praevidebam, quandoque libri excederent. Poſse enim fieri, ut venales iidem mox occurrerent in aliis auctionibus Bibliothecarum minus celebrium, ad quas minore numero licitatores concurrere ſoleant.

Gaudeo interim miſsum ad nos abs Te Catalogum eorum Codicum, qui Mediceae deſunt Bibliothecae: ita enim fiet, ut aliunde quaerantur, ſi qui nobis in hac auctione non ſint ceſsuri. Ante menſis huiuſce decurſum diſtrahetur alia Bibliotheca inſignis Hagae Comitum, quae fuit Perill. Viri & lit-

te-

terarum amantiſsimi *Cornelii Mylii*, ubi *Meurſiana* ſcripta extant omnia.

Meas Opera Tua curatas eſse ad *Angelicum Aproſium* (1) impenſe gaudeo, quem olim officioſiſſimum in multis ſum expertus, quorum omnium memoriam in hoc pectore deletam, nolim mehercules, ſenex optimus ſuſpicetur.

Nos paullatim emergimus ex fluctibus bellicis, qui patriam noſtram graviſſime quaſſarunt: quare auguror mox fore, ut Praela typographica exerceantur denuo.

Expecto cis menſem alterumque Bibliothecam meam e Svecia: quando manum fortaſſe admoturus ſum *Fragmento Petronii Traguriano*, aliiſque, quae hactenus in ſcriniis meis deliteſcunt.

Deſcriptionem Veteris Sepulchri nuper in Via Flaminia effoſſi, longe profecto habui gratiſſimam; Teque ob munus ſingulare plurimum amo.

Iacobo Gronovio ſcripſeram ſub exordium huius anni; ſed quantum ex fratre eius intellexi poſtea, intercidere in via litterae.

Virum Perill. *Laurentium Panciatichum* ſalvere iubeo, vix enim nunc per anguſtias temporis licebit reponere nonnihil iucundiſſimis eius litteris, quod tamen propediem fiet. Vale, Vir Cl., & meus, ut coepiſti, eſſe, quaeſo, perge in poſterum. Hagae Comitum MDCLXXIV. XVI. Maii.

Samuel Tennulius Gronovii agnatus, *Frontini Stratagemata* notis illuſtrata dat in lucem Amſtelaedami.

EPI-

1 *Angelicus Aproſius Intimilienſis* cuius Epiſtola inter eas *Claror. Ligurum* edemus.

EPISTOLA V.

IAm ex iis, quas non ita nuper ad Te dabam, cognoſce potuiſti, magna contentione certatum eſſe inter licitatores *Hemmianae* Bibliothecae (1) dum certatim Codices rarioris notae ſibi quiſque cupiunt addici. Ingens huic rei momentum attulere, praeter binos defuncti fratres, iuvenes nonnulli, ut opibus affluentes, ita aut nulla, aut tenui Codicum bonorum inſtructi cognitione, qui alienae obſecuti commendationi, & praepoſteris Voluminum quorumdam laudibus, nonnulla, etiam in Bibliopoliis adhuc ſatis obvia, auro contra cara habuere. Aiunt ex Germania Superiori Viros Principes quoſdam, atque in his Fratres Luneburgicos, Bibliothecis etiam ſuis conſultum hac auctione voluiſse. Quicquid ſit, numquam alias libros protritae notae tanti recordor vaeniſse hic terrarum.

Remiſit ad me Indicem Tuum *Plumerus*, addito ſingulis libris pretio, quo ea in auctione ſunt diſtracti; id quod aliquanto tempeſtivius feciſset mallem: ſub idem enim tempus Ill. Viri *Cornelii Mylii* Bibliotheca Hagae Comitum expoſita eſt vaenum, quae Codices nonnullos, ex hiſce quos deſignabas poterat ſuppeditaſse, ſi ſciviſsem eos a *Plumero* non fuiſse redemptos. Sed Autumnus pro-

1 Bibliotheca *Henrici Vander Hem*, cuius Catalogus impreſs. eſt *Amſtel.* 1674. 4.

proximus meſſem Bibliothecarum venalium haud modicam, puto, dabit.

Succeſsus ille *Hemmianae* Bibliothecae invitabit hauddubie nonnullos, ut ſupellectilem librariam, quam poſsident nulli futuram uſui, ſed ſolo iure haereditario acquiſitam, divendant, obſecuti temporum anguſtiis; unde fit, ut augurer, ante decurſum anni huius non defuturam meliorem mihi fortunam, qua Magni Principis ſtudia promoveantur.

Catalogum Sanderi Codicum MSS., qui in Bibliothecis Belgicis, Brabantinis praeſertim, deliteſcunt, quod a *Plumero* ne hunc quidem comparatum videam, ſepoſui ad Te mittendum, cum geminum eius exemplar Antuerpiae ſim nactus. Ubi Bibliothecam meam, quae maiori ex parte Holmia, ut ſpero, propediem huc perferetur, adeptus fuero, excuſſeroque, complura erunt in promptu, quae Tibi accedant.

Ad optimum *P. Angelicum Aproſium* reſponſi nonnihil dabitur a me proxime: nunc haſce ad Perill. Virum *Laurentium Panciatichum* exaratas Tuae fidei commendo.

Vale, Vir Cl., & mihi Tui ſtudioſiſsimo perge favere. Hagae Comitum MDCLXXIV. XIIX. Iunii.

Iacobum Gronovium Tui conſilii indigere ſum certus, ad quod ſe componat.

EPI.

EPISTOLA VI.

DE Auctione *Hemmianae* Bibliothecae iam ſaepe Tecum egi, libros in ea pleroſque nimio diſtractos mihi eſse viſos. In Foro, & in Academia cùm proferri res Auguſto menſe, ac Septembris potiori parte ſoleant, interquieſcunt toto temporis huius decurſu apud nos ſubhaſtationes, ad quas ante Octobres Kalendas recurritur, tota hiberna tempeſtate frequentandas. Et eas ſolito ſpiſsiores nunc opinor imminere, quod aere alieno apud nos oppreſsi non pauci, ut nunc ſunt tempora, rebus afflictis remedium quaerunt e bonis proſcriptis, ac venum expoſitis, iis praecipue quae rariori in uſu numerantur, ac habentur minus neceſsaria. Facit tamen ut dubitem meas res ita componi poſse, ut Autumnum Hyememque hic terrarum ſim exacturus, profectio ad Thermas Germanicas, quam valetudo pertinax mihi praeſcribit ſuſcipiendam, quamque hactenus differre ſum coactus ob litem permoleſtam, quae cum multo iam tempore me exercitum habuerit, contriveritque, vix tandem nunc a Iudice videtur explicanda ac finienda fore. Sed de toto hoc inſtituto meo verba mihi Tecum Septembri menſe, ante ipſam profectionem, ut auguror, erunt facienda, ſi proficiſci eo detur.

A Proluſionibus, & Epiſtolis Octavii Ferrarii recens editis, quem nuntium ex Te primum nunc audio, plurimum promitto mihi,

hi, qui Viri illius ingenium facundiamque non uno pridem perſpexi argumento.

Iacobus Gronovius niſi anxium in modum temperat ſibi a laedendis quoquo modo oblique, aut carpendis Collegis ſuis, in laqueos ſimultatum frequentiores quam ut vitari, aut excuti poſsint, implicatum ſeſe mox agnoſcet, & ſera inſtituti ſui poenitentia ducetur. Omnibus enim, qui ſub iuventutem ipſam peregrinationis ſtudio tenentur, id in primis a ſemet proponi par eſt, ut mores ſuos ipſi quam emendatiſſimos reddant, priuſquam alienis vitiis, ſi qua ſunt, inſectandis ſeſe accingant. Qui recordantur ſemet homines eſse, ac lubrico aetatis obnoxios, offenſas obſequio, & diſſimulatione non paucas caute tranſmittunt, fugitantque, in exteris praeſertim conſtituti, ubi, niſi indulgenter, placideque vixerint, aut conſeneſcant omnibus inviſi, aut foras propellantur neceſse eſt. Apud nos quoque aliter haec ſacra non conſtant. Memini me adoleſcente, dum *Claudius Salmaſius* in Academiam Leidenſem publica auctoritate invitatus, aemulos, Vir peracuti ingenii, quos contempſiſse poterat, inſectatur ultro, ac latentes in cubilibus indagat, hunc tuliſse moroſi faſtidii fructum, ut bonis aeque ac malis inviſus demum, hoſtibuſque, & amicis, publici odii victima, gravis omnibus, nemini comploratus vitam finiverit. *Ioſephum* contra *Scaligerum*, etſi iam ſenem, nec ſatis facilem ingenio, ita tamen ſe compoſuiſse ad horum mores, in quibus aetatem ſibi agendam videbat, ut tamquam Publicus

Muſarum Pater, non ſine plebis ipſius, atque hominum illiteratorum planctu immenſo ſit elatus. Si quid prodeſſe monendo poſſem, hortarer amicum noſtrum, ut neque anſam vel minimam ſimultatibus daret, & ſi dente livido ſponte, atque immerenter appeteretur, eius ſenſum omnem diſſimularet. Quod niſi fecerit, magnos illi motus iurgiorum, magnarum contentionum meſſem video inſtare; inter quas qui vitam foris domique tranſigit, nae ille omnium infeliciſſimus eſt habendus, miſerrimuſque!

Vale, vir Cl. & mihi velle perge. Hagae-Comitum. MDCLXXIV. Kal. Sextil. Greg.

EPISTOLA VII.

Amſtelodamum proximis diebus cum forte me contuliſſem, tradita mihi eſt illic ab *Elzevirio* noſtro Tua Epiſtola quinctili menſe exarata, quam ſi paucis horis tempeſtivius fuiſſem conſecutus, poteram una eademque opera ad binas Tuas reſponſi nonnihil dare. Confido interim traditas Tibi, quas proximo Tabellario perferendas in Etruriam commiſi.

Petronii Fragmentum Traguriamum bis terve perlectum avide, & intente non poſſum auctori ſuo abiudicare. Et quamquam vix eſt futurum, ut integritati ſuae reſtituatur poſt tantam mendorum meſſem, quam ſine adminiculo exemplaris pervetuſti profli-

gari

gari poſse nulla ſpes affulget, tamen operam non omnem a me luſam hac in palaeſtra aliquo iure meo gloriari poſse videor. Sed alio avocatus iampridem per litem odioſam ac maxime incommodam, ne cogitare quidem tota hac aeſtate de tela pertexenda, quam incoharam, potui. Liberatus ea moleſtia, quod prope iiem fore mihi promitto, audebo fortaſsis non recuſare quae abs Te eam in rem perbenigniter offeruntur.

Patrem *Macedonem* (1) Luſitanum Suecana in Aula, quantum recordari datur, notum habui olim, & poſtea Romae compellavi, Virum revera bonum, ſed reconditae eruditionis nihil tunc promittentem.

Iacobi Gronovii inſtitutum laudo, qui *Henrici Valeſii* Viri longe doctiſsimi in gratiam, *Hiſtoriam Socratis Eccleſiaſticam* Laurentianae Bibliothecae nunc excutiat. Aut eiuſdem Auctoris; aut *Sozomeni* exemplar vetuſtiſsimum memini videre inter Codices Ducis *Salviati* apud vos, ante annos hoſce vicenos, de quo multum mihi ea tempeſtate pollicebar. Vale, Vir Cl. & cum alios amicos, tum praecipue *Laurentium Panciatichum* meis ſaluta verbis. Hagae Comitum. MDCLXXIV. IX. Aug.

M 2 EPI-

1 F. *Franciſcus a S. Auguſtino Macedo* Luſitanus Ordinis Minorum quos Obſervantes vocant: de quo plura in Epiſtolis *Noriſii*, & aliorum a nobis edendis.

EPISTOLA VIII.

PLuribus fortaſſe, quam aut Tu velles, aut mihi conveniret, occupabar nuper, dum dolorem apud Te non diſsimulo, quem, fateor, haud levem collegeram ex rumoribus de amico communi (1) ſparſis. Qui enim ex Etruria recentes pervenerunt ad nos, non tantum aſſeverant, luctari illum cum multorum ſive odio, ſive invidia, ſed arbitrantur quoque concitari hoc fulmen in caput eius haud immeritum, a provocatis ac laceſsitis oratione intemperantiori, quam peregrinum & aetatis parum provectae hominem deceat. Vnde ſubverendum videtur, ne Magnum Etruriae Ducem, mire hactenus beneficum erga peregrinos, & hunc ipſum, de quo ſermonem coepi inſtituere, amicum noſtrum, bonitatis tam eximiae aliquando poſsit poenitere; & Proceres noſtri, re comperta, ſuperſedeant favore ſtudioque, quo eruditionem hominis complectuntur, tantumque moribus eius derogatum eant, quantum doctrinae hactenus detulerunt. Quapropter ſi Te, alioſque ſolertis ingenii viros non averſabitur audire, ab omni ſimultate, ac offenſa prudentem in modum ſe continebit: Praeſertim cum nec deſint inter nos, qui fortunis eius, ac exiſtimationi inſidientur.

Indicem Librorum, Vir Cl., quos *Plumerus* in *Hemmianae* Biblioth. auctione compararat proxime, & perlatum ad vos confido,

1 *Iacobo Gronovio.*

ſido, & libros ipſos *Guaſconii* opera iam miſſos in Etruriam. Mirum vero quanta Auctionum, & tantum non quotidiana meſſe hic exuberet apud nos Autumnus. Sed in magna librorum venalium copia, pauci occurrunt, quos rarior nota commendet. Invigilabo tamen veſtris commodis, & ſi qui ſeſe offerent, pretio ſalubri parabiles, ex hiſce, quos abs Te deſiderari pridem ſignificabas, non committam, ut alium illi emptorem nanciſcantur.

Academiae omnes in Belgio Foederato, calamitate bellica attritae, aegerrimum in modum reſpirant, nec quicquam moliuntur, quod expectationi veſtrae reſpondeat. *Gisbertus Cuperus* apud Daventrienſes Humanioris Literaturae Prof., praelo Typographico adornavit *Commentarium ſuum in* Ἀποθέωσιν *Homericam vetuſti marmoris*; tum *Obſervationes* ſuas tribus libris de novo auctiores. *Abrahamus Berckelius* poſt *Antonini Liberalis Metamorphoſes*, *Stephani* quoque *Bizantis Fragmentum* annotatis ſuis illuſtratum publico dedit, cum *Periplo Hannonis*. *Meurſianae trium inſularum Antiquitates* nondum prodiere in publicum. Apud Britannos multa veterum Auctorum ſcripta, Mathematicorum praeſertim, in lucem proditura propediem dicuntur. Apud Germanos *Andreas Boſius*, qui poſt *Reineſium* dignitatem Artium bonarum ferme ſolus, praecipuus certe tuebatur, e vivis exceſſit. *Hygini Fabulas* animadverſionibus *Scheſferi* illuſtratas mox videbimus. Patrem *Noris* ex fama habeo cognitiſſimum; amore omnium, qui virtutem ſtudioſe amplectuntur florentem:

Scripta tamen eius, quod mireris, nulla hactenus ad nos ſunt perlata; ut hanc quoque iniuriam calamitati bellicae debeamus, *Tennulius Iacobi Gronovii* cognatus *Frontini Strategemata* praelo typographico permiſit. Idem in *Valerio Maximo* occupatur: *Cuperus*, cuius memineram modo, in *Luciano*, ac *Iuſtino*. *Graevius* in *Cicerone*: *Ryckius* in *Alciphrontis Epiſtolis Amatoriis* hactenus ineditis: ſed tranquilliora tempora requirunt iſtae lucubrationes. Pro iis, quae Tu, Vir Cl., ſuper Re Litteraria nuntiaſti, gratias pluſquam ingentes ago. Vale. Exarabantur Hagae Comitum MDCLXXIV. XII. Septembr.

EPISTOLA IX.

Mirifice me adficiunt Tuae Litterae, atque ingenti cumulant voluptate, Vir Cl., cum praeter ſtudium mei, quod prorſus ſingulare praeſeferunt, de iis, quae apud vos, ingeniorum Principes, in Re Litteraria ſubinde elucubrantur, numquam non novi aliquid atque eximii comprehendant. Erat ſane partium mearum hoc officii genere certare Tecum, & paria, ſi daretur, facere. At vero tanta eſt temporum praeſentium calamitas, ut ipſum Bonarum Artium nomen vix inter nos ſuperſit, aut ulla litteraturae humanioris recordatio. Totum quadriennium iam deſudatur in *Stephano Byzantio* Typis deſcribendo: & tantundem temporis, quantum video, requiritur, ut id opus ad optatum perducatur finem. Nec in

An-

Antiquitatibus Meurſianis trium Inſularum luce publica donandis magis feſtinatur; quas tamen, poſt diuturnam procraſtinationem, emittendas propediem fore intelligo. *Hygini Mythologica*, & *Aſtronomica* opuſcula notis *Scheſſeri* ac *Munckeri* illuſtrata proximis diebus Hamburgo accepi. Nundinae autumnales Francofurtenſis Emporii nil omnino frugis exquiſitae protulerunt. Cum Gallis omne commercium ſuſtulere nobis haec bella: ut ignoremus plane, quid toto illic iam triennio incrementi capiat Res Litteraria. Adſulget tamen ſpes qualiſcumque, mox fore, ut profligato Rei militaris, atque armorum ſtudio hoc funeſto, ad tranquillam pacem omnia ſeſe convertant, ac meliori fide, quam hactenus, concordiae hinc inde litetur.

Bibliothecam meam cum reliquis ſarcinis e Svecia non ita nuper huc adlatam, in Agrum Traiectinum devehendam curavi, ut, ſi per tricas forenſes ac domeſticas occupationes, quae me totum opprimunt iampridem, confieri poſſit, ei excutiendae partem potiſſimam tempeſtatis hibernae impendam. Id enim pro ingenti oblectamento mihi futurum eſt, quando nec per valetudinem, nec per tricas, quas dixi, animo prorſus defaecato in ſinum Muſarum totus ut condar permittitur. Illa occaſione ſcrinia tot per annos diſiecta colligam certe ac componam, ut aliis inſerviant poſt me, quando iis, pro voto lubituque, uti mihi per fortunam aſſidue ſtudia mea interpellantem non eſt datum.

Vale, Vir Ampliſs., &, ni moleſtum

eſt, Optimum *Panciatbicum* verbis meis per quam officioſe ſaluta. Exarabam Hagae Comitum MDCLXXIV. Kal. Novembr. Gregor.

EPISTOLA X.

CAve opineris, Vir Cl., Litteras Tuas parum aut opportunas, aut intempeſtivas unquam ſuperveniſſe mihi, cum & in multis me erudiant ſuper Re Litteraria, & benevolentiae erga me Tuae pro argumento non levi ſint habendae. Quapropter pro coetera modeſtia Tua ſum interpretatus, ut debebam, quod ſubvereris, ne quid ſtudiis meis per interpellationes iſtas incommodi accedat. Ego enim iamdudum litibus moleſtiſſimis implicor, ſuper hereditate praeſertim paterna, quam quin mihi omnem penitus involarent illi, quibus id haudquaquam conveniebat, abfuit ſane minimum, dum annos complures peregre occupatus, in publicis Patriae pro virili conſultum volo, idque Procerum noſtrorum mandato obſecutus. Vnde fit, ut a memet, etſi multum invito, ſtudi litterati oblectamentum prorſus omne dudum removerim, cum ne publicis quidem cuis ſufficiam hac de cauſa, quibus me proinde totum nuper ſubduxi, vergente praeſerim magis ac magis valetudine, meque fragilitatis humanae identidem admonente, quas adeo malignam praeter ſolitum hiberna hac tempeſtate ſum expertus, ut cum po res forenſes Decembri menſe prolatas in illam deportari me curaſſem, ex aeris mtatione,

ne,

ne, & liberali otio ſolatium morbo quaeſiturus, ne defaecatum quidem animum, & ſollicitudinis expertam, huic morbo profligando ſatis reſpondiſse certis argumentis agnoſcam. Quae potiſſimum ratio me permovit ad reſponſum pridem debitum litteris Tuis Novembris exaratas menſe, tanto tempore procraſtinandum: cum caeteroquin res nulla plus voluptatis mihi ferat, quam ſtudium commercii epiſtolaris.

De *Iacobo Gronovio*, quando a Te mihi hic eſt diſsentiendum, quaeſo omnem intermittamus diſceptationem in poſterum. Cum parente eius neceſsitudinem contraxeram iam a teneris unguiculis fraternam plane. Hanc ego, & Pater meus multis officiis inter noſtros nemini non teſtatis ac cognitis, ut nihil ea commemorari nunc attineat, aſsidue fovimus, ſancivimuſque. Is ipſe etiam parens eius per omnem vitae decurſum hoſpitio noſtro eſt uſus, tamquam domo propria. Filio per peregrinationem Italicam eventura, quae evenerunt, cur timeremus, cauſas nobis paternis amicis nullas fuiſſe, quia Tibi ſunt incompertae, arbitrari nolito. At multum invidiae, inquis, in Etruria obiectus fuit. An externum aut novum erat, quaeſo, habendum, invideri iis, quibus cum bene agatur? Ubique terrarum, & ab omni ſaeculo livori locus eſt ac erit ſuus: quod cum nec ignoraret noſter, haec tela ab illo prudenter evitata oportuit, ut ſtudiis ſuis conſuleretur, quibus quod optime vellemus, ut iuvenilis atque aliquanto concitatioris animi incendio affunderetur aquae non-

ni-

nihil, Te ſollicite rogabamus; nunc vero oleum effundi pro aqua videmus nolentes & dolentes. Numquid diſſimulatione obfirmaſse animum praeſtabat adverſus haec, quaecumque tandem erant; quam quod nunc factum eſt, e ſinu tot praeſtantium Bibliothecarum avelli in pleno lucubrationis curſu, unde nihil praeter maerorem ſibimet ipſi, hoſtibus gaudium ac triumphum, detrimentum Rei Litterariae relinqueret? At Collegarum neminem vel dicto laeſerat, vel facto, inquis. Cur ergo proditionis ab illo inſimulatur Pater *Noriſius*? Adeo ne rerum ignarus eſse quiſquam poteſt, ut neſciat, Monachos aut omnes, aut pleroſque ſaltem, animo perquam alieno eſse ab hiſce, quotquot in Caſtris Eccleſiae Romanae Sacramentum non dixere? En ſinum, in quem tamquam in portum ac receptaculum tutiſſimum, arcana mentis & cogitationes deponas! Poterat ſane conſuetudine P. *Noriſii* ut literati hominis fuiſse uſus, ſed circumſpecte id ſobrieque. Nam quo convictus ille tantum non quotidianus inter illos agitatus? At quanto tutius cautiuſque domicoenio ac quadrae propriae ſe crediſiſset noſter! *Alium ſilere quod voles, primus ſile:* inquiebat ille. Sed de re omni ipſe viderit. Tum quam ſit factum comiter liberaliterque, iis referre pedem non ſalutatis ex Urbe veſtra, quorum officia luculenta eſset expertus, dum variis indulget ſuſpicionibus, & offenſis ex ſemetipſo prognatis patrocinatur ac blanditur. Neque ego nunc hac de re verba apud Te eram facturus, niſi conſtaret mihi ex

fa-

fama publica, inveni illum verbis acerbioribus, cum in alios veſtrates, eoſque immerentes, tum in V. Cl. *Carolum Datum*, tamquam & hunc ſibi minus faventem experiretur. Quando mecum eſt congreſsus noſter poſt iter Italicum confectum, nominavit nonnullos, praeſertim ex Aulicis veſtris, quos ſuſpicari videbatur per litteras mecum egiſse de rebus ſuis aliquanto malignius. Negavi ab illis quicquam litterarum ad me eſse perlatum, ex quo ille apud vos ſedem fixiſſet: *Carolum* vero *Datum* adeo honorificam eius mentionem feciſse, quamquam & ille rarius ſcripſiſſet pridem, ut ne Tu quidem ſoleres, aut poſſes benigniorem in modum. Haec & plura ego iure optimo tum aſſeveravi, obtulique ipſas me *Dati* litteras exhibiturum, ſi vellet, aſseverationis huiuſce teſtes pleniſsimas, ſimulatque rure rediiſsem, quo cum ſcriniis coeteris eſsent a me pridem ablegatae. Sed aut nihil aut parum apud contumacem haec potuiſse audio & indignor cum maxime. Quid enim?

Non tam averſus equos Batavo ſol iungit ab orbe,

ut non tranſierint hac nuper ex veſtratibus complures, ſive ad Agrippinae Coloniam, ſive alio, moventes iter, tum reduces ab Italia veſtra popularibus e noſtris nonnulli, qui docere me potuerint, quid apud vos rerum ageretur, Vir Cl., ut in *Datum* facti indicii culpa converti haud quaquam poſsit, niſi contentionum cauſas invitamus ultro, & longe quaeſitas accerſimus, quod hominis eſse ingenui ut credam, vix mihi per-

perſuadeatur. Iniecta autem commodum *Dati* mentione, illud hic loci non eſse praetermittendum reor, quando longioris vitae ſpem mihi qualemcumque pertinax valetudo in diſcrimen praeſentiſsimum nunc vocat (1), ut ante ſupremum diem ex me perſanctum id teſtificante in modum audias. Virum videlicet illum praeſtantiſsimum (2), mihique plurimis officiis, ac longo XXX. annorum uſu probe cognitum, nihil umquam verbo vel unico de Te in ſuis ad me Litteris perſcripſiſse, unde colligi detur, non convenire vobis optime pulcherrimeque. Porro quod Tibi ſignificaveram, ſubvereri me, ne Sereniſs. Magnique Principis animus ab amore exterorum ſolito revocari nonnihil poſset, inconſultis id genus factis, nemo quid tale ad me perſcripſit, ſed mei timoris id omne crimen cenſeas licet. Denique ut ad noſmet ipſos revertar, ita quaeſo Tu & ego vivamus in poſterum, ut *Iacobi* noſtri virtutes, uterque ex debito aeſtimemus: ſi aberrat in nonnullis a ſcopo, obnoxiumque ſeſe praebet infirmitatibus, pro communi Generis Humani labe, Tibi eas aut excuſare, aut tueri ſit integrum, dum mihi per Te liceat velle in illius moribus nonnihil immutatum, praeſertim quando in Amicos paternos cenſuras ali-

1 Cum adverſa valetudine diu conflictatus Heinſius obiit die 7. Novemb. An. 1681. v. *Foppens Biblioth. Belg.* P. 2. 911.

2 De Praeſtantiſ. quidem Viro *Carolo Dato* plura vide ſis in ſequentibus Heinſii ad ipſum Epiſtolis.

aliquanto liberiores, & obtrectationi proxi-
mas exercet. Erant complura, de quibus in
rem meam actum oportebat, quale illud,
quod ſine meis ad Te litteris *Conradus Ruy-
ſchius* venit, quodque in iis, quas ad ipſum
illum dederam, nulla Tui mentio occurre-
bat. Quippe cum ille in procinctu me ex
Allobrogibus admonuiſſet promiſsi ſuper com-
mendatitiis litteris, in ſumma feſtinatione
vix binas exarare licuit mihi Epiſtolas, prae-
ſertim ab avunculo eius Viro Ampl. *Theod.
Levio* edoctus, tranſitum illi brevem per
Civitatem veſtram nunc fore; poſt confe-
ctum autem iter Romanum, ibidem ſedem
aliquandiu fore figendam: quando litteras meas
Tibi aliisque compluribus opportunius in
rem eius adfuturas eſse ſum arbitratus. In
ipſa vero Epiſtola ad illum per me tumultua-
rie ac feſtinanter, pro more meo, exarata,
nullos recordor a me nominatos homines per
Italiam veſtram ingenii atque eruditionis
laude praeſtantes, niſi quos aut illic coram
perſpectos olim habuiſsem ipſe, aut certe
quos in Batavia noſtra peregrinantes poſt
conciliaſsem mihi inque hiſce *Octavium
Falconerium*, & *Laurentium Panciatichum*.
Haec breviter in cauſam meam. Erunt, &
alia innocenter a me facta, quae vitio a
Te non verti maluiſsem, ſed vires animo
hoc aegrotanti parum reſpondent. Interim
officia *Conrado Ruyſchio* per Te praeſtita,
hoc in ipſo mihi fuerunt longe acceptiſsi-
ma, quod praeſtitiſti ea ſponte, & non
rogatus. Vale, Vir Cl. & candorem il-
lum, quem, ſi meminiſti, operoſe olim
mi-

mihi commendabas; illibatum, quaeſo conſerva.

Alienam manum quod praeſefert haec Epiſtola, non meam, benigniter interpretare, ſodes. Valetudini id adſcribendum, non minus quam quod ſerius ad Tuas reſcribo. Iterum vale. Hagae Comitum A. MDCLXXV. xxviii. Febr.

In-

INſequentes *elegantiſſimas* Heinſii *Epiſtolas ad* Carolum Datum *Patric. Flor. Literarum Humaniorum in Patrio Lyceo Prof. &* Io. Caroli *Cardin.* Medicei *a Bibliothecis miſſas, in lucem proferre opportunum duximus; tum quod* Heinſianarum Epiſtolarum Sylloge *a Cl.* Petro Burmanno *edita locupletari inde poterit; tum etiam quia ipſe* Datus *Epiſtolas haſce* Heinſii *typis evulgare olim meditabatur, una cum pluribus aliis, quas Viri doctiſs.* Io. Miltonus, Iſaacus Voſſius, Paganinus Gaudentius, Io. Rhodius, Valerius Chimentellus, & Caſſianus Puteus *ad ipſum ſcripſere. Cum autem* Datus *exequi id non potuerit, & ignoremus, an erudita haec* λείψανα *e latebris educenda unquam ſint; Paucas haſce* Heinſianas *cum Literatis communicamus. Eas autem deſcribi curavimus ex autographis quae in Biblioth. Magliabechiana adſervantur, una cum plurimis ipſius* Dati *Schedis & Adverſariis.*

Clar. huius Viri plura hic illic ſparſa extant Elogia; ſed omnium luculentiſſimum attexuit Eruditiſs. Salvinus Salvinius *in* Faſtis Conſularibus Academiae Florentinae. *Nobis etiam nonnulla de ipſo praefari continget ad eiusdem Epiſtolas, quas edemus in Collectionis noſtrae ſectione, quae* Clarorum Florentinorum ad Magliabechium nonnulloſque alios Epiſtolas *complectetur.*

Heinſius Chriſtinae Auguſtae *Svecorum & Vandalorum Reginae iuſſu cultiores Europae pro-*

provincias peragravit, ut Libros rarioris notae, & Antiqua Monumenta compararet, quibus Regium Cimeliarchium locupletaretur. Florentiae propterea aliquantiſper conſedit, in Vrbe elegantiarum illarum ditiſſima, facileque in virorum, qui ibi ſapientiae laude cluebant, amicitiam ſe inſinuavit, Caroli Dati *in primis, cuius praeclaras animi dotes, & amplam doctrinae ſupellectilem perpetuo ſuſpexit, & cuius amicitiam ſancte ſemper coluit. Redux autem in Sveciam, & magna apud Reginam gratia florens,* Dati *virtutes ipſi pro merito extulit, & lapidem omnem movit ut ille in Aulam Svecicam perhonorifice invitaretur; quod tamen non contigit ob abdicatum ſub idem tempus a Chriſtina Regnum. Paucos tamen poſt annos Regina dum Romae privatam tranquillamque vitam ageret,* Dati *virtutes animo recolens, amplis promiſſis ipſum ſollicitavit, & ad ſe venire iuſſit: quem honorem* Datus *rei familiaris cura tunc diſtentus, recuſare coactus eſt. Heroinae profecto huius, optimarum quarumcumque Diſciplinarum fautricis ſummae, memoria nobis debet eſſe ſacra, eo praecipue nomine, quod Florentina ingenia ſolita fuerit prae caeteris admirari, & plures e noſtratibus aperta favoris ſignificatione proſecuta ſit. Haec obiter monuiſſe ſufficiat ad* Heinſianarum Epiſtolarum *illuſtrationem.*

NI-

NICOLAI HEINSII

EPISTOLAE

AD CAROLVM DATVM.

EPISTOLA I.

V. C. CAROLO DATO

NICOLAVS HEINSIVS

S. P. D.

AD geminas Tuas reſponſum debeo, Clariſs. & Amiciſs. Vir, quarum alteras die Ianuarii 23. ſcriptas ex Batavia heri accepi, alteras die Februarii 16. exaratas per viarum compendia iampridem conſecutus ſum. Protraxi tamen ad illas reſponſum, quod ſpes eſset adfuturas mox Ducis *Salviati* literas Reginae tradendas, quae cum nullae compareant, reſponſo Tuas fraudare nolui diutius. Reginae epiſtolam recte curatam

quod nuncias, magna curarum mole me liberatum ſentio. De negotio Tuo nihil hactenus eſt actum, tum quod Comes *Banerius* totam hyemem ab Aula abſuerit, ac nunc demum reverſus ſit ante dies paucos; tum quod Regius animus graviſsimis praeter ſolitum occupationibus fuerit diſtractus, ex quo pedem hic fixi. De Inſtituto Reginae, etſi abunde ultimis penultimiſque verba fecerim, repetam tamen argumentum idem, ne ſi illae ad Te perlatae non ſunt, mea exiſtimes negligentia negotium haerere. In votis illi erat, quantum ex *Banerio* intellexi, ut ante hyemem elapſam ſibi adeſses. Id vero fieri non potuit, quod valetudine eſses minus firma: nec multum voluptatis, aut fructus expectandum Tibi erat ex itinere, ſi veniſses. Ex quo enim hic haereo poſt Italicam peregrinationem, aſsiduis cum negociis ac occupationibus luctantem Reginam offendi ſemper, adeo ut de ſtudiis cogitare illi non licuerit. Bibliothecam alio iam tranſlatam, ac ſupellectilem Aulicam, intellexi huc adveniens; unde orta ſuſpicio, quam eventus comprobavit, vetus de privata vita ſequenda conſilium a Regina rurſus agitari: Eo denique res recidit, ut poſt hebdomadas quinque, aut ſex, Regno ſe abdicatura ſit, ac in Pomeraniam mox transfretatura; unde ad Spadanos fontes in Leodienſem agrum iter meditetur, ut adfectae nonnihil valetudini hac aeſtate conſulat. Haec ſunt quae ex publicis rumoribus licuit indagare: certiora ante meum ex his oris diſceſsum intelliges. Vult enim ut ſibi adſim Regina, etſi Parens do-

domum revocare me non ceſset. Recte igitur feceris ſi literas in poſterum Tuas in Bataviam mittas, unde ad me curentur, cum de certa ſtatione nihil adfirmare poſsim, deſultoriam, quantum video, vitam hoc anno acturus. Reginae conveniendae occaſio Tibi nequaquam deſutura, ubi ſedem ſibi Illa fixam legerit, de qua nihil conſtat hactenus, cum fluctuare ſententias, nec ſibi conſentire agnoſcam. Utramque a Te Epiſtolam accepit illa, quibus quod reſponſi nihil repoſuerit, iiſdem, quas dixi, occupationibus acceptum eſt referendum. *Banerius* in Italiam reditum meditatur, prima militiae ac armorum tyrocinia Venetis auſpiciis dedicaturus. Amoribus eius quid interea ſit futurum neſcio. Semel illum videre mihi ſolummodo contigit, ex quo rure in Aulam eſt reverſus. Te amat conſtantiſsime, nec quicquam fecit ſine Regio mandato, dum auctor Tibi fuit ut huc excurreres. Stockholmiae peſtis iam deſaeviit; poſt biduum triduumve eo Regina cogitat, atque inde Nicopingam, ut matri valedicat.

Ante menſes ſex indiculum ad Te miſi librorum quorumdam, quos in Italia emptos cupiebam, ſi venales occurrerent. Erat inter illos *Euſtathius in Homerum* ex editione Romana: *Parallela militaria Patricii in fol.* & eiuſdem *Philoſophia univerſalis: Diogenes Laertius Aldobrandini*: coeterorum vix nunc memini. *Commentatores Graecos in Ariſtotelem* etiam deſidero. Ego Tuis commodis, dum Reginam ſequor, invigilare viciſſim potero: quare catalogum ad me libro-

N 2 rum

rum omnium mittas velim, quibus orbata eſt etiamnum Bibliotheca Tua; idemque ut faciant, Comiti *del Maeſtro* (1), & *Marucellio* (2) auctor eſto. *Schefferi de Re Navali Commentarios* ex Batavia ad Te mittam: nam cum illuc iam profectus ſit Typographus, exemplaria eius libri omnia ſecum abſtulit. *Salmaſii commentarius de Re militari* iam ante decennium

edi

1 *Comes Ferdinandus del Maeſtro* Patr. Flor. cuius Elogium vide apud *Rillium*, ſeu mavis *Magliabechum*. *Notizie Letterarie ed Iſtoriche intorno agli uomini illuſtri dell' Accad. Fior. part. I. pag.* 358. *Negri Iſtoria degli Scrittori Fior. pag.* 163. & *Salvini Faſti Conſol. dell' Accad. Fior.* 577. *Cinellius Iſtoria degli Scrittori Fior. MS.* haec de ipſo conſcripſit, *Ferdinando del Maeſtro Conte e Gentiluomo di Camera del Cardin. Leopoldo, di vivaciſſimo e fecondo ingegno, non ha dato opera alcuna alle ſtampe, eſſendo da morte intempeſtiva ſtato rapito. Ha nondimeno compoſto due Orazioni funerali . . . . . Traduſſe ammirabilmente le Lettere di Balzac ad un Perſonaggio della Francia dedicate, ed alcune altre Lettere del Cardin. di Perron all' Eruditiſs. Magliabechi indirizzate, che MSS. preſſo il fratello di eſſo Conte ritrovanſi. Nel recitare le orazioni fu maraviglioſo, e con applauſo grandiſſimo nelle publiche funzioni aſcoltato.*

2 *Abbas Io: Phil. Marucellius* Patr. Flor. qui per aliquot annos apud Regem Chriſtianiſs. Ablegati Magni D. Etr. munere functus eſt, & plurium eruditorum Virorum amicitiam ſibi conciliavit.

edi coeptus eſt; finem Operi ſe iam impoſituros *Elzevirii* minantur, quaquam mutilo, & imperfecto. Pariſiis Poema Heroicum editur typis ſplendidiſsimis in fol. laudibus Reginae deſtinatum, cui *Alarico* nomen: Auctor *Scuderius* ſcriptis vernaculo ſermone in lucem datis clarus.

Colliguntnr quoque Regis Chriſtianiſs. iuſſu omnia Gallorum Carmina, aliaque ſcripta honori Reginae noſtrae dedicata, pari typorum ſplendore mox edenda. Vale, mi *Date*, & feſtinationi agnoſce. Amicos omnes iubeo ſalvere; iubet & *Langermannus* (1). Upſaliae XVIII. April. ſtilo Gregor. MDCLIV.

Quos de Te mecum ſermones habuiſset Regina, iam ante menſes ſignificavi ſex, quas literas in via periiſse exiſtimo. Ultimas meas Venetiis accepiſse Te oportuit.

EPISTOLA II.

AD penultimas Tuas die Februarii XVI. exaratas reſponſum iampridem dedi, Amicorum decus. Multo poſt tempore haeſi anxius de Tua valetudine, quem ego metum ex diuturno Tuo ſilentio conceperam: donec tandem diebus proxime elapſis faſciculus ad me perfertur, in quo Tuae comparuerunt Literae, praeter geminas Ducis *Salviati*, alteras mihi inſcriptas, alteras Reginae

 tra-

1 *Lucas* (ni fallor) *Langermannus Laurentii* fil. de quo pluries mentionem facit *Heinſius* in Epiſtolis a *Burmanno* editis T. 3.

tradendas. Sub idem tempus Sereniſs. Principis *Leopoldi* (1) Epiſtola mihi traditur, quae inter Reginae ſchedas aliquandiu deperdita latuerat. Rem totam in iis, quas ad illum ſcriptas hic vides narravi copioſe, ne procraſtinatae reſponſioni ſuccenſeat. Habes & ad Ducem *Salviatum* reſponſorias. Scribendi ad Te impetum ſufflaminavi aliquandiu, ac cohibui, quod eventum operirer Regii propoſiti de privata vita inſtituenda. Ante triduum voti Illa ardentiſſimi compos facta eſt, tradito ſucceſsori imperio. Poſtera veſpera Holmiam abiit, inde in Pomeraniam profectura, ut Spadanum iter abſolvat, ac fortaſsis pergat ulterius. Perrecturam enim ultra conſtans eſt ſuſpicio, etſi eas de ſe cogitationes emoliri nitatur Ipſa ex omnium animis. Vt ſe comitarer iubebat non ſemel, ſed cum familiae noſtrae negotia haerere hic pergant, nec conficiantur, demandatam provinciam ut ſuſciperem, e re mea nequaquam videbatur. Secuturum tamen me ſum pollicitus, ubi ſupremam rebus noſtris manum Proceres impoſuiſſent; quod ante exactam aeſtatem vix fiet, cum in negotiis longe maioris momenti Senatus occupetur, ac aliquandiu ſit occupandus. Spem diſcedens nobis fecit, nihil in poſterum prius ſibi fore eruditionis fovendae ac promovendae cura: quas illa curas intermiſit toto illo, quo hic vixi poſt iter Itali-

1 *Leopoldus Medices* Etr. Princeps & S. R. E. Card. qui Atavorum Gloriae aemulus, exegit ſibi monumentum aere perennius, dum verae ſolidaeque Philoſophiae fundamenta auctoritate & ſedulitate ſua iecit.

licum, tempore, longe aliis diſtracta occupationibus: ut bene Tecum actum ſit, qui viae Te non commiſeris inopportuno tempore, quo Illam convenires. Poenituiſſet enim laboris irriti, & exigua admodum cum voluptate coniunctum fuiſſet iter. Rex ſucceſſor etſi literis non multum ſit excultus, eſt tamen regalibus excelſi animi ornamentis tam probe inſtructus, ut hac laude Regum nemini concedat. Comes *Banerius* ſcripturum ſe Tibi eſt pollicitus non ſemel, nec ſcribit tamen. In Italiam reditum minatur, ſub Venetis militaturus. Hoc ſi fit, Tui conveniendi occaſionem tam opportunam non negliget: Eſt enim Tibi devotiſsimus, ut & *Strauchius* (1), qui ex febri continua graviſſime nunc aegrotat. *Langermannum* Tuo ſalutavi nomine. Is Holmiam profectus eſt, ut Reginae valedicat; ſequi enim Illam recuſat, niſi ego adſim, quod fieri necdum poteſt ob cauſas, quas iam indicavi: quare opinor fore, ut poſt paucos dies Hamburgum in patriam revertatur. De iis, quae hic geſta ſunt cum copioſe ſcripſerim ad Ill. *Puteanum* (2) etſi feſtinanter, mit-

1 *Io: Strauchius* quem Iuriſconſultorum Germaniae Principem appellat *Io: Georg. Graevius* in Epiſt. ad *Heinſium* data inter *Burmannianas* T. 4. 210.

2 *Caſſianus a Puteo* Equeſtris Militiae D. Steph. Commendatarius, Vir eruditiſsimus, cognomento *Italiae Peireſkius*. Eius Elogium elegantiſ. conſcripſit *Carolus Datus*, Typiſque evulgavit Florentiae an. 1664 in 4 Nos quoque alibi quaedam ſummi Viri merita latius proſequemur.

to tamen apertas literas, ne recoctam crambem Tibi cogar apponere, quod per temporis anguſtias vix licet. Tuas ut Viennenſi via mittas in poſterum conſultum n n videtur: cum Legatus Svecicus ex illa u be huc ſit revocatus. *Poematum* meorum (1) exemplaria ut ad vos mittantur, *Voſſio* (2) in mandatis dabo: eſt enim is nunc Amſteledami, niſi ad Reginam ſeſe conferat, antequam meis literis de hoc negotio poſſit moneri; ita enim Reginam eſt pollicitus, hic diſcedens. In Elegia, quam *Manes Trompianos* inſcripſi, *Heinſii* nullius mentionem feci, ſed *Petri Heinii* fortiſs. Ducis, qui Claſsem Hiſpanorum Indico auro & argento onuſtam A. C MDCXXVIII. expugnavit, & in Bataviam perduxit; ac ſequenti anno contra Dunckerkanos fortiſſime dimicans tormento maiori ictus occubuit in complexu *Trompii*, qui moribundum tanta arte abſtulit e conſpectu militum, & in remotiori navis parte mortuum abſcondidit, ut extinctum ſocii navales ignorarent, niſi poſt partam victoriam; cum iden-

1 Secundam tantummodo editionem horum Poematum vidi, quae hunc titulum praeſefert *Nicolai Heinſii Danielis filii Poematum nova editio, & Adoptivorum Carminum Libri duo, quorum alter Exterorum Muſas, alter Belgarum complectitur. Io: Rutgerſii Poſthuma. Amſtelod.* 1668. *in* 8. In his plura ſunt *Dato* inſcripta.

2 *Iſaacus Voſſius* Reginae *Chriſtinae* a Bibliothecis. Plures eius ad *Heinſium* Epiſtolas vide in collectione *Burmanniana* T. 3. Huius Elogium attexuit *Foppens Biblioth. Belgicae* P. 2. 777.

identidem Imperatoris mandata tamquam viventis ad milites perferret, inſigni ſtratagemate, ac gravi quidem vulnere adfectum, ſed non lethali mentiretur. Quod exemplum ſi in ipſo *Trompio* imitati eſſent, quorum hae erant partes, dubium non eſt, quin plenam Anglis victoriam extorſiſſemus. Sed inconſulte per claſſem nuncius increbuit, & rumor de Imperatore mo tuo. *Heemſkerkius*, cuius in eadem Elegia memini, A. MDCIX. claſſem Hiſpanorum validiſſimam in ipſo Gadium portu adortus eſt, & oppreſsit: unde tanta hoſtium animos conſternatio invaſit, cum viderent ne in ſuo quidem littore ſe tutos eſſe, ut Legatos mox miſerint in Bataviam de induciis nobiſcum acturos, quae duodecennales ſunt ſecutae paullo poſt.

Habes hic verſus quos nuper luſi, quos ut cum *Puteano* noſtro communices rogo, ſi tanti videbuntur. Academicos omnes iubeo ſalvere. Vale, mi *Date*. Dabam Vpſaliae MDCLIV. XIX. Iunii. Verſus Tui in Turcam a cane rabido morſum miris modis me adfecerunt: mittam illos ad Reginam proxime.

SERENISS. PRINCEPS CAROLVS GVSTAVVS SCEPTRO SVECICO DONATVS A CHRISTINA AVGVSTA, MAIORI MERITORVM, QVAM COGNATIONIS IVRE.

Sceptra triumphati fatalia cornibus Iſtri
Sarmatico toties tincta cruore prius,
Invictis geſtamen Avis, cape praemia, Princeps
Inclyte, Virtuti iure dicanda Tuae.

Nil

Nil Genitore minor Guſtavi filia Magni
Haec dedit, haec voluit muneris eſſe ſui.
Sceptra quidem per ſe nuſquam ſpernenda, quibuſque
Donatrix pretium non leve tanta facit;
Maxima ſed laus eſt, ſed laude ſuperbior omni,
(Si cui danda forent) danda fuiſſe Tibi.
Dona ſubire manus exoratura rogandas;
Blanda recuſantes dona ſubire manus.
Teutonici memoranda ſoli Chriſtina tropaeis
Munus ad Haeredem vos iubet ire ſuum.
Expugnet Diadema Ducem ſubire coactum:
Flecte reluctantem, ſponte petendus honor.
Amolita decus regale virentibus annis,
Laſſaque fortunae ferre faventis onus,
Et ſceptrum meditata ſui Chriſtina regendi,
Iura negat Populis, ut ſibi iura paret.
Crudelis nimium ſapientia, ni foret orbo
Regibus imperio qui bene ferret opem.
Nec conſanguineus partem favor occupat illam
Hinc ſibi: Laus meriti, Rex, ea tota Tui eſt.
Cedite iura procul naturae, cedite Leges.
Regia, Rex eſto, qui gerit acta, meus.
Frenando par nullus erat Tibi, Carole, ſceptro:
Gloria natales praeterit iſta Tuos.
Teſtis Hyperboreo ſpolium Germania Marti,
Et quae Danubius Te duce bella gemit.
Crede mihi; virtus eſt proxima Regibus haeres:
Libera cognati ſanguinis illa iugo eſt.

PAR-

PARTICVLA EPISTOLAE

NICOLAI HEINSII

AD VIRVM ERVDITISS.

CASSIANVM PVTEVM

D. Vpſaliae die XIX. Iunii MDCLIX. St. Gregor.

EQueſtribus exercitiis, aliisque oble-ctamentis cum per dies proximos prae-luſum eſset Regiae inaugurationi, dies demum decimus ſextus menſis huius calculo Gregoriano. poſtremum vidit actum Tragoediae. Maluiſset trahi ſolemnia in Menſem alterumque *Princeps Palatinus*, dum veſtes aliaque ad ſpectaculum hoc neceſsaria pararentur, ſed moram omnem *Regina* averſata cogitationes iſtas abdicato Regno praevenit. Tribus circiter ante meridiem horis proceſsit Regina e cubiculo ſuo in ampliſsimam Palatii porticum, quam Ordo Equeſter univerſus, & Regni Senatus comitabantur. Ipſa Regiis inſignibus, ac Toga purpurea induta, quam acu interſperſae paſsim Coronae aureae ornabant, ut Lilia in Galliis veſtem Regiam, plurimum decoris praeſeferebat. Iam antea porticum hanc occupaverant tres Regni Ordines, delegati videlicet ex Eccleſiaſticis, Civibus, ac Ruſticis, pluri-mique alii ſpectatores utriuſque ſexus. In editiore porticus parte ſolium argenteum elegantiſsimi operis collocatum erat, quod

cum

cum inſediſset *Regina*, *Sebernigius Roſenhanius* Regni Senator, qui Legatus olim fuit in Gallia, praelegit Populo Donationis Regiae Litteras, quibus Regnum cedebat Succeſsori: his mox *Principi* per *Reginam* oblatis, idem *Roſenhanius* ipſius quoque *Principis* recitavit palam Diploma, quo tres Inſulas Oelundram, Gothlandiam, Oeuſeliam, nec contemnendos, ex variis in Pomerania agris proventus annuos *Reginae* addicebat, praeter alias donationes, quibus recenſendis ſuperſedebo. Creduntur autem excedere pretium annuum ducentorum mill. aureorum, aut ſcutator. Monetae Romanae. Has cum accepiſset Litteras *Regina* ſurrexit ex ſolio, ac demptam capiti Coronam Summo Regni Praetori ac Senatus Principi Comiti *Petro Brahe* tradidit; reliqua quatuor inſignia, ſceptrum, gladium, orbem, ſeu pomum aureum, & clavem, quatuor primi ordinis Proceribus obtulit. Sunt autem illi Comes *Guſtavus*, *Hornius* Supremus Militiae Praefectus, Comes *Gabriel Oxenſtierna* Regni Thalaſſiarcha, Comes *Axelius Oxenſtierna* Regni Cancellarius, & Comes *Gabriel de la Gardie* Praefectus Aerario, ſed abſentibus *Guſtavo Hornio*, & *Magno Gabrieli*, altero ab Aula, ut ſcis, relegato, altero praefecturam Livoniae Provinciae obtinente, duo alii ex Procerum numero eorum vices ſupplebant. Toga Regalis reſtabat exuenda, quo in officio cunctantibus illis, quorum hae erant partes, Ipſa officium funeſtum non occupavit tantum, ſed inter exuendum iocata quoque eſt, ac riſit ubertim, cum ex tanto circumſtantium

nu-

numero pauci lacrimas tenerent. Toga depoſita albis amicta veſtibus apparuit. Mox ad Proceres, ac caeteros converſa ſpectatores, per quartam fere partem horae magna animi praeſentia, & alta voce, ut poſſet ab omnibus intelligi, peroravit. Cum reſpondiſset, quae videbantur reſpondenda *Roſenbanius*, nam is Cancellarii vices gerebat (quod Vir ille maximus ſenio iam fractus vocem cum valetudine experiatur minus firmam) cum inquam *Roſenbanius* nonnulla repoſuiſset, compellare Illa coepit *Principem* luculenta oratione, ac multis admonuit, Matremque, & Amicos cum clientibus commendavit illius curae. Hinc relicta porticu in cubiculum unde prius digreſſa erat ſe recepit, *Principe*, Senatu, ac Equeſtri Ordine ſequentibus. Duabus horis poſt deductus in Eccleſiam *Princeps*, habita prius concione, ab Archiep. Upſalienſi unctus, ac Regiis ornamentis donatus eſt. Dum haec gererentur, extra Urbem *Regina* in nemus proximum ſe contulit, atque illic cum *Cornificio Vlefoldio*, quem ex Dania profugum noſti, eiuſque Uxore Magni animi foemina *Chriſtiani IV.* filia notha coenavit, ut occurſum *Regis* vitaret, cuius ſummam erga ſe comitatem habebat exploratam. Poſtero die sacramentum *Regi* eſt praeſtitum a quatuor Regni Ordinibus: hinc coena exceptam Reginam, ac mox equo conſcenſo abeuntem, nocte tota eſt comitatus per aliquot milliaria, ac proximo mane in hanc Civitatem rediit. Haeret nunc *Regina* in arce quadam Holmiae Civitati vicina: unde di-

diſceſſura cras dicitur. Magno peregrinandi deſiderio cum flagrarit ſemper, facile perſuadeor, ut credam, poſt aditos Spadanos fontes ulterius perrecturam; etſi hoc nolit ipſa credi. Nummi Regiae inaugurationis ſolemnibus ſunt ſparſi, cum *Regis* imagine ab una parte, & hac Inſcriptione CAROLVS GVSTAVVS REX: ab altera parte Corona eſt expreſsa, cum hiſce verbis A DEO ET CHRISTINA. *Regina* quoque nummos curavit cudendos cum imagine ſua: ab altera parte Corona apparet, cui ſubſcripta haec verba ET SINE TE. Habes tumultuariam rerum geſtarum Hiſtoriam; Nam ut accurate omnia chartae committerem, per temporis anguſtias non licuit, &c.

EPISTOLA III.

DE delato mihi Reſidentis in hac Aula munere a Foederatis Belgis, iam bis, mi *Date*, certiorem Te feci. Poſtea perlatae ſunt huc Tuae, quas Kalendis Decembribus exaratas, ex Batavia ad me miſsae, in quibus curandis cum tardior ſit nonnumquam *Elzevirius*, auctor Tibi ſum, ut Amſtelodamum illas Mantuana in poſterum via cures, Equiti *Theodoro Strycker* inſcriptas, qui ex illa civitate literas ad me omnes tam publicas quam privatas perferendas in ſe recepit; nec ad me tantum, ſed alios quoque Reip. noſtrae Miniſtros, qui foris degunt, idque ipſius Reip. auctori-

ritate atque iuſsis permotus. Brevior eſt omnino Hamburgenſis per Germaniam via; ſed cum Parenti (1) fatalis imminere hora nuncietur, qui per ſex iam hebdomadas lecto aſsiduus adfigitur ſine ſpe valetudinis recuperandae, quod vires diuturno morbo ſint exhauſtae, eo e viris ſublato mihi erit excurrendum in Patriam, ut rei familiari conſulam, atque ea, ſi poſsim, occaſione provinciam arduam & moleſtam, quam ſuſcepi, a me amoliar, mihi ac amicis, quod vitae reliquum eſt, victurus.

Dux Mecklenburgicus Reginae noſtrae nuper nuptae ſororem duxit, Ducis Holſati filiam. *Epithalamium* dedi iſtis nuptiis, etſi curis gravioribus immane quantum diſtrictus: verſus ſunt trecenti circiter.

Auguſta praeter *Voſſium* & *Dufreſnium* (2), Literatos penes ſe aut paucos nunc habet aut neminem: cum ſtudiis tamen in gratiam redit paulatim. De literis ad Sereniſs. *Leopoldum* dandis ut aurem illi vellat *Voſſium* iam bis monui: Neſcio enim quomodo in hiſce officiis ſegnior ſolito eſt facta, & ſui ipſius facile obliviſcitur, niſi ſit qui hortetur & inſtiget ceſsantem. Quem ſucceſsum meae

1 *Daniel Heinſius*, *Nicolai* fil. variis operibus editis illuſtris obiit die 25. Februar. 1655 aet. an. 74. Eius Elogium vide apud *Foppens Bibliothecae Belg.* Part. I. 226.

2 *Raphael Du-Freſne* Vir doctiſs. Reginae *Chriſtinae* percarus. De eo pluries mentionem facit *Iſaacus Voſſius* in Epiſtolis ad *Heinſium* T. 3. *Collect. Burman.* nos quoque eius Epiſtolas aliquot edemus.

meae ſint habiturae adıronitiones, mox videbimus. Partes Hiſpanicas iam palam eſt amplexa, Gallicas averſatur; quo magis gaudeo eius clientelae me ſubductum. Egi apud Te iam non ſemel liberius, de hiſce rebus, quam par erat: nec ignoſcerem hanc mihi confidentiam, niſi de fide Tua eſsem certus, ac exploratum haberem, nullis auribus iſta tutius poſſe committi. De itinere Italico quid futurum ſit haud ſcio. Amicis in eius Aula viventibus ſi eſt credendum, aeſtatem proximam apud Spadanos fontes in Agro Leodienſi exiget. Illuc certe evocavit *Flemmingium* Regni huius Senatorem, cui Agros ſuos in Pomerania atque Svecia adminiſtrandos credidit: Mihique ſignificari curavit, illi coram ſe mandaturam, ut quinque ſcutatorum ſeu aureorum millia, quae mihi etiamnum debentur, perſolvat, quando ſe comitari ſim gravatus. Autumno fortaſſe iter auſpicabitur Italicum: rem totam ut tempeſtive ſcias mihi erit curae. Gentem ſuam nec amat ipſa, nec ab ea multum amatur: Duo aut tres Sveci, qui in comitatu eius erant reliqui, mox huc allegabuntur. Rex tamen, qua eſt prudentia, eius exiſtimationem auctoritate ſua tuetur conſtantiſſime, nec quicquam fert iniquius, quam ſi quis de Illa minus honeſte aut ſentiat aut loquatur. Bibliothecam penes ſe habet, & Theſauros omnes; quamquam opinor libros meliores direptos eſse. Gallus quidam certe, cui tam Bibliothecam, quam reliqua Cimelia crediderat, furti convictus eſse dicitur, quod inter eius ſarcinas multa magni pre-

tii ſint inventa, quae ad Reginam pertinuiſse conſtet: Ipſa tamen clementer aut ignovit illi, aut ignoviſse ſe ſimulat. Sed hanc litem meam non facio.

De Libris in Italia editis, quae nuncias longe fuerunt gratiſsima, *Galilaei Opera* videre cuperem, niſi praeſagirem fore, ut fide mala edantur, & experiantur interpolatrices Cenſorum manus. Apud nos altum eſt ſilentium. *Gronovius* tamen *de Seſtertiis Commentarium* triplo quam ante auctiorem dat luci. *Livius* eius iam prodiit, ſed ſine notis: quod ſordidiſsimae typographorum avaritiae imputandum. Leidae etiam mox eſt proditurus *Homerus* typis elegantibus: accedunt *Didymi & aliorum ſcholia*. *Poematum meorum* exemplaria parari xxx. curavi, quae ad amicos Italos mittantur; idque negotium *Goeſio* (1) fervide commendavi; ſed is Amſtelodamo abeſt frequentiſsimus, tum propter adverſam Parentis mei valetudinem, tum quod Hagae ſedem cogatur poſthac figere, ut nova dignitate fungatur, quam ſibi demandatam a Rep. eſt amplexus. Vale, mi *Date*, & amicos omnes communes meis quaeſo verbis officioſiſſime ſaluta. Dabam Holmiae An. MDCLV. a. d. xx. Febr. Gregor.

1 *VVilhelmus Goeſius* Batavus, de quo vide *Graevii*, & *Carpzovii* Epiſt. ad *Heinſium*. Tom. 3. & 4. *Collect. Burman.* Huius quoque Epiſtolas aliquot edemus.

EPISTOLA IV.

MIrabar iampridem diuturnum iſtud ſilentium tuum, amicorum flos illibate: quas enim poſtremas a Te acceperam kal. Decemb. erant exaratae. Nunc vero geminas tuas ex Batavia nanciſcor die xv. & xxiii. Febr. menſis ſcriptas, & quidem ambas longe iucundiſſimas: Nam aliarum, quibus *Freſcobaldi* (1) noſtri mortem Te nunciaſſe ais, nullum hactenus vidi veſtigium; nec Virum illum praeclarum nobis ereptum ſcirem, niſi nunc nunciares, quo caſu vix credas quantopere ſim commotus. Erat enim Vir ad omnem probitatem comitatemque factus, & cui privatim multa debebam. *Langermannus* quoque noſter auribus invitis hunc tam funeſtum nuncium excipiet. Is Hamburgi etiamnum haeret foro litibuſque intentus. De ipſa *Freſcobaldi* morte plura & certiora doceri opto, quando Tuae illae ad me perlatae non ſunt. Amicum illum Tuum Venetum, quicumque tandem eſt, per quem curaras literas, oportet parum fuiſſe diligentem. Amſtelodamum Tuas ut in poſterum curares, Equiti *Theodoro Strycker* inſcriptas, iam bis rogavi;

1 *Freſcobaldus* Patric. Flor. cuius mortem deplorat *Heinſius*, generis nobilitati inſignem doctrinam coniunxerat, proindeque non a civibus tantum, ſed ab eruditioribus quoque exteris amari meruit. *Io. Miltonus* eius amicitiam ſancte coluit. V. *Rolli Vita di Gio. Milton*.

vi: poſt menſes enim duos, aut ad ſummum tres, in patriam cogito; quam neceſſitatem mors paterna mihi impoſuit. An huc ſim rediturus deinceps, neſcio; nolim quidem, ſi per me ſtet reditus, nec a publica pendeat Senatus noſtri auctoritate.

Voſſium bis terve iam rogavi, ut *Auguſtam* de ſcribendis ad Sereniſs. *Leopoldum* literis officii admoneret. Is cum Reginae ipſi non adſit, ſed Antuerpiae Biblioth. Regiam in ordinem redigat (1) ex illa urbe reſpondet, ſe literas meas, quibus hoc rogabam, ad ipſam Reginam miſiſſe. Munus Italicorum carminum quin longe illi gratiſſimum fuerit, dubitare noli. Solum negligentiae, & procraſtinationis crimen eſt, quod hactenus nihil reſponderit; quam nec defendo nec excuſo. Ipſe *Voſſius* miſſionem a Domina videtur quoque flagitare: quis enim noſtras & liber velit ſervire in Aula, in qua Hiſpani regnent atque imperent? Regina Mater die menſis praeteriti XXVIII. e vivis eſt ſublata. Vulnus illi inconſolabile inflictum erat ex diſceſsu filiae. Ipſa *Auguſta* ſub autumnum ad vos cogitare dicitur; nam aeſtatem Spadae ab Illa fore exigendam rumor eſt. Fratrem Regis placuiſse vobis gaudeo;

O 2 Rex

1 In alia Epiſt. d. Holmiae 1655. a. d. 6. Maii Gregor. ſubdit. *A Voſſio nihil habui reſponſionis ſuper ſcribendis a Regina ad Sereniſs. Leopoldum literis, niſi quod Tecum communicabam mea ultima. Ipſe Antuerpiae aetatem agit, ac totus illic occupatur in digerenda Biblioth. Regia, cum Dominam Bruxellis vivere haud ignores.*

Rex ipſe placeret longe magis, ſi haberetis notas eius virtutes. Carmina Etruſca, quibus eius in Vrbem veſtram adventum veneratus es, ſunt Te digna, nec quicquam poteſt addi ad ſummam illorum elegantiam.

Roberti Titii Locos Controverſos quod edi apud Lugdunenſes narras, acceptiſſimus eſt mihi nuncius. Ego quod reponere poſſim nihil habeo in promptu. Sveci ad antiquam bellandi gloriam rurſus videntur aſpirare. Ingens certe militum delectus hic habetur. Conſtans eſt opinio in Polonos tempeſtatem hanc erupturam: Nec longe ſunt quaerendae armorum cauſae. Amicis omnibus me commenda. Sereniſs. *Leopoldo* operam meam & obſequia offerrem, niſi eſsem in procinctu: faciam tamen ſi mihi huc ſit redeundum. Vale. Dabam Holmiae A. C. MDCLV. a. d. XI. April.

EPISTOLA V.

MAle ſit, Venetis iis, qui literas mihi inviderunt, Vir Amiciſſime. Fugitivas ac latitantes utinam eruas e tenebris! Sin minus, cave Tibi in poſterum ab illis ſcopulis: nam totis quatuor aut quinque menſibus vix unam a Te accepi epiſtolam. Quare veniam dabis ſi laconice nunc Tecum agam; nihil enim quod ſcriberem ſuccurrebat. Quas Ill. *Puteanus* ad me frequentes ſolet dare, eae feliciori longe quam Tuae fato utuntur. De meo in Bataviam excurſu certi nihil adfirmare poſſum. Excurſurum tamen me iſthuc hac

hac aeſtate prorſus confido; ſic enim res familiaris poſtulat; & opinor impetrari a Patribus noſtris poſſe, cum Rex in Germaniam belli cauſa cogitet, ut abeſſe hinc ad tempus ſine detrimento Reip. quodammodo poſſim. *Voſſius* in Batavia noſtra eſt: atque illic Bibliothecae ſuae in ordinem redigendae incumbit, quam inſtructiſſimam poſſidet. Reginae tamen clientelam ſuam denuo addixit: cuius iter Italicum refrixit, nec ſatis ſcio qua de cauſa. Amicos omnes iubeo ſalvere, atque inter illos Ill. *Carolum Strozzam*, a quo pete quaeſo, ut ſi quos in Ovidianos Codices venales incidat, de iis faciat Te certiorem, ut redimi pro me poſſint, cuiuſcumque ſint notae. Maius beneficium a Te non poſſum expectare: quicquid enim temporis a publicis occupationibus habebo vacuum, id praeſtantiſſimo Auctori illuſtrando dabitur. Vale, Iucundiſs. *Date*. Holmiae MDCLV. a. d. VI. Iunii Gregor.

EPISTOLA VI.

SCribebam non ita nuper Tibi ſimul, mi *Date*, & Comiti *Ferdinando*, easque literas ad *Caſſianum* Heroem Romam mittebam. Poſtea geminas a Te accepi, alteras die XV. menſis Maii exaratas, alteras eodem Iunii die, utraſque longe iucundiſſimas. Quod ſperare iubes Epicedia a veſtratibus ingeniis Parentis mei τοῦ μακαρίτου exequiis dedicanda, laetor & gaudeo, ut qui maxime. Erunt illa ſolatia mei doloris efficaciſsima. Epita-

phium *Margaretae Cepperellae* manibus ab *Andrea Cavalcante* V. C. datum, meras veneres gratiaſque, atque adeo ipſam *Margaretam* undiquaque ſpirat. Nihil hoc ingenii amoeniſſimi foetu fingi poterat elegantius venuſtiuſque. Literis *Mariae Clementis Rotae* nonnihil, ut vides, repoſui. De profectione *Auguſtae* noſtrae Italica ſollicite me illa conſulit: Ego autem praeter id quod proxime nunciabam Tibi, certi nunciare poſſum nihil. Sed cum Rex iam hinc cum claſſe atque exercitu ſolverit, Polonos in Boruſsia hoſtiliter adgreſſurus, ego quoque in eo ſum, ut ad meos revertar. Iuſsit quidem Celſiſs. Foederatorum Belgarum Senatus, ut Regem in caſtris ſequar; ſed multis rationibus evincere ſum conatus, hanc Legationem ipſi Reip. nequaquam expedire: Ad quas literas reſponſum Senatus expectabo aut Lubecae aut Hamburgi, ut & Regem e vicinia comitari poſsim, ſi Senatus perſtet in propoſito, & in patriam confeſtim advolare detur, ſi meis deſideriis ſit locus. Vicerint tamen, ut confido, preces aequiſsimae cum publica coniunctae utilitate. Quicquid ſit, cras, aut perendie in navem me cum impedimentis coniiciam, ſi ventus favere pergat: Latrociniis enim adeo infeſti, atque obnoxii limites ſunt nunc Svecici, ut terra iter moliri minime videatur tutum. Ex patria proxime me ſcripturum ſpero, & quidem paulo copioſius. Nunc enim in procinctu ſum, & crebris amicorum compellationibus obtundor.

Scribonium Rhodii (1), quod narras prodiiſse

1 *Scribonii Largi Compoſitiones Medicae. Io. Rho-*

ſiiſſe in lucem, bene omnino habet. Solebat amicus ille noſter identidem per literas me convenire ultro; nunc ultro identidem conventus tacet. De Libris per Italiam conquirendis ut moleſtus ſim Tibi, minime duco neceſsarium. *Voſſii* enim noſtri ad vos cogitantis opera poſsum uti. In *Ovidio* nihil mutandum recte obſervas. *Cous* enim *Apelles* a *Tibullo* aut *Martiali*, ſi probe memini, appellatur quoque, ſed in antiquis Codicibus nonnullis pro *pinxiſſet* legi *poſuiſſet*, idque rectius, & ego deprehendi, & ante me *Salmaſius* ad *Solinum*, aut *Hiſtoriam Auguſtam* monuit. Noſti Horatiana illa *Audax nunc Hominem ponere, nunc Deum*, pro *pingere*. Sic & alii ex antiquis locuti. Plura proferre ad rem in medium poſsem, ſi libri eſsent ad manum. Vale, Decus noſtrum & Literarum. Amicos omnes iubeo ſalvere. (1) *Strozzas Fratres, Cavalcantem*, Comitem *Ferdinandum, Guidacium*,

O 4

dius recenſuit, notis illuſtravit, Lexicon Scribonianum adiecit. Patavii 1655. *in* 4.

1 Amicos praecipuos quos Florentiae ſibi conciliaverat, recenſet *Heinſius*, alibi *Academicos* vocat, quod nempe in Aedibus *Iacobi Gaddii* convenire ſoliti eſſent, & de variis ad eruditionem ſpectantibus rebus diſſerere. Homiletice huic Eruditae non parum favebat inſignis Bibliotheca, & inſtructiſſimum Muſeum, quibus aedes ſuas, immo Vrbem Florentiam ornavit *Nicolaus Gaddius* Eques Ampliſs. de quo nobis longior erit ſermo in Diſſertatione quadam *De Rei Herbariae Incrementis in Etruria ſuſceptis*. Coeterum *Gaddianam Academiam* magni ſemper fecit *Io. Miltonus* ce-

cium, *Marucellium*, *Chimentellium*, *Cheſſinum*, *Cultellinum*, *Erminium*, coeteros mei ſtudioſos. Dabam Holmiae MDCLV. a. d. XXIII. Iulii Gregor.

EPISTOLA VII.

PUdet pigetque, mi *Date*, tanto iam tempore ceſsare inter nos commercia literaria. Ego certe, quanquam valetudinarius, & morbo annum iam totum obnoxius, ſcripſi ſubinde: ſed ſuſpicor literas parum fideliter curatas eſse, idemque Tuis eveniſſe epiſtolis fatum, ut credam facile perſuadeor.

lebertimus Poeta Anglus. V. eius vitam a *Paulo Rollio* conſcriptam. Academici praecipui fuerunt, praeter *Carolum Strozam*, *Andream Cavalcantium*, Comitem *Ferdin. del Maeſtro*, *Freſcobaldum*, *Io Phil. Marucellium* ſuperius memoratos, *Nicolaus Strozza* Canon. Flor. Ludovici XIV. Galliarum Regis Eleemoſinarius, *Io. Guidaccius* D. Steph. Eques Florent Metropolit. Eccleſ. Canonicus, de quo v. *Notizie dell' Accad. Fior.* 329. *Valerius Chimentellius* Literarum Humanior & Politices in Piſ. Lyceo Prof. Pub. de quo v. *Negri Iſt. degli Scritt. Fior.* 517. *Franc. M. Ceſſinius* D. Steph. Eq et Iuris Civilis in Piſano Lyceo Prof. V. *Notizie dell' Accad. Fior* 361. *Auguſtinus Coltellinius* I. C et Philologicae Apatiſtarum Academiae fundator. v. *Salvini Faſti Conſolari ec.* 633. *Franc. Erminius* Vir doctiſs. de quo v. *Negri ibid.* 415. Nobis autem de iis fuſius agendi dabitur locus, cum ipſorum Epiſtolas edemus.

deor. Iamdiu eſt quod vitam deſultoriam & revera Scythicam ago, ſedem que in plauſtris atque equis errabundam figo. Nunc certam tandem ſtationem nactus, operam ſtudiaque Reipubl. Amſtelodamenſi addixi, cum Conſules ampliſsimae Civitatis a me contenderent, ut ſibi ab epiſtolis ac ſecretis eſsem in poſterum. Non dubitavi igitur Legationem Svecicam miſsam facere, ad quam adſpirare ſine metu repulſae licebit ſemper. Nam neque vires infirmas inclementiae Arctoi coeli ferendae ſatis reſpondere agnoſcebam, & ſoli paterni deſiderium ſenſim obrepebat inter aſsiduas diſcurſationes. Oblatam praeterea conditionem ſentiebam, quae etſi ſplendoris minus praeſeferret Legatione Svecica, vitae tamen tranquillae, cuius ſemper ſtudioſiſsimus fueram, magis me concialiaret, pluſque otii concederet ad Muſas fovendas, quam hactenus eſset conceſſum. Menſe proxime elapſo larem huc familiarem tranſtuli, cum bibliotheca. Cui inſtruendae primas occupationes dedi. Curiam itaque frequentare necdum coepi; ſed incipiam poſt paucos dies. Te uxori ducendae applicuiſse animum, cum ex *Alexandro Moro* (1), tum ex Tuis literis nuper ad me perlatis, magna cum voluptate intellexi, e-

rit-

1 *Alexander Morus* Scoti cuiusdam fil. ſed in Gallia natus, Verbi Dei Miniſter, ut Reformati aiunt, Vir literaturae laude inſignis, et qui in ſua Italica peregrinatione *Caroli Dati*, et *Francisci Redii* amicitiam potiſſimum ſibi conciliaverat. V. *Paolo Rolli Vita di Gio. Milton*.

ritque id facinus mihi pro exemplo magnae auctoritatis, ſi eodem fortaſsis adſpirem. Spero interim, atque auguror haſce illecebras nihil obſtituras, quominus rem literariam augeas pro viribus, atque exornes. Quod feliciter profecto, laudabiliterque imprimis praeſtitiſti hactenus.

Libris conquirendis ſi etiamnum vacas, fore confido, ut operam hic meam non omnino inutilem experiaris. Fac tantum ex Te intelligam, quos codices potiſsimum deſideres. Id cum fruſtra ſaepenumero ut ſignificares poſtularim, tandem impetraturum me nondum deſpero. Ex iis, quorum apud Te nonnunquam memini, tandem *Patricii novam Philoſophiam* ſum nactus, & *Papiae vocabularium*. Eiuſdem *Patricii quoque de Re Militari Commentarium* maiorem, ſed mutilum. In ipſo enim operis principio hiatus, & lacuna eſt ad paginam uſque 43. ubi liber tertius incipit. Utinam tomum priorem ab altero divulſum aliquando venalem apud vos invenias, quo meum exemplar ex mutilo integrum reddatur. Nam hic terrarum id minime eſt ſperandum. *Diogenem Laertium Aldobrandini* intelligo hic extare apud hominem tenaciſsimum quidem, qui tamen aliis libris maioris pretii oblatis manum fortaſsis dabit. *Euſtathium* Romanae editionis fruſtra quaero. Quod ſi in urbe veſtra venalis inveniatur, optimam mei demerendi occaſionem nactum Te puta. Quamquam ea iampridem ſunt Tua in me merita, ut quid addi iis poſſit, quid accedere, vix videam. De pretio etiam ſecurum eſse Te iubeo. Quic-

quid

quid pro *Euſtathio* enim petetur, apud me paratum eſt, & ad Te confeſtim advolabit, ubi ſignificaris quanti proſtet. Nec detrectarim conditionem, ſi cum libris hic terrarum editis pretium permutatum velis. Valde enim inhio huic libro, ut quod res eſt fatear: cum pudeat hunc unum mihi deeſſe, ex iis, qui ſunt alicuius nominis. Exemplar paternum ſororis meae maritus eſt ſortitus, nec patitur e Bibliotheca ſua avelli. Baſileenſem quidem poſsideo editionem, ſed parvos ea mihi uſus praeſtat, quod abſint Indices, quibus Romana luculentiſsimis, ut noſti, eſt inſtructa. Adderem & nitorem a me requiri terſi ac mundi exemplaris, ni ſcirem libros tam raro obvios cum delectu haberi non poſſe. Libros minoris momenti ac rei nonnullos in Italia editos cuperem mihi emtos, quos naufragio maximam partem amiſi. Sed de iis verba non faciam, niſi Tu, quid viciſsim Tibi deſit, me docueris. *Voſſius* noſter valet & editionem *Pomponii Melae* meditatur. *Langermannus* uxorem nuper duxit in patria. *Gronovius* uxorem peſte ſublatam, & quatuor liberos cum hac aeſtate extuliſset, ipſe funeſtis aedibus relictis, Hamburgum ſe contulit, atque illic etiamnum moratur. *Commentarium* eius *de Seſtertiis* doctiſsimum ad Te mitterem, ni praeſagirem iam ad vos eſſe perlatum aliunde. *Scaligeri* aut *Caſauboni* ſcripta ſi qua deſideras, aut *Meurſii*, aut aliorum, minus apud vos protrita, noli me fraudare opportunitate captandae Tuae benevolentiae. *Meurſiana* nonnulla bis extant in mea Bibliotheca. *Scaligeri* etiam & *Caſauboni*, &

Lipſii

Lipſii quaedam. Alterutra exemplaria Tibi cedent ex geminatis, ſi velis. Quod Tibi dico, idem Comiti *Ferdinando*, & *Marucellio* viris longe praeſtantiſsimis, & *Cavalcanti*, & *Chimentellio*, & caeteris amicis dictum crede. Comes *Ferdinandus Catalecta Pithoei* deſiderabat olim, & *Fragmenta Veterum Hiſtoricorum* cum notis *Antonii Auguſtini*, & *Lucilium Douſae*, *Apuleium Vulcanii*, & alios, quos mittam brevi. Vale mi *Date*. Quas ad me voles in poſterum, recta huc mitte. Sed adeo ut *Ludovico*, aut *Danieli Elzeviriis* Librariis Amſtelodamenſibus earum curam commendes, ne aberrent. Sum enim parum ſic etiamnum notus. *Auguſtam* noſtram hic expectabamus, ſed non comparuit. Dolendum eſt tam praeclaras virtutes tam infeliciter degeneraſse. Vale iterum.

Literae Tuae, quae nuper mihi reddebantur, quo die, quove menſe eſsent exaratae non liquebat. Martio tamen menſe a Te fuiſse ſcriptas ex additis Illuſtriſs *Puteani* literis deprehendo. Miror, ubi tanto tempore latuerint. Rogo me doceas an Numiſmatum Mediceorum editio ſit ſperanda. De *Poematis* meis, quae iampridem ad vos perlata eſse oportuit, nihildum ſcio: non enim otium fuit conveniendi illius negotiatoris, qui faſciculi curam in ſe recepit. De quo proxime.

Amſtelodami MDCLVI. a. d. XIII. Octobr.

EPI-

EPISTOLA VIII.

Literarum Tuarum deſiderium impatienter iamdudum fero, & quidem magis quam perſuaderi Tibi poſsit, Vir Clariſsime. Sed neque de affectu erga me Tuo, quem infinitis argumentis habeo exploratum, ſequius quid propterea ſtatuendum cenſeo, cum in rebus uxoriis aſſiduum Te occupari ſit veriſimile. Neque ego ipſe eam iampridem ſedulitatem ac diligentiam adhibui in Te compellando, quam Tua in me merita requirebant. Quamquam pro iuſta & legitima, ni fallor, excuſatione mihi ſit adverſa valetudo, quae annum alterumque mira pertinacia me exercet. Eam quod Medicorum cura ſupervacua minus feliciter oppugnari animadvertam, tractus quoque Civitatis huius paludoſus ſit, ac coelo minus ſalubri obnoxius, de nova fortaſsis adornanda in Germaniam peregrinatione ſub adventum aeſtatis mihi erit cogitandum. Sed de re parum certa nihil adhuc temere adfirmem; quae proximae ſcriptioni verius argumentum dabit.

Poſtremis Tuis die ſeptimo Novembris menſis anno proxime praeterito exaratis, ſpem faciebas mox fore, ut indicem ad me mitteres eorum librorum, quos deſiderari in Tua Bibliotheca obſervaſses. Eum fruſtra hactenus expecto. Interim nonnullos ſepoſui, quos ſi iam poſsides, inter amicos nobis communes dividas licet. Addam & *Poematum* meorum exemplar, quando ea, quae mercatori

catori in hac urbe amico Liburnum mittenda commiſeram, ſupinitate nautae atque incuria perierunt. Certe quid iis factum ſit hactenus me fugit: nam is, cui faſciculus tradebatur, cum pererrato diu Mari Mediterraneo, Liburnum praeter ſpem non appelleret, alteri nautae eo contendenti libros commiſiſse ſe adfirmat. Negat praefracte id alter. Ego iacturam hanc iniquiſsime tuli; nam & alios, ſi probe recordor, libros addideram. Plures ex litteris Tuis in via intercidiſse indignor. Si ſcirem, cuius opera in iis curandis eſſes uſus, retrahi fortaſsis ex fuga, & latebris non magno negotio poſsent.

Res Literaria indignis modis apud nos friget. Prodiit non ita nuper *Boethius de Conſolatione Philoſophiae cum notis Renati Vallini* natione Galli. Lutetiae ultimus *Puteanorum* fratrum *Iacobus* e vivis exceſsit. *Gronovius* poſt quinque aut ſex menſium abſentiam, Hamburgo tandem ad nos reverſus eſt (1). Eius

1 *Io. Theod. Gronovius* ſenior, de quo *Heinſius* in alia Epiſt. ad *Datum* ſcripta d. 8. Sept. 1658. ait. *Gronovius noſter profitebitur Graecas in poſterum Literas Leidae, quo Daventria iam eſt evocatus, vicinior in poſterum nobis futurus. De Picbenae Livio quae nuncias, illi ut innoteſcant, operam dabo.* In alia vero data a. d. 25. Febr. 1672. *De Gronovii exceſſu nuntiabam nuper. Multum in illo capite amiſſum eſt eruditionis apud nos, nec leve detrimentum eruditionis nomen omne nudius quartus eſt paſſum abſumpta incendio Typographia Blaviana apud Amſteledamios*,

Eius doctiſsimum *de Re Pecuniaria veterum commentarium* vidiſse iam Te arbitror. *Voſſius* in Geldria Provincia hybernam tempeſtatem exegit: atque etiamnum abeſt: ubi redierit, *Pomponium Melam* nobis dabit. Sed quando Tu de *Pictoribus antiquis* lucubrationes Tuas 1) in lucem proferes? Quando politiſsimus *Chimentellius* (2) ea, quae molitur. Ne ſinite quaeſo obſoleſcere Gentis veſtrae laudem, quae in omni eruditione regnat hactenus. Principes veſtri ecquid cogitare pergunt de Numiſmatis ſuis edendis? Dignum id profecto opus eſt *Mediceo* nomine. Ad Illuſtriſsimum *Caſſianum* noſtrum ſcribam proxime. Diu eſt quod de Viro illo incomparabili nihil audio. Auguror tamen eum valere, & vivere. Monitus ſum ab amicis, Principem *Pamphilium* in eo eſse, ut ſtatuas antiquas omnes, quas poſsidet, & marmora aeri inciſa cum orbe literato communicet, ad exemplum Marchionis *Iuſtiniani*. Id verum ne ſit an falſum, Tu omnium optime me docebis. Habes hic a *Moro*. Illuſtriſs. Comi-

cum Tabulis Chorographicis quamplurimis, & Grotiano in Novum Teſtamentum Commentario.

1 Eruditiſſimam hanc elucubrationem *Carolus Datus* publici iuris fecit *Florentiae a.* 1667. hoc titulo. *Vite de' Pittori Antichi in* 4.

2 *Valerii Chimentellii marmor Piſanum de Honore Biſellii. Parergon de Veterum Sellis. Synopſis de Re Donatica antiquorum. Myiodia ſive de Muſcis Odoris Piſanis Epiſtola. Bononiae* 1666. *in* 4. Alia *Chimentellii opera* ἀνέκδοτα recenſebimus in Praef. ad eius Epiſtolas.

mitem *Ferdinandum del Maeſtro*, *Cavalcantem*, *Marucellium*, *Chimentellium*, [1] caeteros amicos iubeo ſalvere. Vale, decus noſtrum certiſſimum.

Dabam feſtinans Amſtelodami An. MDCLVII. a. d. XVI. Februarii.

EPISTOLA IX.

IMpatienter, mi *Date*, iamdudum fero hanc ſolitudinem, qui nec literas toto fere anno a Te acceperim, nec qua via compellandus ſis omnium tutiſsime, aut ubi aetatem agas, ſatis intelligam. Poſtremis meis literas *Alexandri Mori* addideram, quibus Vir ille Tui ſtudioſiſsimus peramanter Te compellat. Eas non fuiſse redditas facile eſt, ut habeam perſuaſum. Nam ex iis, quas ultimas a Te ſum nactus, nil tale colligo, quo liqueat faſciculum ad Te perveniſse, etſi amica *Mori* in iis mentio. Quando ille exaratae fuerint, ne iſtud quidem potui divinare, cum neque menſem, neque diem haberent adſcriptum. Nam quas addideras Illuſtriſs. *Caſſiani* literas, eae die ſecundo menſis Decembris anno proxime elapſo, fuere ſcriptae. Libellos nonnullos Tibi ſepoſui, quorum geminata poſsidebam exemplaria. Praemoneri tamen velim, quoſnam potiſsimum deſideres. Non enim ſit arduum votis

1 In alia Epiſt. data a. d. 18 Maii 1656. *Amicos, ait, omnes ſalvere iubeo, politiſſimum in primis Chimentellium, cui manes Parentis mei τοῦ μακαρίτου debent plurimum.*

votis tuis gratificari. *Petri Fittoni* [1] morte conſilium Sereniſſimorum Hetruriae Principum eſſe turbatum nonnihil de editione Veterum Numiſmatum, eſt mehercules dolendum. Quid ſi Tu Hercules huic Atlanti ſuccedas? Propoſitum certe tam laudabile nequaquam eſt intermittendum. Conſule igitur in publicum, & effectum, quaeſo, da, ut theſaurus tam inſignis in lucem emergat. Romae aut Patavii quid fiat inter Literatos homines, cum ignariſsimis ignoro. Diu enim eſt, quod ex Italia nil epiſtolarum ad me perfertur. Principem *Pamphilium* in eo eſſe, ut Marchionis *Iuſtiniani* exemplum imitetur, ſtatuaſque veteres, quas poſsidet quampluri-mas, & optimas, aeri inciſas proferat in lucem, neſcio quis ſignificavit. Utinam verus is ſit nuncius: ſed Tu me id omnium optime docueris; tum etiam ſi nec dum Tibi viſus ſit *Gronovianus de Seſtertiis Commentarius*. Parat nunc amicus ille noſter *Senecas* Rhetorem & Philoſophum curis ſecundis a ſe illuſtratos. *Voſſius* etiam *Pomponium Melam* orna-

 tum

1 *Petrus Fittonus* Anglus inſignis Antiquarius Numiſmatum Gazam *Ferdinandi* II. M. D. Etr. in ordinem redegit, & amplum eius Catalogum conſcripſit, quem Regiis *Ferdinandi* auſpiciis in publicum emittere meditabatur v. *Noriſii Praef. ad Annum & Epochas Syromacedonum*. Praepropera mors tanti Viri conatus intercepit; & incertum eſt, an Catalogus ille, qui, ut audio, in ſcriniis quibuſdam modo ſepultus eſt, lucem aliquando viſurus ſit, magno Reip. Literariae emolumento.

tum luculentis obſervationibus habet in promptu Vidimus hic nuper *Franciſci Guyeti* poſtumas in *Terentium* notas, quibus plurima ſummi auctoris loca poſt *Faernum* feliciter emendat. Erat ille Gallus patria, *Puteanis* fratribus coniunctiſsimus. Ad loca *Ovidii* gemina, in quibus agitur de *Apelle*, poſtremis meis reſpondi, etiam alias, ſi probe memini: ſi eae in via perierunt, repetam officium. Coum *Apellem Ovidius* manifeſte facit. In altero loco ex optimis membranis legendum eſt *poſuiſset Apelles* pro *pinxiſſet*: *Ponere* pro *pingere* uſitatum optimis ſcriptoribus; & ſunt in promptu loca complura. Amicos omnes iubeo ſalvere.

Dabam Amſtelodami MDCLVII. a. d. xx. Iulii Gregor.

Egidius Menagius literas non ita nuper ad me dedit, quibus ſibi gratulatur plurimum de Tuo adfectu, quem mihi ſe debere ex parte contendit, cum omnium amore ſit digniſsimus, Tuo praeſertim, mi *Date*, qui eximiis virtutibus egregie faves.

EPISTOLA X.

DUas non ita nuper Epiſtolas a Te mihi traditas eſſe narro, Vir Clariſsime, quarum altera Aprili menſe, Maio altera eſt exarata. Quam *Moro* noſtro inſcriptam addideras, ea recte eſt curata. Meas Nobiliſs. *Furſtenbergio* fuiſse exhibitas laetor, a quo reſponſum hactenus nullum accepi. Habere Te in promptu Orationem funebrem, quam

quam *Caſſiani* noſtri τοῦ μακαρίτου praeconiis ſis conſecraturus (1), lubens intelligo. Cogitare ego quoque iam non ſemel coepi de Epicedio: ſed aliae ex aliis occupationes a propoſito hactenus me avocarunt. Captabo tamen diem otioſum, ut haec a me tela detexatur. De *Euſtathii in Homerum Commentariis* ſecurum eſse Te iubeo. Nactus enim ſum exemplar utendum, quod ſtudiis meis lucubrationibuſque inſerviat, dum Notis ad *Ovidium* iam nunc edendis manus ſuprema imponatur. *Laertium Aldobrandini* acceptum habebo. *Heronem de Machinis Bellicis Barocii* nuper nactus ſum. *Patricium de Militia Romana* non niſi mutilum poſſideo, ut iam ante monui. Neque tanti apud me liber iſte eſt, ut eo carere non poſſim: praeſertim cum extet in *Voſſiana Bibliotheca*, ac propterea meis uſibus non deſit, ſi eo mihi conſulto ſit opus. *A Barocio*, *Commandino*, *Ubaldo*, aliiſque, libelli aliquot veterum Auctorum ſunt editi Matheſin ſpectantes, quos fruſtra apud nos quaeras. In Sicilia olim *Menelaus* Mathematicus eſt editus, quem ſemel tantum vidi; & *Theophraſti* varia opuſcula Graece & Latine, cum annotationibus neſcio cuius in lucem emiſsa. De *Rhetoribus Graecis* ab *Allatio* editis falſum fuiſse rumorem arbitror. De *Antiquitatibus Praeneſtinis*, & Antiquis Inſcriptionibus in diem mox prodituris libens nuncium accepi; de Inſcriptionibus praeſertim. *Schoppii Minervam Sanctianam* edi vellem. *Ovidius* meus iam ſub

P 2 praelo

1 *Carlo Dati: Orazione delle lodi del Commendator Caſsiano del Pozzo. Firenze* 1664. in 4.

praelo eſt, ſed lente procedit. Eadem forma iiſdemque typis editur, qua *Claudianus* olim prodiit. Editionem luculentiorem poſtea adornabo. *Voſſii Mela* menſe proximo abſolvetur: Eius exemplar ut habeas curabo. Prodibunt & *Seneca* tam Rhetor, quam Philoſophus ſecundis *Gronovii* curis illuſtrati. Tragicus etiam ſub praelo eſt, ſed maiori forma: quali *Livium* quoque iam parat. Prodiit etiam *Euſebianum Chronicon Scaligeri*, cuius caſtigationes nunc ſunt auctae poſt primam editionem. Sedani in Galliis Humaniores Literas profitetur *Tanaquillus Faber:* is *Phaedri* lepidiſsimas Fabulas animadverſionibus illuſtratas luci dedit: *Lucianum* etiam mox daturus. *Henricus Valeſius Euſebii Hiſtoriam Eccleſiaſticam* parat. Quae Hetruſco idiomate a Te concinnantur avide expecto. De *Pictoribus antiquis* commentarium iamdudum molitur *Franciſcus Iunius Voſſii* noſtri avunculus, quem ipſe mihi nuper exhibebat adfectum. Egi nuper cum Clariſs. V. *Iacobo Golio*, ut Arabica illa ad dogma Pythagoricum ſpectantia, quae in Leidenſi Bibliotheca ſervantur, deſcribenda, ac in ſermonem latinum convertenda curaret, in Tuae ſpem gratiae. Recepit in ſe curam iſtius rei, nec deſinam urgere, dum Tuis meiſque deſideriis hac in parte gratificetur. Velim me doceas an *Barberinianis Inſcriptionibus* acceſsurae ſint *Donianae* (1) quas noſti. Sin minus, offert operam ſuam *Voſſius*, qua efficiatur, ut apud nos pro-

1 Inſcriptiones Antiquae collectae ab *Io: Bapt. Donio* Patricio Flor. prodierunt notis illuſtratae ab *Ant. Franciſco Gorio* Florentiae 1731. in fol.

prodeant. De *Schedis Elichmanni* nihil eſt ſperandum: Sunt enim direptae; & nullibi comparent. De *Pythagoricis* ab illo editis nihil mihi adfirmare potuit *Golius*, qui, ut eſt Orientalium linguarum unice ſtudioſus, haud dubie non ignoraret, ſi quid tale ab *Elichmanno* fuiſset editum: Ne *Elzevirius* quidem typographus docere potuit. Excurram brevi Leidam, tum *Ioannem Mairium* percunctabor: quem oportet rei non eſse ignarum: quod eo familiariter ſit uſus *Elichmannus*. De libris, quos ſignificabas Hamburgi eſse editos, ita ad me *Langermannus*. *Quos pro Cl.* Dato *cupis libros, ego nec vidi unquam, nec a quoquam mortalium hactenus potui indagare. Locutus tamen ſum cum* Vagetio *noſtro, qui porro ſe inquiſiturum pollicetur*. Quare libros iſtos parum abeſt, quin opiner, non prodiiſse. Sciret enim *Vagetius*, cum & ſenex ſit, & iſtarum rerum imprimis gnarus. Ipſe *Langermannus* Conſiliarii honore, & titulo donatus eſt a Duce Mecklenburgico, cum ſtipendio ſatis honeſto: quam dignitatem admiſit ea lege, ut ſedem nihilominus Hamburgi ſit fixurus. *Malchum Ritterſhuſii* ſedulus inquiram, & ſi quos praeterea deſideras. Reginam noſtram audio non adveniſse ſolummodo Romam, ſed etiam neſcio quas illic ſimultates eſse exortas. Ubi aliquid dedero manibus *Puteanis*, ad Te mittam. *Ovidium* ubi abſolvero, manus fortaſsis admovebo *Triumviris* iſtis lepidiſsimis *Amorum*. Nam in *Catullo* multa feliciter reſtituit *Voſſius*, ego in *Propertio* & *Tibullo* nonnulla, ut mihi viſus ſum, non contemnenda. Uter-

que ad *Martialem* etiam multa obſervavimus. Quorum Auctorum ſi ſcripta exemplaria ullibi venalia offendas, ut nobis ea vindices peto. Hagae mihi hac aeſtate erit vivendum: quo Bibliothecam magna ex parte iam tranſtuli. Dum ſarcinas colligo, libros nonnullos, quorum exemplaria gemina me poſsidere animadvertebam in ciſtam conieci Liburnum mittendos. Ciſta Tibi eſt inſcripta. Navi quod ſit nomen ſub finem huius epiſtolae ſignificabo. Sed ſupinitate famuli, qui libros Ciſtae incluſit, factum eſt, ut *Ful. Vrſini Notae in fragmenta Faeminarum illuſtrium* penes me haeſerint: quae tamen prima occaſione mittentur. Indicem librorum hic habes. Quoſcunque ex iis poſsederis, inter reliquos amicos velim dividas. *Poematum meorum* exemplar illic etiam invenies. Doleo libros, quos mitto, non eſse nitidius habitos. Sed cum plerique eorum raro apud nos venales occurrant, quales habere potui mitto. Indicem, quem diu ſperare iuſsiſti, mittas aliquando velim. De *Caſauboni Satyrica Poeſi*, ſi paulo tempeſtivius me monuiſſes, rem nunc haberes confectam. Nam *Voſſio* dedi alterum eorum exemplarium quae poſsidebam. Inveniam tamen vel ſic, quo tibi ſatisfiat. *Schoppii* etiam *Critica Opuſcula* conquiram. In Ciſta invenies libros nonnullos *D. Carolo Antonio Puteano mittendos*. Coactus ſum iſtud Tibi onus imponere, quod alia nunc ſe non offerret opportunitas, qua Romam perferrentur. Rogo curae id eſſe Tibi ſinas. Faſciculo Numiſmata aliquot argentea ſunt inſerta quo curatius velim eius

a Te

a Te rationem haberi. Amicos omnes plurimum ſalvere iubeo, Comitem *Ferdinandum*, *Marucellium*, *Cavalcantem* optimum, *Chimentellium*, *Cheſſinum*, *Cultellinum*, reliquos. Vale, meum decus. Dabam Hagae Comit. MDCLVIII. a. d. IV. Iulii Gregor. * *

EPISTOLA XI.

INter varias aliquamdiu curas rei familiaris ac occupationes tetricas iactatus, ſtudia & iucundiſsimam amicorum conſuetudinem interrupi anino invito mehercule & nolente, mi *Date*: ita factum eſt, ut Tibi aliiſque per Italiamamicis iam multo tempore neque ſcribam, neqe ulla alia in re proſim. Videor tamen portum nunc ſpeciare poſt diuturnas iactationes, ut tranquillioris vitae ſpes affulgeat, poſt hanc tmpeſtatem, quae me vobis ac mihi ipſi tandiu ſubtraxit. Brevi igitur expectare Te iueo literas, quae & Tuis iampridem ad me prlatis reponantur reſpondeantque, & praeterea de ſtudiis communibus quaedam Te oceant, non ingrata omnino futura, ut augror. Mitto nunc libellum *Chriſtiani Hugenii* uper apud nos editum, magnoque cum aplauſu a rerum peritis exceptum, quem ille*Saturnii Syſtematis* nomine inſcripſit, & ſummo ſcientiarum fautori ac patrono, Sereniſsno, inquam, Principi *Leopoldo* ab Hetruria ledicavit. Quod ſuum propoſitum cum mih aperuiſset, haerente etiamnum inter operaim manus ac praela typographica hoc liblo, non potui non applau-

dere tam oportuno conſilio, calcarque ſubdere fluctuanti, ut clientelae Principis ad augendas literas unice nati hunc faetum auderet committere. Pater auctoris eſt *Conſtantinus Hugenius* Zulichemius, magnum in Republica noſtra nomen, Principibus Arauſionenſibus imprimis carus, intimaeque ac praecipuae apud utrumque nuper admiſsionis, nunc quoque inter pupilli Principis conſiliarios, qui ſit primus, ſed nec minus eruditione ac ſcriptis in vulgus editis, quam meritis in patriam clarus. Extant eius *Poemata* Latina, extant & vernacula cum Gallicis, Hetruſcis, Anglicis, & vario praeterea idiomate conſcriptis. Filios habebat quatuor virtutis ſuae atque ingenii longe feliciſsmi aemulos, quorum natu minimus inter vivos nuper eſse deſiit: ſupereſt cum duobus aliis *Chriſtianus Hugenius*, qui cum reliquas paternas artes multo non ſine ſucceſsu inbibit, tum praecipue Matheſin, in qua tantum profecit, ut non noſtratibus tantum, ſed Gallis quoque, ac Anglis, vobiſque Italis iampridem ſit notiſsimus. Sed laudes eius ac virtutes ex ipſo hoc libello malim aeſtimes, ac metiaris, quam ex mea commendatione; munuſque iſtud Sereniſsimo Principi ita offeratur a Te rogo, ut Nobiliſs. Iuvenis, qui omnia apud me iure optimo poteſt, mox intelligat, non minus in amicis meis ſibi eſſe praeſidii, quam fiducia hactenus in me collocavit. Haec nunc: plura mox additurus. Romam interim ſi ſcribes, quaeſo Illuſtriſs. *Carolus Antonius Puteanus* e Te intelligat, iampridem ad me perlatum eſse *Ovidianum*

Nu-

Numiſma, meque gratiarum actione mox defuncturum per literas, ut par eſt, pro inſigni officio. Scribeam etiam Equiti *Guidaccio*, & optimo *Cultellino*. Salveant interim illi cum reliquis amicis. *Marius* bibliopola Leidenſis negat quicquam ab *Elichmano* editum ſermone Arabico fuiſse, praeter iſta, quae *Simplicio Salmaſii* attexuntur. *Langermannum* iam ſaepius monui de ſcriptis Pythagoricis Hamburgi editis, ſed nihil certi hactenus reſpondet. Pergam urgere, dum voti compotes Te meque reddat. Vale, decus meum certiſsimum.

Dabam Hagae Comit. MDCLIX. a. d. xxv. Gregor.

EPISTOLA XII.

DVabus Tuis Epiſtolis debeo reſponſum, *Date* iucundiſsime; quarum priores perbreves illae, & Laconicae, die nono Septembris proxime elapſi, poſteriores Novembris octavo erant exaratae. Mediae inter illas intercidiſse in itinere videntur; ad me certe perlatae nequaquam ſunt. Nam quod in prioribus pollicebare mox fore, ut de *Syſtemate Saturnio* iudicium Sereniſsimi Principis *Leopoldi* ad nos perſcriberes, ſimulac is id ſcriptum perlegiſset, quod recens tum in manus Tuas pervenerat, huius promiſsi fidem hactenus deſidero. De multis praeterea Tecum egeram per literas, ad quae praeter morem Tuum aut nihil aut parum reponis. De *Tubo Hugenii Optico*, quod po-

ſte-

ſteriores tuae doceri poſtulant, ſcias velim, amicum illum meum non ſine multo labore duos manibus ſuis efformaſſe, quorum unum ſervarit ſibi, altero donarit *Bullialdum* noſtrum, ut ſimilis tubi obtinendi ſpes non ſit, niſi ab ipſo *Hugenio* obtineatur. Si iubes, ut illud officium ab eo exigam, non dubito gratiae Principis Sereniſsimi omnia illum daturum; nihil tamen Te inconſulto tentare volui. Si coniectura me non fallit, qua fit ut perſuadear periiſse in via literarum Tuarum faſciculum, qua via miſeris fac ſciam, ut ex fuga ac errore, ſi fieri poſsit, retrahantur epiſtolae. *Emericum Bigotium* vobis adeſse gaudeo, quem in potiſsimis amicis numero. Si certo mihi conſtaret, in qua Italiae veſtrae Civitate pedem fixerit eximius ille iuvenis, eum ipſum per literas compellarem. Menſes enim complures ſunt, quod omnia *Caſtelvetri* opuſcula, alioſque libellos Rothomagum miſi ad paternas aedes, de quibus an eo ſint perlati, nihil hactenus intelligo. De permutandis libris Arabicis *Elzevirios* & *Blavum* rurſum conveniam, & an conditionem oblatam admittant, ut cognoſcas operam dabo. De opere etiam Mathematico *Vincentii Viviani* rem urgebo. *Golium* promiſsi admonere non deſino de *Pithagoricis Symbolis*, quae Arabice extant in Bibliotheca Leidenſi, ſed, ut mirus eſt procraſtinator, nihil hactenus, aut parum promoveo. Interim tradidit ſpecimen hoc *Apollonii* ſui ex Arabico translati, ut conferas cum editione Florentina, quae nunc ſub praelo eſt. Apud nos in literis al-

altum nunc eſt ſilentium. *Aldobrandini Laertium* in Anglia edi audio, ubi *Epicteti Enchiridion* notis *Emerici Caſauboni* illuſtratum nuper prodiit. Scribit ad me *Carolus Antonius Puteus* de libro uno alteroque Romae nuper edito, quos ad me perlatos cupit, ſi viam, qua poſsint perferri, ſciat. Proxime illi reſpondebo. Specimen *Apollonii* putabam ad manum mihi eſse, ſed non eſt. Id quoque proxime expecta. Vale, meum decus.

Dabam feſtinans Hagae Comit. MDCLXI. die XXVII. Decembr.

EPISTOLA XIII.

Exaratis hiſce, quas nunc mitto, ad Te literis, cum ad tabellarium, cui tradendae erant, me contuliſſem, eum iam ad vos profectum invitus didici. Dum itaque epiſtola in dies nonnullos proximos apud me moratur, pagellam *Apollonii Goliani* inter chartas meas oberrantem inveni. Eam nunc una accipies, cum literis ad Illuſtriſs. *Carolum Antonium Puteanum*, & *Emericum Bigotium* a me exaratis, de quibus recte curandis Tibi rem commendo. Convenit me diebus proximis elapſis *Chriſtianus Hugenius*, & narravit accepiſse ſe Lutetia literas, quae inventum Horologii a ſe editi *Galilaeo* veſtro vindicarent, ſancte teſtatus eius rei cum ignariſsimis ignarum ſe fuiſse. Quod ſi ita res ſe habet, ea, qua par eſt ingenuitate puto agnoſcet, & profitebitur huius inventi glo-

riam

riam primo *Galilaeo* deberi. Tu, quid eius rei ſit, me velim doceas. Ille aſseverat nonnulla ſe nuper addidiſſe priori invento, per quae motus horologii emendetur, & longe certior reddatur. *Elzevirium* impellere non deſino de permutandis Codicum Arabicorum exemplaribus, ſed is frigide ſemper & ieiune reſpondet. Videbo an praeſens apud praeſentem plus poſsit proficere. Vale, decus noſtrum.

Dabam Hagae Comit. MDCLXII. a. d. XVI. Ianuarii.

EPISTOLA XIV.

POſtremae meae ſi recte curatae ſunt, deſideriis Tuis de *Apollonii Goliani* editione ſatisfeciſse me non dubito, Vir Clariſsime. Non eſt expectandum, ut lucem liber ille videat, niſi iudicaverit interpres eius *Golius* Reipublicae Literariae intereſse, ut poſt editionem, quam ſatis accuratam Florentiae paratis (1), ſuae quoque verſionis commentarius divulgetur. In familiari enim colloquio diebus proxime elapſis ſignificavit mihi, diverſas eſse ſuae verſionis lucubrationes a Florentina editione, quae compendium ſo-

1 *Appolloni Pergaei Conicorum Libri V. VI. & VII. Paraphraſte Abalphato Aſphahanenſi. Archimedis Aſsumptorum Liber exponente Almochtaſso: Omnia ex Arabico in Latinum verſa ab Abrahamo Ecchellenſe, & Notis illuſtrata ab Io: Alph. Borello. Florentiae* 1661. *in fol.*

ſolummodo *Apollonii* complectatur, non ipſum *Apollonium*, ut ex ſpecimine ad ſe miſſo ſatis apparere contendit. Quicquid ſit, negat de nova editione ſe cogitaturum, niſi agnoſcat compendii auctorem a mente, & demonſtrationibus ipſius *Apollonii* nonnunquam aberrare, aut in diverſa abire. Lento praeterea eſt ingenio, nec typographum hic facile inveniet, niſi propriis impenſis editionem adornet, cum literae Arabicae a paucisſimis hic excolantur Coeterum multis excurrebat in lau es *Vincentii Viviani*, cuius commentarium (1) & legiſse ſe, & miratum eſse asſeverabat, adeo quidem, ut ipſum *Apollonium* in pleriſque felicisſime aequatum ab amico illo Tuo; in nonnullis etiam ſuperatum contenderet. Rogavi illum, ut ſententiam ſuam ſcripto conſignaret, & ad me mitteret vobiſcum communicandam, quod an facturus ſit neſcio, facturum certe ſe promiſit. Idem etiam ut a *Schoteno* fieret petii. Cras aut perendie Leidam proficiſcar. Tum mihi curae erit ut utrumque ſuper ea re conveniam, & aliquid ſcripti, ſi fieri poterit, ab iis obtineam, quo iudicium ſuum complectantur. *Sebaſtiani Corradi Commentarios in Brutum Ciceronis* poſsideo iampridem; *Notas eius in Epiſtolas ad Atticum* fere ſolas ex ſcriptis eius omnibus deſidero. *Plinii* codicem unum alterumque, *Voſſius* noſter p ſsidet integrum: Nam in caeteris poſteriores libri non extant. Si

1 *Vinc. Viviani de maximis, & minimis Geometrica divinatio in quintum Conicorum Apollonii Pergaei, Liber Primus & Secundus. Florentiae* 1659. *fol.*

Si quid ad uſus tuos in iſtis exemplaribus ſpectare indicabis, id ad editiones typis expreſsas libenter exigam, coniectis in chartam diverſis lectionibus, ut earum Tibi fiat copia, nec opinor aegre id laturum *Franciſcum Iunium*. *Chiffletianus* codex eſt veterrimus, & quantivis pretii, ſed cuius copiam *Chiffletius* ipſe aut invideat aliis, aut certe non permittat. Obtulit pro eo aureos trecentos noſter *Voſſius*, ſed fruſtra. Memineris tamen velim uſum eo in editione ſua *Dalechampium*, quanquam non ſatis diligenter, lectionis diſcrepantiis margini paſsim adſcriptis. Eſt editio Pariſiis An. MDXXXII. procurante *Petro Belleirio*, divulgata, quam magni *Rigaltius* faciebat, ut pote ex ſcriptis exemplaribus caſtigatam. Obiit nuper hic terrarum *Petrus Scriverius* ſenio confectus, cum annum aetatis LXXXIV. explеſset, cui hoc epitaphium rogatus dedi.

Huic ſua commiſit Scriverius oſſa ſepulchro,
Hiſtoriae vindex corque, Batave, tuae.
Civica cui toties Romano venit ab orbe,
Sive vetuſta foras, ſeu nova ſcripta daret.
Succubuere quidem ſpatioſae membra ſenectae:
Nominis at ſpolium ſaecula nulla ferent.
Collatum ne, Rhene, Tibi praepone Salonem,
Aurifero conſors ſit licet ille Tago.
Bilbilicus vates Latii laus prima leporis
Quod placet & ſpirat poſt ſua fata, tuum eſt.

Quid Vir Illuſtr. *Ioannes Vittius*, & *Chriſtianus Hugenius* de *Vincentii Viviani* ſcripto ſentiant, iam proxime ſignificavi. Vale, mi

mi *Date;* pluribus brevi agam. MDCLXII. a. d. xxiv. Maii. Dabam Hagae Comitum.

EPISTOLA XV.

Accepi proxime elapſis diebus Tuas una cum *VVittianis*, & *Hugenianis* obſervationibus, Vir Clariſſime, quas non ingratas Tibi fuiſse gaudeo. Speraram fore, ut *Golius* quoque ſuum de praeclaro *Viviani* opere iudicium ſcripto conſignaret. Ita enim erat pollicitus cum proxime mihi adeſset, fidem ſimul dans, a *Scboteno*, id ipſum ſe impetraturum. At vero neque *Golii* promiſsum hactenus comparuit, quem ab eo tempore non vidi, & *Scbotenus* interea e vivis exceſsit in ipſo aetatis flore, non ſine aliqua ſtudiorum Mathematicorum iactura. De *Opuſculis Pythagoreorum Arabicis* eundem *Golium* non ſemel iam hortatus ſum, ut promiſsi meminiſset: Idque ſe praeſtiturum nuperrime a me diſcedens eſt pollicitus. Commendavi poſtea idem negotium *Adolfo Vorſtio* Rectori Magnifico Lycei Leidenſis, eſt enim *Golio* coniunctiſsimus; ſed is reſcripſit amicum ſuum a civitate abeſse. Nunc per *Gronovium* noſtrum rem tentabo, nec deſinam moleſtus & importunus eſse, donec aut precibus promiſsum obtineam, aut extorqueam invito. *Viviani* commentarios *VVittio* petenti rurſus legendos dedi, ſed cum interea ſupervenerit Britanniarum Rex, aliaeque occupationes maximi momenti incubuerint, facile perſuadeor ut credam, virum immenſis ne-

negotiis ſemper expoſitum, de hoc ſtudiorum genere vix ab illo tempore cogitare potuiſſe. In *Naſone* meo procedunt teſtudineo gradu operae typographicae. Poeta ipſe typis iam deſcriptus eſt, cum Notis ad *Heroidas* meis, ut dimidia fere pars operis etiamnum reſtet edenda. Poſtea reliquos Poetas adornabo, ſed notis brevioribus illuſtratos, *Lucretium* videlicet, *Amorum Triumviros*, *Virgilium*, *Horatium*, *Martialem*, *Silium*, & *Valerium Flaccum*. Horum ſi quos codices aut manu exaratos, aut vetuſtis typis ſub initia artis typographicae impreſsos poteris nanciſci, plurimum me demereberis. *Silii* & *Valeri Flacci* codices nonnullos recentioris notae in Medicea vidi Bibliotheca, nam vetuſti vix ullibi comparent. Proponam Tibi aliquando loca nonnulla in utroque Auctore, quae committas cum codicibus, unde arduum non erit deprehendere, ſi qui inter illos ſint, quibus aliquid deferri mereatur. Suſpicor enim omnes ex uno eodemque exemplari promanaſse. Eſt autem uterque ſcriptor cum elegantiſsimus, tum foediſsimis mendis paſſim aſperſus, quibus ſit, ut neglecti iaceant, & oppido quam paucis manibus terantur. In *Valerio* nuper infinita propemodum, ſolo fretus ingenio, reſtituebam. Idem in *Silio* factitaram olim, ſed furto mihi codex eſt interceptus, nec taedebit tamen manum illi denuo admovere. *Naſonis* vetuſtas editiones duas habeo, utiles ſane, & opem nonnunquam adferentes in locis dubiis, quarum alteram Tuae munificentiae debeo, neutri an-

nus,

nus quo divulgatae ſunt , aut locus , eſt adſcriptus . Itaque tertiam, quam offers, editionem non recuſo. *Paſqualini* Indicem in Metamorphoſes ex Italia mecum advexi : noli igitur eum mittere . Catalogum librorum , quos emi , aut conquiri cupis , avide expecto. De *Plinii* locis mendoſis operam iam meam Tibi obtuli , quas ego literas Te accepiſse confido . Habeo geminum eius ſcriptoris exemplar ex editione *Petri Daneſii* Lutetiana ante annos CXXV. Vulgatam ſub falſo *Petri Pelicerii* nomine , & caſtigatam ex fide veterum exemplarium , quam *Nicolaus Rigaltius* magnifaciebat : Alterutrum ſeponam Tibi. *Annales Romanos Stephani Vinandi Pighii* ; *Henischii Commentarios in Sphaeram Procli* ; *Theodorum Metochitam in libros Ariſtotelis Phyſicos* ; *Carpentarium in Alcinoum* ; eiuſdemque *Comparationem Ariſtotelicae Philoſophiae cum Platonica* , an habeas, fac ſciam . Tum ex *Meurſianis* operibus quid deſideres. Extabant plurima hominis diligentiſsimi inedita ſcripta apud Danos in Bibliotheca Viri primarii ; ſed ea a Sveeis eſt direpta . Intelligo tamen nonnulla ex iis in manus incidiſse Iuvenis Literati , qui Leidae ſtudiorum cauſa nunc moretur , ac editionem eorum ſperare nos iubeat . *Ratboldi Schelii Commentarius de Re Militari Romanorum* , ad finem a typographis eſt perductus . Daturus Vir ille Nobiliſs. aliquando eſt partem huius praeclari operis ſecundam : Interim mittam ad Te quod nunc in lucem prodit : Ubi eruditis commentariis illuſtratam videbis *Hygini Gramaticam a Petro Seriverio* primum ex ve-

terrimo codice editam, ſed adeo mendoſe, ut nihil in eo ſcripto Viri doctiſsimi aſſequerentur. Pollicitus quidem erat eius editionem *Salmaſius*, ſed credo immani mendarum mole deterritum, non liberaſſe fidem. Extant in Bibliotheca Medicea *Urbicii Tactica*, quae *Voſſius* noſter olim deſcripſerat, ſed cum *Salmaſio* dediſset utenda, inter manus eius perierunt. Haec *Schelius* vehementer ſibi inſpecta cupit; ut ſi quis in veſtra Civitate ſit literarum Graecarum non ignarus, atque in re tenui conſtitutus, qui deſcribendi libelli moleſtiam haud refugerit, is certus eſſe poſſit, laborem honorario haud contemnendo remunerandum, penſandumque fore. Sed de hoc argumento ſuſius aliquando, ubi Tu ipſum *Schelii* librum videris. *Seneca Tragicus Gronovii* tandem praelo commiſſus eſt. *Tacitum* etiam ſcholiis ſuis, ſed brevioribus, illuſtravit. *Mureti*, ſi quae, praeter *Lectiones Varias*, & *Commentarios in Catullum*, in Italia ſunt edita, ea conquire quaeſo mihi; praeſertim que in *Inſtitutiones Iuris* conſcripſiſſe dicitur. *Achillis Statii* etiam quae extant. *Animadverſiones* eius *in Tibullum* ac *Catullum* habuiſse me ſcio, nunc tamen inter libros meos non comparent. De *Diogene Laertio Aldobrandini* ſaepe alias monui. In Britannia is editur, cui caſtigationes ſuas *Mericus Caſaubonus*, & *Aegidius Menagius* ſunt addituri: velim tamen & Romanam habere editionem. *Chriſtiano Hugenio* ſignificavi, *Euſtathium Divinum* occupari in refellendo *Syſtemate Saturnio*: Is mihi aſſeveravit iam prodiiſse Bononiae, ni fallor, ſcriptum eiuſ-

eiuſdem argumenti a Patre *Ricciolo* in lucem datum. *Divini* Teleſcopia non putat ſuis eſſe meliora; apud Britannos tamen praeſtantiſsima confici fatetur. Illuſtriſs. *Borellium* valde adhortatus ſum, ut Itinerarium Antarcticum edi quamprimum curet: Vellem minus cunctaretur. Inſula illa (quam *Novam Hollandiam* nuncuparunt) Europam univerſam non aequat ſolummodo, ſed ſuperat. Adde aliam Inſulam ab hac non longe remotam, a Nautis noſtris eſse detectam, nec tamen circumnavigatam, quam *Borellius* opinatur Nova Hollandia non eſse minorem: *Novam Zelandiam* nominarunt. Aiunt utramque ab incolis ferocissimis, & inhoſpitalibus habitari. Ad Equitem *Puteanum*, & *Bigotium* noſtrum, proxime nonnihil literarum ſum daturus. *Meibomius* (1) aetatem agit Hafniae, quae Civitas cum toto iam ferme biennio caſtris Svecicis cingatur, non puto quenquam eſse, qui inter tantas anguſtias de *Muſicis* edendis cogitet. *Voſſii Etymologicon* iam diu ſub praelo verſatur, ſed vix puto fore, ut ante auſpicia anni proximi in lucem prodeat. De *Vitiis Sermonis* ſcio ſupereſse Tomum unum, alterumque ac reſtare edendum, ſed necdum edi ſum certus. Quod monebam de tabellario, & pretio pro doctiſsimi *Viviani* commentariis huc transferendis annumerato, ignoſce libertati; poſtea enim docuit ac demonſtravit certis argumentis *Elzevirius*, Mantuae nihil fuiſse perſolutum. Ego vero nos a tabel-

Q 2

1. *Marcus Meibomius*, qui An. 1652. Amſtelodami edidit *Antiquae Muſicae Auctores ſeptem* a ſe reſtitutos, ac notis explicatos in 4.

bellariis ludi opinabar. Scis, mi *Date*, longe plura ac potiora eſse, quae Tibi debeam. Vale, & amicos communes *Cavalcantem*, Comitem *Ferdinandum*, *Marucellium*, *Chimentellium* antiquum hoſpitem, reliquos meis, quaeſo, verbis peramanter ſaluta.

Dabam Hagae Comitum A. MDCLX. a. d. XXVI. Iunii.

EPISTOLA XVI.

IAm ſignificavi occupatas eſse *Elzeviriorum* typographorum operas in edendis iis, quae ad *Naſonem* hic illic obſervaveram iampridem. Ea cura me menſibus duobus proximis adeo diſtraxit, Vir Clariſſime, dum omnia editioni paro, ut tres quatuorve epiſtolas Tuas reſponſo ſuo hactenus fraudarim. Ducebam praeterea operiendum *Voſſii* noſtri reditum, qui aliquamdiu ab hac Civitate abfuit, ut *Plinios* eius exaratos cum vulgatis Codicibus committerem, quod illo abſente fieri non potuiſſe ultro intelligis. Haec dilatae ſcriptionis cauſa eſt. Poſtremis Tuis copia mihi facta eſt libelli cuiusdam ab *Euſtathio de Divinis* conſcripti (1) quo *Syſtema Saturnium Chriſtiani Hugenii* labefactare, ac convellere conatur. Tradidi libellum ipſi *Hugenio*, & hortatus illum ſum, ut cauſam ſuam ageret, ſi recte agi poſſe iudicaret. Ab illo tempore non niſi ſemel a me conven-

1 *Euſtathii de Divinis brevis annotatio in Syſtema Saturnium Chriſtiani Eugenii*. *Romae* 1660. 8.

ventus, haud fore arduam ſuae defenſionis cauſam mihi aſſeveravit. Paucis vero diebus ante libellum Euſtathii huc perlatum, quas hic vides literas, Florentiam curandas ad Sereniſs. Principem *Leopoldum* ab Hetruria mihi conſignarat: eas Tuae fidei ac diligentiae committo. Perſuaſum omnino habebam, iam defunctum ſcriptionis officio fuiſſe *Hugenium* illo tempore, quo *Syſtema Saturnium* mea opera Florentiam miſſum eſt: Quod cum aliter ſe ſe habere ex penultimis tuis intellexiſſem, erroris huius amicum noſtrum admonui; nec diſſenſit ille, aut negavit hac in parte a ſe peccatum fuiſſe. Salutem quoque illi a Te, Viriſque Clariſs. *Ioanne Alfonſo Borello*, & *Vincentio Viviano* tuli, quos ille viciſſim ſuo nomine, ut verbis officioſiſſimis venerarer, me eſt obteſtatus enixe, atque obſecravit. Proximae meae, *de Apologia Hugeniana contra Euſtathianum* libellum, certius aliquid nunciabunt. *Plinium Daneſii* iam ſepoſui Tibi, una cum *Annalibus Romanis Pighii*, quod utriuſque libri aliud exemplar ſim nactus. In *Annalibus Pighii*, marmora, & numiſmata antiqua paſſim illuſtrantur, plurimumque lucis univerſae Hiſtoriae Romanae adfertur. Tractavit hoc argumentum poſt *Sigonium*, & *Panvinium*, neſcio an rectius Viris illis duobus ſummis, certe luculentius ac diffuſius, cum ex tribus Tomis conſtet ille Commentarius. Vtinam indicem librorum omnium, qui a Te deſiderantur, tandem aliquando mittas! quod & ipſum ego ſum facturus, ſimul atque poſt *Naſonis* editionem confectam plus otii nanciſcar. Iam ante Tibi

ſignificavi de aliis etiam Poetis edendis me cogitare, quod ſic intelligas velim, ut perſuadearis ac certe credas, *Naſonis* ſemper primas apud me partes fore; quem poſt hanc editionem, integris commentariis illuſtratum ſim daturus publico, praeſertim ſi qui codices eius vetuſti de novo in manus meas ſint perventuri. *Silii Italici*, & *Valerii Flacci* exemplaria a vetuſtate commendanda nullibi fere extant. Itaque & recentiora magni facienda ſunt, & quidem eo magis, quod *Valerio* praeter *Carrionem*, *Silio* praeter *Modium* nemo manus admovit. *Valerii* Codices Vaticanos omnes, & unum in iis antiquiſſimum, ſed valde depravatum, *Langermannus* cum vulgatis olim contulit: quorum ille copiam mihi, ut ſpero, non invidebit. *Silii* exemplaria duo excuſſi, alterum in charta ſcriptum, alterum in membrana, utrumque recentiſſimum, & valde mendoſum. Sed de *Silio* alias Tecum agam. *Catulli*, *Tibulli*, *Propertii* vetuſta exemplaria etiam inventu ſunt longe difficillima. Duum priorum codices nonnullos *Achilles Statius* cum Vulgatis libris contulit, opera ſane laudabili: ſed *Propertium* reliquit intactum. Atque haec cauſa eſt cur Propertianos codices diligentius conquiram, quam Tibullianos aut Catullianos; & videor unum mihi eius Poetae, inter multos, in Medicea Bibliotheca vidiſſe caeteris paulo vetuſtiorem. Subiiciam duos aut tres locos ex Scriptore illo, ſuper quibus, per otium, Mediceos huius Poetae libros conſulas; unde facile apparebit, ſit ne inter eos codex aliquis praeſtantis notae. Idem in *Va-le-*

leriis Flaccis Mediceis explores velim: ex uno enim alteroque exemplari vetuſto, reliqua, quae nunc in Bibliothecis occurrunt, utriuſque Poetae exemplaria deſcripta ſunt. Ego plurima ſolis coniecturis fretus, tam in *Valerio*, quam *Propertio* reſtitui, quae Tibi aliquando, ut auguror, ſeſe probabunt. *Propertii* duos treſve Codices ſcriptos *Voſſius* noſter poſſidet, ego unum; quorum tamen nullus alicuius eſt rei. Codex, quo uſus eſt *Scaliger*, quanquam recentiſſimus, tamen optimae fuit notae. Et ſane ſunt inveterati admodum naevi in pleriſque Scriptoribus. *Lucretii*, *Arateorum Germanici*; *Catalectorum Virgilii* codices vetertimos evolvi; qui tamen naevis eſſent inquinatiſſimi. Id ipſum in *Pliniis Voſſianis* quoque animadverto; ut qui unum exemplar evolverit, multa evolverit, adeo inter ſe conveniunt: *Chifſletianus* tamen Codex fuit praeſtantiſſimus. De *Vrbicio* quod bene ſperare iubes, gaudeo; eiuſque rei certiorem faciam quamprimum Illuſtriſs. *Schelium*: Si tamen *Scheſſerus* eius editionem eſt adornaturus, nihil attinet denuo deſcribi librum mox luci committendum. De *Golio*, pudet profecto: Diu eſt, quod Leidae non fui, ut illum promiſſi admonere non potuerim. Compellabo tamen per literas hominem, & per amicos, ut beneficium extorqueam, ſi aliter ſperare non poſſum. Vir minime eſt malus, etiam officioſus haud raro, ſed plurimis negotiis ſeſe immiſcet, per quae ab officiis nonnunquam invitus avocatur. Si cunctari tamen perget, & ſpem noſtram fruſtrari, alium inveniam, qui haec *Symbola Pytha-*

gorica qualiacunque deſcribat, & in Sermonem Latinum convertat. Illuſtriſs. *Borellium* Reip. Noſtrae Oratorem apud Chriſtianiſſimum Regem aſſiduus adhortor, ut *Commentarium ſuum de nuper inventis Inſulis* luci committat, idque ſe facturum brevi pollicetur. Habet paratas *Animadverſiones in Pauli Veneti Itinerarium*, quas una in publicum eſt daturus. Caeterum cum ex me intellexerit, extare, editionem *Pauli Veneti Tarviſinam* ante annos triginta aut quadraginta proximos editam, quae diverſa ſit ab ea, quam *Rhamuſio* debemus, ac longe integrior ſincoriorque, cum Rhamuſiana editio ex Latino Itinerario videatur eſſe translata in vernaculum idioma, idque ab homine imperito rerum, Tarviſina vero genuinum ſeſe *Pauli Veneti* faetum eſſe promittat, atque aſſerveret; rogatum Te velim, ut ſi libellus ille ex Tarviſina, quam dixi, editione in manus Tuas venalis incidat, eum aut ad me, aut ad *Borellium* Pariſios deferendum cures. Titulum eius accuratius deſcriptum mittam proxime. *Epithalamium Nuptiis Regis Chriſtianiſſimi* a Te conſcriptum (1) avide expecto. *Gronovii* noſtri *caſtigationes in Senecae Tragoedias* lucem hoc anno videbunt. *Voſſius Apologiam* parat *pro LXX. interpretibus & Samaritano S. Scripturae Codice*. *Marucellianis* virtutibus pretium a Magno Hetruriae Duce (2) po-

1 *Carlo Dati: La Pace, ſelva Epitalamica nelle Nozze di Luigi XIV. Re di Francia, e Maria Tereſa d' Auſtria. Fiorenza* 1660. in f. *Terza impreſſione: Firenze* 1669. 4.

2 *Io. Phil. Marrucellius Ablegati M. D. Etr.*

poni gaudeo. Notarum in *Naſonem* mearum iam tertia circiter pars typis eſt deſcripta. Lentius procedunt operae typographicae quam velim. Proxime ſpecimen ad Te mittam ex *Plintis Voſsianis*. Alterum exemplar eſt recentioris notae, alterum vetuſtiſſimum; ſed valde mendoſum, ut video, nec praeſtantis fidei. De *Plinio Latii* noli eſſe ſollicitus, nihil enim boni habet, praeter typorum elegantiam. Collegit *Salmaſii* omnes in Plinium coniecturas ex *Solinianis Exercitationibus*: nihil praeter hoc unum praeſtitit. Sed extat Parmenſis, niſi fallor, editio, ſub inventam primo Artem typographicam procuſa, quam valde laudat *Voſsius*, & poſſidet. Epiſtolam hanc heſterno die accepi Monaſterio, a *Bernardo Rottendorphio* patre *Euſtachii*, quam Romam mitti ad filium vellet, cum ipſa Monaſterienſis Civitas obſidione nunc cingatur. Non potui hoc officium viro optimo negare: quare velim tuto perferri cures. Vale. Plura brevi.

Dabam Hagae Comit. XX. Auguſti MDCLX.

EPISTOLA XVII.

POſtremis meis ſignificabam, Vir Clariſſime, *Euſtathii Divini* libellum, & traditum mihi, & a me *Hugenio* eſſe exhibitum; eumque iam reſponſum parare. Ab illo tempore reſponſi huius editio promoveri non po-

apud Galliae Regem munere decoratus tunc temporis fuit.

potuit, quod typographus totus occuparetur in abſolvendis duobus aut tribus aliis libris, quos Nundinis Francofurtenſibus mox celebrandis proſtare venales cupiebat. Poſt diem alterumque tamen defungetur hoc labore, & *Hugenianae Apologiae* (1) manum admovebit, quam hoc menſe ad Te mittendam fore non dubito, una cum *Euſtathiani* libelli nova editione: hunc enim ſuae defenſioni cenſet addendum *Hugenius*, quod eius exemplaria apud nos non extent. Egit amicus noſter cauſam ſuam, ut video, per literas Sereniſs. Principi *Leopoldo* inſcriptas, & paucis patrocinio cauſae ſuae defungitur, cum neget adverſarii ſui argumenta operoſae refutationis indigere, qui de tuenda Teleſcopiorum ſuorum auctoritate ſit potiſsimum ſollicitus. Quare P. *Ricciolum* longe magis ſibi formidandum opinatur, ad quem literas daturus eſt, ut eius ſuper *Syſtemate* ſuo *Saturnio* ſententiam exploret. Accepi nudius tertius Pariſiis à *Ioanne Capellano*, viro eximio, epiſtolam, qua narrat *Euſtathii* libellum iam in Gallias perlatum paucos approbatores invenire. In *Naſone* meo lente omnino feſtinant typographi. Notae tomo primo a me additae, cum finem nunc ſpectent, maiorem diligentiam & feſtinationem ſperare me in poſterum iubent operae, ſic ut augurer Decembri menſe omnia abſolvenda fore. Quando curae mihi erit, ut exemplaria confeſtim nonnulla Florentiam ad Te deſtinentur, inter amicos dividenda; quorum bina Viris nobiliſ-

1 *Chriſtiani Hugenii Aſſertio Syſtematis Saturnii ſui*. Recuſa eſt *Florentiae* 1660. in 8.

liſsimis *Carolo Strozae*, & *Andreae Cavalcanti*, meo nomine tunc tradas velim, quod illi ſtudia haec mea pro viridi ornaverint promoverintque; eorumque alter ex Bibliotheca ſua inſtructiſsima membranas nonnullas *Naſonis* ſcripta complexas conceſserit mihi utendas, alter *Arte Naſonis Amatoria* in membranis exarata me donarit. *Obertus Giſanius in Indice Lucretiano* locum *Naſonis* non unum caſtigat atque emendat ex vetuſtis codicibus, quibus ſeſe uſum affirmat. Nunc cum ex *Gronovio* noſtro diſcam, Bibliothecam eius Oeniponti exſtare penes filium, *Ioannem à Giſſen*, ſive *Giſanium* dictum, Ducis Oenipontini Conſiliarum, indagari a Te velim, uſuſne impetrari poſsit illorum, quae *Obertus* olim ex ſcriptis *Ovidii* Codicibus collegit, aut ipſarum etiam membranarum, ſi ipſae membranae penes haeredem etiamnum exſtent: fuerunt enim praeſtantiſsimae notae codices illi. Si Oeniponti notum habes neminem, per Illuſtriſs. Virum *Ioannem Friquetum* Caeſaris apud nos Oratorem, mox Viennam profecturum, rem tentabo: Iam enim ſecundae *Naſonis* editioni adornandae nonnulla coepi colligere. Habui nuper literas a *Langermanno* noſtro, quibus nunciat ſalutaſſe ſe Reginam *Chriſtinam* Hamburgi nunc viventem, meique mentionem non ſemel ab illa factam. Leidae multo tempore non fui: poſt dies tamen duos treſve illuc excurram, ut *Golium* ſuper promiſsis *Pythagoricis* urgeam, ſi poſsim, & expugnem. Abſuit ille a Civitate iampridem, dum otium indulgent caniculares feriae; nunc tamen domum reverſus eſſe dicitur. Habes

hic

hic epiſtolium, quod Cl. *Cultellino* tradas velim. Ad *Bigotium*, quem Romam iam profectum opinor, ſcribam proxime. Quantum ex *Langermanni* literis colligo, *Urbicii* exemplar Regina ſecum ex Italia avexit, *Scheffero* tradendum: nihil igitur neceſse, ut libellus denuo deſcribatur. Intellexi nuper Patavii editum eſse *Oribaſii in Aphoriſmos Hippocratis* Graecum *commentariolum*, quem hactenus videre non potui. *Heniſchium in Procli Sphaeram* cum *Plinio*, & *Pighii Annalibus* ſepoſui ad Te mittendos. Vellem de pluribus moneres, ut faſciculus confici poſset. Vale & me, quod facis, ama Tui longe ſtudioſiſsimum.

Dabam Hagae Comitum MDCLX. a d. III. Septembris.

EPISTOLA XVIII.

AD omnes Tuas, Vir clariſsime, quatuor, niſi fallor, fuerunt, iampridem reſpondi, ac *Hugenii* noſtri epiſtolam Sereniſsimo Principi *Leopoldo* tradendam miſi. Nunc cum pluribus Tecum agere velim, interventus amicorum, & tabellarii diſceſsus me circumveniunt. Itaque differre ſcriptionem, quam Tibi copioſiſsimam parabam, cogor. *Hugenius* reſponſionem ſuam una cum adverſarii libello typis commiſit. Suae reſponſionis exemplar ad Sereniſsimum Principem hic mittit; de adverſarii libello nihil neceſse fuit, niſi Te ſuperfluis expenſis onerare vellet. Ipſe in procinctu ſtat, Gallias adi-

aditurus cum Oratoribus noſtris, hibernaturus Lutetiae. Cum *Marucellio* ut familiaritatem contraheret, auctor illi fui, idque ſe facturum ſpopondit. Sex iam ſunt hebdomades, quod ad Te ſcripſi, & poſtea ſcriptionem iteravi: nunc tertium ſcribo. Hoc volebam neſcius ne eſſes. Vale, meum ac Muſarum decus.

Dabam praecipiti manu. Hagae Comit. MDCLX. primo die Octobr.

EPISTOLA XIX.

Dies decimus quartus nunc agitur, Vir Clariſsime, quod *Hugenii* noſtri *Apologiam* ad Te miſi, una cum eius ad Sereniſs. Principem Leopoldum ab Hetruria literis. Poſtea *Hugenius* hinc in Gallias profectus eſt, menſes duos treſve domo abfuturus. Ante profectionem tradita illi a me eſt Sereniſs. Principis epiſtola, quam longe acceptiſsimam habuit, nec reſponſione ſua fraudandam duxit, ut hic vides. *Golium* nudius tertius in *Voſſianis* aedibus habui obvium; cui aurem de *Symbolis Pithagoricis Arabum* denuo velli. Reſpondit libellum diu ſe fruſtra quaeſiviſse non ſine magno labore: ac demum inveniſse, ac deſcribendum amico tradidiſse. Nunc in eo ſe eſse, ut Latinam Arabico exemplari addat verſionem, qua confecta, ſe omnia in manus meas ad Te mittenda traditurum. Non deſinam porro hominem urgere, ut promiſsi fidem liberet. *Hugenius* negat ſe quicquam luci commiſiſse, praeter

Sy-

Syſtema Saturni, ac *Circuli Quadraturam*; *Diſſertationemque de Pendulo*, quam auctiorem habet in promptu mox edendam. *Dioptrica* etiam ſe brevi editurum pollicetur. Scripſit praeterea neſcio quid libelli Mathematici vernaculo ſermone, quod *Schotenius* inter Opuſcula ſua Belgica promulgavit. Plura proxime. Cl. *Bullialdus* nudius tertius ex Galliis huc advenit, iter Gedanum moliturus, ut *Hevelium* conveniat. Vale, meum decus.

Dabam feſtina manu, Hagae Comit. MDCLX. a d. XV. Octobr.

EPISTOLA XX.

POſtremae, quas a Te habui, die quinto menſis Octobris exaratae, recte mihi ſunt redditae. Ad quas tamen tardius nunc reſpondeo, Vir clariſſime, quod *Hugenio* noſtro iam in Gallias profecto ad me perlatae, Lutetiam una cum Sereniſs. Principis literis, quas curandas mihi committebas, ac Diſſertationibus doctiſſimis *Laurentii Magalotti*, ac *Iohannis Alphonſi Borelli* mittendae fuerunt. Volebam enim, ut *Hugenius*, quid factum velles Diſſertationibus, ex Te ipſo intelligeret. Remiſit ille literas cum multa gratiarum actione, ſeque epiſtolam ad Te daturum eſt pollicitus, per quam aditum ſibi pararet ad Tuam benevolentiam. *Apologiam* eius contra *Honoratum Fabrium*, & *Euſtathium Divinum*, iampridem ad vos perlatam eſſe confido: de qua tamen quid ſentires, hactenus reſcire non eſt datum. Quare ſuſpicor cum valetu-

di-

dine, infirma Te conflictari: atque ea cura anxium ſollicitumque haud leviter me habet. Inſiſti enim iam non ſemel alias literas me ſperare, quae ubertim de communibus ſtudiis ac rebus privatis noſtris eſsent acturae, nec comparuerunt tamen illae hactenus. Clariſs. *Golium* nuper conveni ſuper libello Arabico *Symbolorum Pythagoreorum*, quem ille iam deſcriptum mihi oſtendit. Hortatus ſum ut verſionem quoque ei ſuam attexeret: quod quanquam ſe facturum eſt pollicitus, tamen tarde proceſsurum iſtud negotium, ex ingenio viri cuntabundo ſatis colligi a me poteſt. Opinor autem Arabica illa non eſse magnae rei, cum ſolam fere *Pythagorae* vitam complectantur, & illam quidem ex *Porphyrio* excerptam, qui in ipſo libello, ſi quid *Golio* credimus, laudetur. Dabo tamen operam, ut libellus qualiſcumque ad Te perferatur. Si Latino ſermone donatum a *Golio* impetrare non poſsum, Arabicum mittam. Diſsertationem tertiam, cuius ſpem facis, avide expecto; ſive Tua erit, ſive alterius cuiuſvis, placituram mihi certus ſum, quia a Te mittetur. A doctiſsimo *Bigotio* diu eſt quod literarum nihil accepi: quare veternum hunc in illo excitandum duxi. Literas ipſas apertas mitto, ut Te doceant, quid rerum nunc apud nos geratur. Mitto & alteras ad amicum (1), qui Poemata ſua Latina nuper Piſis edita ad me miſit. Quid amici commu-

1 *Petrus Adrianus Vanden Broeck* in Piſ. Lyceo Poeſeos Profeſs. qui Poemata ſua Piſis edidit aun. 1660. in 8.

munes in Civitate veſtra nunc agant, fac ſciam. Vale, decus noſtrum.

Dabam Hagae Comit. MDCLX. a d. III. Decembris.

EPISTOLA XXI.

QVas Hafniam ad *Gulielmum Langium* (1) curandas mihi crediditi, Vir Clariſsime, eae curatae ſunt. Poſt devoratas a Danis nupero bello multas moleſtias & cala-

1 *Wilhelmus Langius* Nobilis Danus in ſua Italica Peregrinatione aliquantiſper Florentiae conſedit, & in proprios uſus conſcripſit Catalogum Codicum vetuſtorum melioris notae, quae in Bibliotheca Mediceo-Laurentiana adſervantur. Editus is fuit, ſed mendis ſcatens, ab *Io. Alb. Fabricio* ad Calcem *Prodromi Hiſtoriae Literariae Petri Lambecii*: *Lipſiae* 1710 in fol Titulus edito praefixus, Catalogum univerſalem ipſius Biblioth. quodammodo promittit; ſed revera nonniſi perpaucos codices complectitur. Eius Exemplum adſervamus in Biblioth. Magl. *Caroli Dati* manu exaratum, & locupletius, quod ſic inſcribitur. *Catalogus Librorum MSS. & aliquot impreſſorum Ebraicorum, Chaldaicorum, Syriacorum, Rabbinicorum, Aethiopicorum, Armenicorum, & Graecorum celeberrimae Bibliothecae Mediceae, quae eſt apud RR. Canonicos Inſignis, & Collegiatae Eccleſiae S. Laurentii Florentiae, factus menſe Februario Anni Chriſtiani* 1652. *a me Willelmo Langio Dano*. In Schedis Magliabechianis adnotatum reperi, *Langium* hunc Re-

lamitates maximas, plebs univerſa in Equeſtrem ordinem debacchata, tanquam auctorem rei infeliciter geſtae, ac nimis tenacem auctoritatis ſuae, Regique in omnibus obnitentem, excuſſo horum iugo, ſumma imperii penes Regem ut impoſterum conſiſtat pervicit. Mutato igitur Regni ſtatu, Rex rerum potitus, ex clientibus ac familiaribus ſuis pleroſque, quorum operam maxime fidam expertus erat, ad ampliſsimas dignitates evexit. In his *Gulielmum Langium* ſtudiis Filii ſui primogeniti ante admotum, nunc Conſiliis ſuis adſcrivit Senatorem factum, ut audio. In locis *Valerii Flacci*, & *Propertii* ad Mediceos codices excutiendis, non eſt quod multum labores. Neutrius Auctoris vetuſta exemplaria facile inveniuntur. De Mediceis etiam certus eram codicibus, antiquos non

gis Daniae mathematicum, hoſpitem per annum fuiſse *Petri de Freſcobaldis* Prioris eiuſdem Eccl. D. Laur., & deinde Epiſcopi Miniatenſis. Lugduni Batavorum edidit an. 1649. *Libros duos de Annis Chriſti*. in 4. *Meditabatur* (ſcribit *Magliabechius*, neſcio an ex *Dati* teſtimonio) *ut mihi coeteriſque amicis dixit, Hiſtoriam Antediluvianam, & alia multa. Erat admodum iuvenis, nec* XXXII. *aetatis annum excedebat, ut puto: Vir diligens, & accuratus, vigiliarum in ſtudiis ex laboribus patiens: Linguarum Orientalium peritiſſimus, & quamvis maiorem partem diei noctiſque legendo ſcribendoque conſumeret, hilari ſemper fronte, & moribus iucundiſſimis fuit.* Nonnullas eius Epiſtolas ad *Carolum Datum*, & *Nic. Heinſium* edemus.

eſse; ſed quando vetuſti non occurrebant; in votis mihi erat praecipuis doceri, an ex vetuſtis emendatiſque deſcripti libri apud vos exſtarent. Sic *Metamorphoſeon Naſonianarum* exemplar recentiſsimum, quod in Medicea ſervatur, ex veterrimo S. Marci codice deſcriptum, ac proinde reliquis omnibus eſt anteferendum, cum lectiones ſaepe optimas exhibeat, & quas in editis ſcriptiſque exemplaribus aliis non ſit invenire. Similis notae aut *Propertii*, aut *Catulli*, aut *Valeri Flacci*, aut *Silii Italici*, aut *Martialis*, *Tibullive*, aut cuiuſcunque Poetae codicem, ex iis, quos vetuſta manu exaratos difficiles admodum inventu eſse conſtet, ſi reperias, maximi Theſauri loco habendus ſit: nam horum omnium quae nunc circumferuntur editiones, ex uno eodemque, aut etiam altero exemplari promanarunt. De *Gifanii* membranis *Ovidianis* rem curae Tibi eſse laetor. Ex *Indice* eius *Lucretiano* paſsim apparet, uſum illum codicibus *Metamorphoſeon* pluribus, quos cum vulgatis libris contulerit. Ipſos in Bibliotheca eius ſupereſſe codices, vix opinor: diverſas tamen lectiones, quas margini exemplaris typis deſcripti alleverit, illic etiamnum extare auguror, & confido. Monuit enim me doctiſſimus *Gronovius*, a filio paternam Bibliotecham etiamnum poſſideri. Neque tamen iſti rei multum a Te inſudari velim, cum *Ezechiel Spanhemius*, Vir egregie literatus, & Sereniſs. Electoris Palatini familiaris nuper ad me ſcripſerit, ſub aeſtatem proximam herili iuſſu Iter Italicum ſibi auſpicandum fore, ſeque per Oenipontinam Ci-

vi-

vitatem tranſiturum; qua oblata occaſione, ut in *Giſanium*, & *Naſonis* exemplar inquirat, illum hortabor. Libros quos Tibi deſtinaram, non miſi hactenus; quod ſperavi mox *Ovidii* mei editionem abſolvendam fore, cui necdum ſupremam manum impoſuit typographus; imponet tamen brevi, cum res ſit menſis unius atque alterius. Certe Legationi Svecicae me non accingam; niſi defunctus cura moleſtiaque editionis omni. Itinerarium *Petri de la Valle* quarta parte auctum prodiiſſe nuper intelligo. Ab *Elzevirio* per literas hodie petii, ut *Ferronium* conveniat, ac ſciſcitetur, an Cl. *Viviani Obſervationes Geometricas* acceperit. Si accepit, ut dividantur exemplaria inter illos, quibus ab auctore deſtinata ſunt, operam dabo. Poema Tuum *de Pace* impatienter expecto: de eius enim praeſtantia dubitare non poſſum, qui feliciſſimas ingenii Tui dotes habeam perſpectas. De codice *Dogmatum Pythagoreorum* Arabico quod me monuiſti, oportune factum eſt; quanquam enim non ſemel *Golio* ſubindicaram ea a Te deſiderari, quorum mentionem *Salmaſius* feciſſet in Praefatione *Cebetis Tabulae* addita; ille tamen alium neſcio quem libellum deſcribendum curavit, de *Vita Pythagorae* agentem, & ex *Porphyrio* magna ſui parte xcerptum. Hoc poſt literas Tuas perlectas rrore agnito, promiſit ſe curaturum, ut & i la de quibus egit in praefatione *Salmaſius*, conſequaris. Fui ante biduum Leidae, *Goliumque* bis fruſtra quaeſivi: revertar illuc poſt paucos dies denuo, nec deſinam hominem urgere, dum fidem datam liberet. Sed poli-

liceri non auſim fore ut Latinam verſionem huius libelli contexat: ſatis bene nobis negotium ſuccesſerit, ſi homini lento & natura ad cunctandum facto, ipſum Arabicum libellum extorqueamus. A *Bigotio* noſtro luculentas habui epiſtolas, per quas de rebus Italicis uberrime ſum edoctus. Reſponſum hic vides; quod quia continere mihi viſum eſt nonnulla rem literariam ſpectantia, ac proinde a Te nequaquam aliena, inobſignatum mitto, ne oculis Tuis fraudetur quidquid eſt, quod ſcripſi. *Octavius Falconerius* domo Florentinus ante biennium cum hac tranſiret, me convenit, biſque poſtea ſuis literis compellavit. Vir eſt, quantum video, literarum cognitione interiori inſtructus, & digniſſimus Florentina Civitate, hoc eſt omnium elegantiarum promiconda ac matre, Civis. Egit multis de illo in nupera apud me epiſtola *Bigottus*. *Hugenium* ex Galliis reducem quando expectare debeamus haud ſcio: aegre enim avelli ſe patitur a conſuetudine aſſidua, & quotidiano congreſſu praeſtantium virorum, quibus abundat, & referta eſt Lutetia. *Apologiam* ſuam typis Florentinis denuo deſcriptam eſſe, ex me iam intellexit. Apud nos nihil nunc, aut parum fit, quod literas illuſtret, aut ornatiores reddat. Diu eſt quod ſub praelo haeret apud Germanos *Barthianus in Statium* ingens *Commentarius*: de eius quoque *Adverſariis*, quae edenda reſtabant, nihil audio, niſi hoc unum, litigaſse aliquandiu haeredes cum viro quodam erudito, qui ſibi demandatam ſupremis ipſius *Barthii* tabulis *Adverſariorum* editionem conten-

ten-

tendebat. Amicos omnes iubeo ſalvere, *Cavalcantem* imprimis, Comitem *Ferdinandum del Maeſtro*, *Chimentellium*, *Coltellinium*. *Marucellius*, ſit ne Lutetiam profectus doceri opto: Tum quid ſuaviſſimus *Chimentellius* moliatur. Patavio poſt *Rhodii* mortem nullas accepi. *Octavii Ferrarii* Muſae quo loco ſunt? negligitne *Rem Veſtiariam*, aut telam hanc porro detexet? quid eius patruus Mediolanenſis *Ferrarius* (1)? quid *Iohannes Marianus* & *Montalbanus Ovidius* Bononienſes? quid caeteri apud vos viſi praeſtantes. Vale, decus noſtrum certiſſimum.

Dabam Hagae Comit. MDCLXI. a d. IV. Febr. Gregor.

EPISTOLA XXII.

CVm tanta officiorum vi ac copia me cumulaaris hactenus, Vir Clariſſime, ut non me tantum, ſed meos quoque omnes inter tuos admiſeris receperiſque, etiam illos, quos nec virtutis meritum, nec aliae dotes multum commendabant; nunc eo magis ſolitam a Te benignitatem ſperare audeo, quod ex amicorum meorum numero Vir Tibi ſiſtitur, quem familiaritate Tua atque intima admiſſione digniſſimum eſſe arbitratus ſum. Is eſt *Ezechiel Spanhemius*, eximii parentis filius eximius, Sereniſs. Electori Palatino a Conſiliis, elegantis Vir ingenii, multaque

1 *Franc. Bernard. Ferrarius*, cuius Epiſtolas nonnullas edemus.

literarum cognitione egregie inſtructus, quem ubi cognoſces, parciſſime a me laudatum eſſe ultro fateberis. Parat ille luci cum *Caeſares Iuliani* commentariis a ſe illuſtratos, tum *M. Annaeum Lucanum*, quem hac de cauſa, excuſſis diligenter membranis antiquis, recenſuit, atque ex earumdem fide caſtigavit. Quapropter, poſt mandata herilia peracta, quae illum ad vos ablegarunt, viros per Italiam praeſtantes convenire cum geſtiat, atque iis innoteſcere, ut ſibi ad Te aditum pararem, quem ſuis ipſe virtutibus parare nullo negotio poterat, flagitavit. Vt comiter excipiatur, non contendo, cum erga indignos etiam officiorum minime ſis parcus, Tuique diſsimilis eſſe haud ſoleas apud illos, erga quos nimium beneficus eſſe non poſſis. Horum in numero eſt *Spanbemius* meus imo etiam Tuus: Tuus enim eſt, qui Te unice obſervat, ac colit, & a Te viciſſim obſervatur, quanquam ignotus. Obſervas quippe ac veneraris virtutem iam nunc in illo, quam nullibi contemptam habes. Dabam feſtina manu. Vale.

Hagae Comitum. MDCLXI. a. d. VI. Martii.

EPISTOLA XXIII.

AD *Langium* quas in Daniam curandas mihi commiſiſti, curatas eſſe ut cognoſcas, Vir Clariſſime, mitto hic epiſtolam eius, quae Te rei certiorem faciet. Mihi vero cum ante expectatum profectio in Sveciam ſit feſti-

ſtinanda, qui videbar nonniſi aeſtivo tempore illuc excurſurus, Te inſalutato pedem hinc movendum mihi haud quaquam duxi. Obſecro interim, ut quoties Tuis literis, quibus nihil ad me perferri poteſt iucundius, haud gravaberis me compellare, eas ad *Elzevirios* Amſtelodamum pergas mittere. *Plinium*, *Pighium*, alioſque libros Tibi promiſſos, in illorum manibus deponam, ut una cum *Naſonis* mei exemplaribus nonnullis, ubi is in lucem prodibit, ad Te perferantur. *Turrium*, ad quem Cl. *Vivianus* libri ſui exemplaria miſit, fruſtra iam non ſemel quaeſivi. Quare ab ipſo *Viviano* officii erit admonendus, ne me abſente libri aberrent, ac nobis pereant, quos in *Turrii* manus hactenus haud perveniſſe, perſuadeor ut credam. In *Holſtenii* morte maximam iacturam Literae fecerunt; De operibus *Vietae* ineditis (1) certio-

1 Proculdubio adludit ad *Franciſci Vietae* Viri Cl. *Harmonicon Coeleſte*, cuius duo exempla MSS. hac in Bibliotheca adſervamus: Unum Autographon eſt, lituris & lacunis ſcatens, indigeſtum, & informe: alterum ex eo nitidiſſime, & ſumma diligentia expreſſum, manum Gallicam praeſeferens. Titulus hic eſt. *Franciſci Vietae ad Harmonicon Coeleſte Libri quinque Priores. Elenchus capitum Libri primi. 1. Hypotheſeon delectus in Harmonico Coeleſti. 2. Aphoriſmi* Νυχτημεροῦ. *3. Recognitio* Προχείρου. *4. Refutatio Operis Palatini. 5. De motu Trepidationis. 6. Ad* Τριπλευρῶν πραγματεῖαν *perfectum Analemma.* Coetera deſunt. Archetypum hoc eſt, de quo *Iſmael Bullialdus* in Prolegomenis *Aſtronomiae* ſuae

tiora iis, quae perſcribebam nuper, haud datum eſt cognoſſe. Amicos omnes iubeo ſalvere. Doleo ante profectionem non licuiſſe mihi excutere veteres *Plinii* membranas, in Tuae ſpem gratiae, quod officium Tibi debebam: ſed cum abſentiam e patria meam non fore diuturnam ſpes ſit, praeſtari poſſe confido, quod non eſt preſtitum. Vale.

Dabam Hagae Comit. MDCLXI. a. d. XIIX. Martii.

EPISTOLA XXIV.

QVicquid librorum me ſingulari munificentiae Tuae acceptum referre voluiſti, id omne iampridem ſalvum, & incolume huc perlatum eſt, Vir humaniſſime; uti ex *Elzeviriis* Amſtelaedamenſibus cognoſſe potuiſti: neque ego tanto tempore apud Te diſſimulaſſem beneficium acceptum, niſi totus eſſem iamdudum in expectando reſponſo ad eas literas, quas Martio & Maio menſibus ternas

nas

Philolaicae haec ſcribit. *Vir Ill. Petrus Puteanus utendum olim dederat P. Marino Merſennio Religioſo Ordinis Minimorum, ut ipſius cupiditati, qua res novas, ac non vulgares appetit, morem gereret. Hic Vir optimus, ac facilis, a quodam viro non bonae fidei illo libro emunctus eſt; ita ut nec ipſum Puteano reddere potuerit, nec Reſp. Literaria fructum aliquem ex eo capere. Quandiu enim vixit iſte nec reddere voluit, nec copiam illius facere; &, ni fallor, meditabatur ſibi adrogare Vietae hoc opus, vero Auctoris nomine ſuppreſſo,*

nas ad Te dedi, additis ad *Cavalcantem*, *Falconerium*, *Chimentellium* eadem opera epiſtolis; quas omnes periiſſe in via nunc perſuaſum habeo, quando reſponſo ſuo fraudantur poſt tantum temporis intervallum. Nullas enim a Te toto hoc anno accepi, praeter duas, eaſque Martio & Aprili menſe exaratas. Sed ut revertar ad munus luculentum, quo me ornare voluiſti, ambabus ulnis id amplexus ſum arctiſſime, non tam ob ſui pretium, etſi ob id quoque; quam quod benevolentiae Tuae teſſeram certiſſimam mihi exhiberet. Pro *Apollonii Pergaei Conicis*, quae Sereniſs. Etruriae Princeps *Leopoldus* Tuae munificentiae addiderat, grates Celſitudini eius hic ago, quantas par eſt. Tu infantiae meae quod defuiſſe videbitur, facundiae Tuae officiis ſupple obſecro, & Magni atque ad aeternitatem Nati Principis benevolentiam conciliare mihi, uti coepiſti, perge. Poſt perlatas ad me Tuas, quas modo deſignabam, exaratas menſe Aprili, nihil omnino de amicis Italis cognoſſe datum eſt. Nam *Emericus Bigotius*, qui per regiones veſtras literarium, ut ſcis, commercium exercet frequentiſſimus, & me compellat haud rarus, totam aeſtatem Lutetia abfuit in Neuſtriam paternam profectus. Ita factum eſt, ut de rebus Gallicis Italicisque literaturam ſpectantibus, vivam ignariſſimus, non ſine plurima moleſtia, plurimoque cum ſolitudinis huius tam diuturnae taedio. Vltimis tamen literis ſignificabat idem *Bigotius*, de Lutetia repetenda denuo ſe cogitare, quo aut perveniſſe iam illum, aut mox perventurum eſſe auguror. *Chimentellii Pa-*

negyricus (1) mirifice mihi placuit, ſic ut illo ſemel iterumque perlecto ſatiari haud potuerim, ac iterandam ſaepius eandem lectionem mihi propoſuerim. A *Falconerio*, ex quo Tu tacere coepiſti, nihil accipio. Virum optimum hic compellavi, ſed paucis verbis. Tacent quoque *Spanhemius*, & *Gudius*. Ab hoc quas habui poſtremas, eae in Gallia ante Italicam profectionem erant conſcriptae. *Spanhemius* Decembri menſe anni proxime elapſi ultimum me compellabat. Vir eſt elegantis ſane ingenii, ſed cui periculum ingens incumbit ab aeſtu aulicae ambitionis, ad quod vivendi genus totus adſpiravit iam olim, cum literas humaniores profitebatur Genevae; nunc tanto magis adſpirat, quod apertum votis ac deſideriis ſuis campum eſt nactus. Huc ſpectant, quae Tu ultimis Tuis narrabas, de iactantia eius inſigni circa Nummos veteres Magni Etruriae Ducis, induſtria, uti praeſeferebat, ſua plurimum illuſtratos. *Inſcriptionum Veterum* volumen, quod *Carolus Moronus* publico iampridem parat, quando tandem viſuri ſimus, unice doceri cupio. Tum ſi quid praeter haec, aut apud vos, aut in Vrbe aeterna praelo typographico commiſſum eſt, quod haec antiquitatis ſtudia exornet augeatque. *Schoppii Minervam Sanctianam* Patavinis typis deſcribi *Falconerius*, ſi probe memini, poſtremis ſuis Florentiae exaratis, cum Patavio redux eſſet, ſignificabat. Mul-

1 *Valerii Chimentelli Panegyricus in Nuptiis Coſmi Principis Etruriae, & Margaritae Aloyſiae Aurelianenſis. Florentiae* 1661. f.

Multa *Meurſii* inedita me reperiſſe hic in Bibliotheca Regia, narrabam ultimis meis. *Laconica Miſcellanea* iam prodierunt. *Ceramicus* eiusdem, induſtria *Iohannis Georgii Graevii* edendus, lucem iam nunc ſpectat. Vpſaliae prodiit nuper admodum *Iohannis Loccenii Hiſtoria Svecica*, ad exceſſum uſque Regis Caroli Guſtavi nuperum producta. Prodibunt mox *Fabellae Phaedri* commentariis *Schefferi* illuſtratae. Vellem operam ſuam huc & *Gudius* contuliſſet, ſed toties per me rogatus, cum cunctetur, piget preces ulterius perdere nil profecturas. Idem *Schefferus Aeliani varias Hiſtorias* ſecundae editioni paratas habet: abrupit tamen ad tempus inchoatam operam, quod ſpem fecerit *Bigotius* noſter, ſeſe eius in gratiam, vetuſtum *Aeliani* codicem, qui Lutetiae exſtat in Bibliotheca Regia, cum vulgatis libris collaturum, ac ſcripturae diſcrepantias omnes huc miſſurum eſſe. Exſtat, ut audio, vetuſtae notae exemplar eorumdem *Aeliani* librorum in Medicea ad D. Laurentii Bibliotheca. Vtinam ſit apud vos, qui paucas eius voluminis pagellas cum vulgatis editionibus committat, commiſſaſque nobiſcum communicet ſpeciminis loco, unde colligamus, an & hunc codicem poſt Regias membranas totum excuti ſit neceſſe, quod vix puto. *Voſsius* noſter in Belgio *Varias Diſſertationes* edidit *Chronologicas*, *deque LXX. Interpretibus Sacrae Scripturae Commentarium*: qui libelli Theologicos crabrones iam excitarunt, & in illum armarunt non paucos. Praeterea *De Luce* opuſculum philoſophicum publicavit, plane paradoxum, & quod philo-

loſophi noſtri non magis concoquunt, quam Theologi libello iam a me memoratos. Vellem humanioribus ſtudiis adhaeſiſſet, ubi operam utiliorem poterat navaſſe. *Gronovius Tacitum & Livium* obſervationibus ſuis illuſtratos ſub praelo habet, etiam *Animadverſiones in Scriptores varios*. *Schelius*, cuius *de Caſtrametatione Romanorum* commentarios iam vidiſti, credo, e vivis exceſsit, maximo cum rei literariae, meoque danno. Parabat *Militiae Romanae partem alteram*, vir in ipſo aetatis flore nobis ereptus. Praeter hunc, aeſtate praeterita ſublatam mihi ſororem unicam lugeo. Tu vale, caput cariſsimum, & ut valere Te ſim certus, ſcribe, idque frequenter. Amicos omnes iubeo ſalvere plurimum. De *Gaddio*, & *Pricaeo* diu eſt, quod nihil audio. Huius *Commentarium in libros Novi Teſtamenti praecipuos* iam vidi. Cur non in omnes? Tu me, quaeſo, id doce. Scribebam Holmiae Svecorum MDCLXII. a. d. XIII. Novembr.

Virgilium a me recenſitum miſi iam ad *Elzevirios*; qui & *Claudiani* mei ſecundam editionem mox ſunt adornaturi. De *Symbolis Pythagoricis* reſponſum ab illis non habui; hodie ſcribam denuo.

EPISTOLA XXV.

LEntiſsime proceſsit editio Poematum meorum, cui aliae ex aliis procraſtinationes, praeter expectationem meam ac voluntatem, ſeſe ingeſſerunt, optime, ac amiciſsime *Date*.

te. Per has moleſtias eluctatis vix nobis, atque aliud plane ob turbatam Rempublicam agentibus, ſignificavit typographus, deſiderare ſe ſummo opere, ut libellum aliquanto maiorem facerem, ſive mei, ſive alieni foetus qualicumque acceſsione: Maxime vero congruam, atque opportunam rem ſibi videri fore, ſi meis Muſis ſubiungerem illa carmina, quae ab amicis mihi eſſent dicata. Non potui negare, quod paene cum convitio flagitabatur, quamquam diſiectis, ac diſperſis mirum in modum ſcriniis meis, multo labore, multoque tempore opus erat ad colligendos hinc inde amicorum luſus, quorum non pauca irrito conatu inveſtigavi, Veſtratium praeſertim. Quicquid obtulit ſe ſe nobis tamen; miſi ad *Hadrianum Vallium*, qui eorum editionem ſuſcepit, additurus & ſua, & *Kinſchotiana*, aliaque nonnulla, quae apud me non extabant. Et puto finem omnia haec iam ſpectare, ſi in lucem necdum prorupere. Quae cauſſa fuit, cur praeter ſolitum, tanto ſuperſederim tempore exarandis ad Te litteris, ternis interim Tuis ad me perlatis, quarum primae die XII. Maii, ſecundae IV. Auguſti, tertiae Ianuarii XIX. fuere exaratae: ex quibus omnibus maximam ſane voluptatem coepi, niſi quod pertinax illa valetudo Tua anxium me vehementer habet.

Virgilium ad auctoritatem ac fidem vigintiduum, aut trium exemplarium, quorum partem praecipuam amici huc ad me miſere, iam caſtigavi: ac loca veterum auctorum, qui *Virgilianis* verſibus aſſuerunt uti, pleraque excuſsi, ut ſcripturae diſcrepantias

etiam

etiam inde conquirerem, ac veras atque genuinas lectiones a falſis ſecernerem: quod non ſine plurimo labore a me eſt praeſtitum. Supererant evolvendi *Plinius* ac *Quintilianus*, cum paucis aliis; Tum illi Scriptores ex Grammaticorum turba, qui *Virgilium* ipſum Commentariis ſuis illuſtrarunt, quos inter *Servius*; ac *Donatus* principatum tenent: ſed abrupit iſtas cogitationes Bellum Britannicum, quod de rebus privatis, de Muſis multo minus cogitare me vix ſinit. Et tamen ad Parnaſſum nonnunquam devertor, ſed furtim & properanter. Epigramma ſuper mirando Arcis Pinaroliae, & *Fulketi* inter maximam ruinam ſoſpitis caſu, quod ultimum mihi excidit, hic mitto. Nam poemata mea hoc anno ad vos perventura eſſe, vix eſt ut ſperem. *Origines Hetruſcas*, quarum ſitim mihi accendiſti, utinam propediem videamus, cum iis, quae praeterea feliciter es enixus.

De Re Litteraria vix quicquam nuntiare nunc poſſum; quicquid tamen eius argumenti in mentem veniebat mihi, id omne epiſtola ad *Falconerium* a me exarata comprehendit. *Voſſius* totus in Philoſophicis eſſe pergit: quem neſcio quid ſcripti adverſus Dominum *de la Chambre* Medicum Magni Galliarum Cancellarii domeſticum, aiunt parturire. *Stanislaus Lubienius* (1) Eques Polonus, qui Hamburgi aetatem agit, varias Mathematicorum epiſtolas ad ſe datas ſuper *Re*

Co-

1 *Stanislai Lubienecii Hiſtoria Cometarum a Diluvio uſque ad annum* 1665. *ex ſynopſis quaedam Univerſalis Hiſtoriae. Amſtelod.* 1666. f.

Cometica collegit, eaſque publici iuris facit; addita eiusdem argumenti epiſtola erudita, qua *Olaus Rudbeckius* Vpſalienſis Medicinae Profeſſor me compellavit. In Germania paratur nova editio *Antiquitatum Iudaicarum Ioſephi*. Ego impoſterum frequentiores ad Te dabo; idem ut & a Te fiat, vehementer rogo. Ad *Falconerium* quas exaravi, mitto non obſignatas, ut & Tu cognoſcas, quae in iis nuntiantur. Sereniſs. Principi *Leopoldo*, quem nova dignitate auctum propediem, ut ſpero, videbimus, obſequia mea ut deferas, enixe a Te contendo. Tum ut amicos omnes meis verbis iubeas ſalvere plurimum. Iterum iteremque vale, mi *Date*, iucundiſsime. Exarabam Holmiae Svecorum MDCLXVI. XXVII. Febr. Gregor.

Immenſas moderatus opes, quas Gallia Regis
Vſibus indulget gratificata ſui,
Sed male deſtituens ſacrum, Fulkete, favorem
Rupe ſubalpina clauſus & arce lates.
Vita data eſt; plectuntur opes; & in exſule felix
Non minus ablatis, quod tibi reſtet, habes
Ecce repentino molimine fulmen adactum,
Carceris involvit ſepta lareinque tui.
Vno omnis periere vigil, cuſtoſque ſub ictu;
At reus in tanta ſtrage ſuperſtes eras.
Mille inter, Rex magne, rogos huic Numina parcunt,
In modo ſervatum quam nihil auſa caput
Exemplum tua grande datur Clementia coelo:
Aſſimulant placidam tela triſulca manum
Res tuta eſt & ſacra miſer: ceu triſte bidental
Fata hunc praetereunt relligioſa virum.

Haud

Haud tulit Aetheriae reverentia perdere flammae,
Tela quod adflarant iam graviora, caput
Poſt fulmen, Ludovice, tuum vindicta Deorum
Viſa ſupervacuas eſt poſuiſſe minas:
Ne lucem miſero violentus ademerit Aether
Muneris erubuit rem temerare tui.

EPISTOLA XXVI.

IAmpridem reſcripſiſſem ad Tuas longe incundiſsimas, Vir Eximie, niſi lectulus me ſibi vindicaſſet aliquamdiu adfixum, nunc quoque dubie valentem, nec ſatis confirmatum viribus. Sub vernam tempeſtatem ad Thermas Aquenſes excurrere decrevi, tentaturus, ſi debilitati pedum magis magiſque nutanti remedii quid, ut iubent ſperare Medicorum filii, inde ſit ſperandum: nam hiberna iam nunc ingruente tempeſtate, animus eſt obdurandus adverſus haec incommoda, & leniter ferendum, quicquid decernet ille, a cuius nutu nos homunciones pendemus toti. *Laurentium Pantiatichum*, elegantiſsimi mehercules ingenii virum, ex diuturna peregrinatione iam ad vos reverſum eſse auguror incolumem: quod ſi res ſic ſeſe habet, & ſalutem plurimam quin dici cupiam, non dubitabis. De itinere confecto certiora ubi cognovero, gratulabor illi, & ipſe per literas ſucceſſum. Ex quo ultimae meae Te convenerunt, altum inter nos eſt in Re Literaria ſilentium: niſi quod Bibliopolae noſtri occupantur aſsidui, in luce publica donandis *Deſcriptionibus Aſiae, Africae, Americae*, hacte-

ctenus iuris publici non factis, idque vernaculo ſermone: in quibus haud pauca occurrunt ab Hiſpanis ac Britannis minus obſervata. Aiebant, & nuper a Nautis noſtris Auſtralis Terrae incognitae partem non exiguam eſse detectam; ſed quam vere id iactetur, mihi quidem, qui domi lateo, hactenus non eſt ſatis compertum. Ex Ruthenis nuntiant amici, novam inde Legationem miſſam in Chinam: ſed ego de tota re propediem, quicquid indagari poterit, litteras dabo ad Sereniſs. Magnum Etruriae Ducem: cuius utinam curioſitate dignum, vel tantillum, ex oris iſtis barbaris tuliſsem mecum! Imaginem habeo Moſchorum Imperatoris vivis expreſsam coloribus: habeo & rebellis illius (*Stephanum Razin* vocant) nuper admodum ad me miſſam. Sed nihil in his maieſtate tanti Principis dignum. Habeo & condemnationis formulam, qua morti publice adiudicatus eſt Rebellis ille, in Metropoli Ruthenorum civitate Moſcua: etſi eumdem Sveci adhuc ſuperſtitem eſse, & late imperantem agnoſcunt; quod mihi haudquaquam ſit vero ſimile. Sed de hiſce alias. *Gronovius* poſt graviſsimum morbum, quartanae nuper denuo obiici coepit; unde fit, ut de capite eius plurimum ſolliciti ſimus. Vidimus hic nuper *Theſaurum Antiquarium Caroli Patini*, poſt editionem operis maioris eidem argumento dati. *Carolum Strozzam* ad plures abiiſse audio invitus: erat enim Vir cum officioſus in primis, & ad omnem factus humanitatem, tum litterarum amantiſsimus. Amicos communes plurimum ſalvere iubeo. Vale, amicorum ocelle.

Exarabam Hagae Comitum An. MDCLXXI. a. d. III. Decembr.

EPISTOLA XXVII.

HAbes profecto, ſi quis unquam, iuſtiſsimas expoſtulandi cauſas, ac graviſsimum in modum ſuccenſendi, Vir Eximie; quod provocatus ego lautiſsimis abs Te muneribus ſplendidiſsimiſque, ne tantilla quidem gratiarum actione tanto tempore apud Te defungar. Nam bimeſtre plus minus ſpatium iam effluxit, ex quo certiorem Te feci, appuliſse in vicinum nobis portum ſoſpitem ac ſalvam navem illam, quae munificentiae Tuae inſigne monumentum ferebat, etſi praeſentiſsimo verſatam in periculo, ne in manus inciderit piraticas. ac praedonibus vix elapſam longe rapaciſsimis. Expectabam, fateor, iam tum, ut explorata mihi argumentis haud paucis *Elzevirii* noſtri cura, ac ſollertia, commodis meis invigilaret; utque per illam mox fieret, ut libri ipſi ad me deferrentur. Nec deſiderari ille paſsus eſt ſperatum in ſeſe officium; ſed lite inter negotiatores iſtos exorta, qui navem merce onerarant, nos alienae contentionis poenas immeriti luimus. Hinc factum ut munus Tuum exoptatiſsimum oculis meis fraudetur hactenus; etſi de die in diem ſpes fiat, propediem liti tam odioſae ſupremam manum fore imponendam, aut iam eſse impoſitam. Hoc ignorare Te nolui, ut, ſi ſilentii noſtri diuturni cauſas excuſare apud Te non poſsum, non diſsimulem certe, aut ſi-

ſinam diutius latere, optimum meique ſtudioſiſsimum amicum. Speraveram quidem non longe quaerendam mihi fore opportunitatem, qua libellos nonnullos ex hiſce, qui nuper admodum apud nos prodiere, perferendos ad Te curarem; ſed & commercio propemodum omni itinera maritima video intercluſa eſse, & hoc tam iniquo patriae tempore, in operis typographicis minimum praeſidii eſt nobis: tantus animos omnium torpor, & ſumma litterarum occupavit oblivio penitus inter hoſce bellicos tumultus, quibus terra, marique premimur, infeſtantibus nos toto conatu Regibus duobus potentiſsimis e vicinia, ac Foederatorum manu omni, aut connivente ad hos inſultus, aut lentius, quam oporteret, ſuppetias ferente. Primos quidem incurſus hoſtiles fortiter mari repulimus, ac quodammodo confregimus; iamque ad ſecundum praelium navale accingimur, haud quaquam animis deiecti: ſed terra ut aequis concurramus viribus, adverſus tot ac tantos hoſtes, non multum ſpei eſt nobis reliquum: niſi Caeſar concitatis in partes Germanis Principibus, auxiliator adſit propediem, atque evigilare incipiat, excuſso omni veterno, quo immane quantum hactenus adflatur. Sed omiſſis hiſce tam ingratis triſtibuſque, praeter *Monumenta Paderbonenſia* Reverendiſs. Principis *Ferdinandi Fuſtenbergii*, veterem hiſtoriam illius Dioeceſeos complexa; ac *Poemata ſeptem Illuſtrium Virorum* auctius aliquanto typis apud nos Elzevirianis deſcripta nuper; *Svetonium Grevii* noſtri ſervari Tuis uſibus apud me ſcito: quibus & alios libellos ſum

additurus; atque in hiſce *Virgilium* noſtrum fortaſsis, in quo pauca admodum ſuperſunt edenda, niſi mittendi via omnis praecludetur nobis ab hoſte. Epiſtolico interim commercio aditus haud quaquam defuturos, eſt cur augurer. Ad Cl. V. *Laurentium Panciatichum*, proxime decurſis menſibus bis ſcripſi; quas litteras non aberraſse in via poſſum ſperare, quamquam nullas ego accepi omnino a tam caro capite, ex quo digreſſus eſt Francofurto, ut ad ſuos contenderet in Etruriam. Salveat is, quaeſo, plurimum cum reliquis amicis. Viris praeſtantiſsimis *Danti Caſtilionaeo*, & *Paulo Falconerio*, Magni Principis beneficentia ſingulari, fortunas egregium in modum adauctas gratulor, ac porro adaugendas voveo: ſunt enim digniſſimi, quibus ex voto omnia proveniant ſecunda.

Egeram non ita pridem per litteras cum *Elzevirio*, ac hominem rogaveram, ne gravaretur ſciſcitari *Feronium* res Magni Etruriae Ducis apud Amſtelaedamios agentem, ut noſti, ſi quid occaſionis eſset in promtu, per quam *Monumenta*, quae dixi, *Paderbonenſia*, ac *Septem Illuſtrium Virorum Poemata* deferri commode Florentiam poſsent. Velle enim me utriuſque voluminis copiam quamprimum fieri, in teſtificationem obſervantiae meae numquam intermoriturae, qua Sereniſsimo Magno Duci, qua Sereniſsimo Cardinali ab Etruria. Qua in re is ipſe *Elzevirius* adeo praecipiti conſilio eſt uſus, ut cum ex *Feronio* cognoviſset, navem ſtare in procinctu Etruſcos iam iam adituram, bina

li-

libri utriuſque exemplaria, quae amicis in Germaniam mittenda a me acceperat, Florentiam me inconſulto miſerit, cauſsatus praeſentiſsimum in mora periculum fuiſse, ne ceſsanti ſibi navis elaberetur. Quod moneo nunc, ut, cum patebit Tibi opportunitas conveniendi Principem utrumque, facti invidiam omnem, quantum poteris, a me avertas. Maiore enim ornatu excultum munuſculum, nec quotidiano veſtitum amictu, tantis Heroibus debuit offerri. Quod factum bilem haud modicam concitavit mihi, illo interim in temporis ſummas anguſtias culpam feſtinationis convertente. Dabo operam nihilominus errori corrigendo, ſubmiſsis aliis exemplaribus propediem.

Octavii Ferrarii de Re Veſtiaria partem ſecundam prodiiſse, didiceram ex amicis, nec vidi hactenus tamen, quod apud Haganos venalis non proſtet. Amſtelodami opinor inveniri poſse hunc librum, quo per valetudinem excurrere mihi hactenus haud quaquam eſt datum, ſed dabitur propediem, quando librum inveſtigabo. Audio *Albertum Rubenium* inclementius aliquanto illic haberi; & factum nolim. Erat enim Vir, ut elegantis, ſic candidi, ac minime contentioſi ingenii. Iam vero cum ſcriptis poſthumis, a quibus abſit ſuprema auctorum manus plerumque ac lima, benigniter agendum, non eſt quod Te doceam. *Orationes* ac *Epiſtolas* eiusdem *Ferrarii*, oppido venuſtas, Leida ad me ferendas iam curavi, in auctione Bibliothecae neſcio cuius divenditas. *Voſsius* totum biennium iam haeret in Britanniis. *Theodorus Rychius*

Gronovio ſucceſsor datus eſt in Profeſsione Bonarum Artium apud Leidenſes. Hunc in Italia noviſse potuiſti: novit certe familiarius *Panciatichus* noſter. Ego etſi a multo tempore iam eiuraram quodammodo Muſarum ſacra, hoc praeſertim tam funeſto tempore, non potui tamen rogatus deeſse flagitantibus amicis neſcio quid Epigrammatici luſus in imaginem Principis Arauſionenſium, quem hic vides. Vale, optime, & candidiſsime amicorum. Exarabam Hagae Comitum An. MDCL-XXII. a. d. XII. Iunii.

IN IMAGINEM CELSISSIMI ARAVSIONENSIVM PRINCIPIS.

Ecce tibi Iuvenem, quo Belgica vindice rurſus
Gloria ſe Famae conciliata levat.
Quem libertatis fundator ſanguis avitae
Implet, & exemplis raptat ad alta ſuis.
Sit vivax: iam laurigeros tibi, Belga, triumphos
Hunc plena videas annumerare manu
Vincere cui patrium eſt, quid non ſibi ſperet ab armis?
Nunc capit ingentes, mox ſuperabit, Avos.

EPISTOLA XXVIII.

I*Acobi Gronovii* fortunis in Etruria tam benigne per vos proſpectum eſſe, laetor equidem, ut qui maxime. Praeſertim cum bella, quae nuper apud nos exarſere, ita attriverint rem publicam, ac familiarem nobis omnibus, ut optime cum illis agi exiſtimem,

qui

qui foris circumſpiciunt ſibi, unde vivant; quando domi, ut nunc ſunt tempora, magnis anguſtiis exponuntur. Iuvenem eruditum, & praeclara ſpondentem, ſi vivat, ſed in publico parum hactenus verſatum, dum libris ſuis ſtudiiſque in domo paterna adfixus haeret tenacius, alieni indigere conſilii ſum certus. Sed ut cum parente eius plurima, & tantum non fraterna neceſſitudo interceſſit a teneris mihi; ſic cum illo, ob diuturnam meam a ſolo natali abſentiam, aut nulla, aut certe parca. Quid quod non defecerunt, qui ſignificarint mihi, eſſe illum animo a me alieniore, ob commendatione mea inſtructum apud Curatores Academiae Leidenſis *Theodorum Ryckium*; qui *Gronovio* patri vivis ſubducto ſuffectus eſt ſucceſſor; quando filius peregrinationibus ſe dabat: Qua tamen in re ſententiam patris ipſius ſum ſecutus. Certe toto peregrinationis tempore, non niſi ſemel iterumque per litteras me compellavit. Quae omnia huc ſpectant, non ut arbitreris me parum velle illi, cui faveo eximium plane in modum, ſed ut habeas compertum quodammodo, non eſſe auctoritatem meam tanti apud illum, ut ſperare auſim, profici per eam monitis, utcumque fidis, vel minimum poſſe. Confugi igitur ad *Graevium* noſtrum, cui longe eſt familiarior. Is me ſuaſore iam per litteras cum illo egit, atque eſt hortatus, ut & caute vivat, & ſe dignum praeſtet exiſtimatione illa, quam vos de eius doctrina ac virtutibus ſingularem concepiſtis: tum Te prae ceteris ut audiat, Tibi totum ſe tradat, a quo non niſi ſaluberrimis conſiliis ſit

inſtruendus. Vides cauſam, cur tardius ad poſtremas Tuas, Virorum elegantiſſime, reſcribam, quae in hoc uno argumento occupabantur. Adeſt nunc nobis *Laurentius Magalottus* (1) veſtras, ſuaviſſimis cultiſſimiſque vir moribus, in cuius laudes me non diffundo, cum digne ſatis vix poſſim. Miſi proxime ad Sereniſs. Magnum Etruriae Ducem Catalogum Bibliothecae ſatis inſtructae, quam per partes, hoc eſt, libros ſingulos, alium ex alio, ſecundum ipſius Catalogi ordinem, diſtrahendos fore audio a. d. VII. Maii menſis, ut uſus apud nos ſolet obtinere. Eius copiam facili negotio impetrabis. Intelligo apud vos e vivis exceſſiſſe *Andream Cavalcantem*, ac Priorem *Oricellarium* viros per quam inſignes, non ſine ſingulari meo dolore. Cui cumuli non parum acceſſit, ex quo nuntiatus mihi quoque eſt obiiſſe *Iohannes Capelanus*, quo ego amicum rerum mearum ſtudioſiorem non poſſidebam. Omitto alias viri virtutes, quae illum immortalitati temporum, ac famae merito conſecrarunt. Coeterum non eſt, quod expectes de Re Litteraria addendum a me nonnihil fore; iacet enim illa inter nos, & iacere perget, niſi tempeſtatis bellicae hanc nubem, qua premimur, Deus melior avertat. *Iſaaco Voſsio* in Britannis & Canonicatus optimus obvenit a Rege, & ab Amico quodam haereditas, perquam ampla, ut aiunt. Poſt pacem Britannicam nos

1 De viro hoc praeſtantiſſimo et magno Florentiae ornamento V. *Negri Iſt. degli Scrittori Fior.* 370. Nos aliquot eius Epiſtolas edemus.

nos reſpirare nonnihil iam incipimus: utinam & Gallicana mox ſequatur! Sed metuo, ne vota haec plane improba, ac invidioſa poſſint videri, poſt res adverſas, quibus hactenus obiecti ſumus. Amicos omnes iubeo ſalvere. Vale, *Date* optime, & in meis numerari perge.

Exarabam Hagae Comitum MDCLXXIV. XVI. Martii.

Ianuarii menſis die octavo poſtremae meae ad Te abierunt.

Nunc accipio Tuas iucundiſsimas cum Indice Librorum, de quibus comparandis diligenter cogitabo.

INſequens Heinſii *Epiſtola ad* Lucam Holſtenium *Hamburgenſem* Franc. Card. Barberinii *a Bibliothecis, deinde Vaticanae Bibliotb. Cuſtodem, autographa eſt, & neſcio quomodo in* Magliabechii; *vel* Datii *manus pervenerit*. Holſtenii *Epiſtolas ad* Heinſium *edidit* Burmannus *in Tom. V. ſuae Collectionis: Nos unam ad Magliab. datam edemus*.

NI-

NICOLAI HEINSII

EPISTOLA

AD LVCAM HOLSTENIVM.

Ex Italia poſtquam digreſſus ſum, nihil literarum, fateor, ad Te dedi, Celeberrime, & Summe Vir. Cuius tamen rei cauſam, neque ſupinitati meae ullo iure poſſis adſcribere, neque oblivioni eorum beneficiorum, quae ſane luculenta me debere Tibi probe etiamnum recordor. Sed diffidebam quodammodo hoc interpellatorii, ut ſic dicam, officii genus acceptum Tibi fore, homini nunquam otioſo. Metus praeterea erat, ne ſingulare illud Tui demerendi deſiderium, quo flagravi hactenus, vanae ac ſuperfluae nonnihil oſtentationis praeſeferre videretur, ſi id iſtis e locis apud Te profiterer, ac teſtatum relinquerem, in quibus promovendorum commodorum tuorum conatui nullus eſſet ſperandus ſucceſſus. Apud *Auguſtam* tamen Principem, quae nunc vobis adeſt, virtutibus Tuis depraedicandis liberaliter indulſi, quoties occaſio ſic tulit: quod non tam Tibi datum eſt, cuius teſtatiſſimam orbi univerſo eruditionem meae haud egere commendationis ſatis agnoſco, quam mihi ipſi, ad quem voluptatem inde non parvam, pro ſummo meo erga Te adfectu, redundare ſentiebam. Nunc cum ad meos ſim reverſus, apud quos librorum earumque rerum, quibus potiſſimum

de-

delectaris, minor eſt inopia, quam inter Martiales Septentrionis filios, non ſine fiducia aliqua a Te contendo, ut ſi quid hic terrarum in rem Tuam videbor poſſe, id ne graveris pro auctoritate mihi iniungere. Diſceſſus ex Svecia meus aeſtate praeterita nequaquam fuit proſper, aut ſecundus: nam & cum atrociſſima tempeſtate luctatus ſum in Mari Baltico, quae minimum aberat quin certiſſimo nos obieciſſet naufragio, niſi Gedanenſis portus commodum ſe aperuiſset, in quem adfecta iam diuturnis iactationibus valetudine, reciperemur. Delatus ego aeger in terram, multo illic tempore decubui. Confirmatis demum utcunque viribus, iter propoſitum quidem perfeci, ſed ſic, ut ad meos vix reverſum recidiva opprimeret, cum qua etiamnum mihi res eſt: niſi quod continua in quartanam nuper ſe mutarit. Haec quoque paulatim remittit aliquid a ſolita pertinacia, ut inſtaurandae ſub vernum tempus valetudinis ſpes non vana adfulgeat. Dum interim a rebus ſeriis per morbum avocor, Bibliothecae meae in ordinem redigendae ſedulus incumbo. Ea occupatio identidem me admonet iacturae, quam feci hyeme praeterita, amiſsis naufragio omnibus tam antiquitatibus, quam libris, quos Romae magno ſtudio ante triennium collegeram. Spes tamen eſt, reſarciri utcumque damnum id poſſe, ſi tantum mihi, Vir ſumme, in Te reſtat praeſidii, quantum promiſiſti non ſemel fore, ſi Tuam operam in conquirendis libris aliquando tentarem. Audebo autem eam tentare, quamprimum permittet valetudo, ut Amſtelodamum

mum excurram. Quaerendus enim illic mihi eſt non nemo ex turba negotiatorum, qui per *Giſbertum Pollium* tantum pecuniae curet Tibi annumerandum, quantum ad hanc rem ſatis erit; cum ſine nummis emi nihil probe intelligam. Quosdam interim hic notavi minus obvios, nec faciles inventu, ut mihi a Te addicantur, ſi eos alicubi venales offenderis. Praecipui hoc beneficii, & quo maius ſperare vix poſſim, loco mihi erit: nec intermittam rimari ac captare occaſiones, *quibus* Tuae viciſſim utilitati a me conſulatur. *Gronovius noſter* totus eſt in Pecunia Romana illuſtranda, cuius argumenti commentarium praelo commiſit mox ad Te venturum. Poemata mea diu eſt quod Romam ad Te perferenda curarim: quibus quid ſit factum haud ſcio. Exhibebas mihi olim Indiculum eorum Numiſmatum, qui inter Nummos Conſulares Eminentiſſimi *Barberini* deſiderantur: Eum ſi mecum communicaris, conabor Principi Literarum amantiſſimo gratificari, & aut ex meis ſupplebo, quicquid illi deeſt, aut aliunde conquiram: multi enim Nummi effodiuntur ſubinde apud vicinos nobis Sycambros. Vale, ſcientiarum columen certiſſimum, & me ſolito ſtudio complecti ac fovere pergo.

Dabam Hagae Comit. MDCLVI. a d. V. Ianuar. **

Tibi devotiſſimus
Nicolaus Heinſius.

AN-

ANdreae Cavalcantis *ad quem ſcribit* Heinſius, *& cuius pluries mentionem facit in antecedentibus Epiſtolis*, *Elogium vide apud* Rillium Notizie degl' Vomini Illuſtri dell' Accademia Fiorentina *pag.* 351. *&* Negrium Iſt. degli Scrittori Fior. *pag.* 33. *His autem opportunum viſum eſt adnectere, quae* Io. Cinellius *in ſua* Iſtoria degli Scrittori Fiorentini *anecdota memoriae conſignavit*. *Ait itaque*. Andrea Cavalcanti Letterato non volgare, e della Greca, e Latina Lingua intendentiſſimo, Amico delle Lettere, e delle Muſe, onde di raccorre, e mettere inſieme Libri ſempre cercava. Fu ſeveriſſimo cenſore delle Opere altrui, & andava gli fatti tutti della Città notando, e ſcrivendo. Fu dell'*Accademia dell' Urna*, che dalla bontà di *Ferdinando II.* fu abolita, uſandoſi in quella trarre a ſorte dall' Urna un imborſato cognito alla Città, ed a tutti, e ſopra quello ch'ogni tornata era tratto, da tutta la Converſazione diſcorrevaſi, la natività, e la ricerca di Caſa in ogni menomiſſimo cantone minutamente facendogli. Scriſſe molte Opere, ancorchè poche ſtampate, come l' *Eſſequie del Principe Franceſco di Toſcana Fratello di Ferdinando II.* ſtampate in Firenze con figure di

Stefano della Bella 1534. *in* 4. Vanno attorno di ſuo molte curioſe *Narrazioni di caſi ſeguiti in Firenze*, con gran proprietà di Lingua ſcritte; e fra le altre le ſeguenti. (*Eas not recenſere ſuperſedemus, quod ad Familiarum quarumdam infamiam pertineant*) In oltre ſcriſſe le *Vite d' alcuni Poeti*, come di *Curzio da Marignolle*, *Bernardo Segni Storico*, *e Franceſco Ruſpoli*, ſopra i di cui *Sonetti* ha fatto un curioſiſſimo *Comento* (*Autographum in Biblioth. Magl. adſervatur*). *Alcune Novelle*. *Il Giornale di tutto ciò, che ſuccedeva di poco orrevole in Firenze*, chiamato *il Prioriſta per Bilancio*. *Molti Elogii Latini*. Fu egli, che mandò all' *Ottingero* le *Vite de' Filoſofi e Medici Affricani ſcritte da Gio. Leone Affricano*, cavate da un MS. della Libreria di S. Lorenzo, e dallo ſteſſo *Ottingero* ſtampate nel ſuo *Bibliotecario*, benchè ivi non dica d' averle dal *Cavalcanti* nè per immaginazione ricevute. Fanno di eſſo menzione *Benedetto Mariotti*, l' *Ottingero* nel ſuo *Bibliotecario*, l' *Heinſio* nelle *Poeſie*, il P. *Aproſio* nella *Biblioteca Aproſiana*. L' Autore ſuo favorito era *Petronio*, del quale ſi gloriava di avere tutte le parti di eſſo alla mente, onde ne ſcriſſe il *Livizzani*,

Ed a mente ſapea tutto Petronio.

Ed un altro

Et precipue il ſatirico
Dell' arguto Petronio
Lo ſtudiò sì, che nella mente il fiſſe,
Come l' eſimio Livizzan già ſcriſſe.

E per

E per tal familiarità con Petronio, *il noſtro Petronio* chiamare il ſolea, della qual coſa Carlo Dati Uomo aſſai bilioſo, ſentendo ad ogni parola replicar *Petronio*, con l' adiettivo di *noſtro*, sdegnoſamente in mia preſenza più volte riſpoſegli: *dite pure il voſtro, perchè io non ho che ne fare*.

NI.

NICOLAI HEINSII

EPISTOLA

AD ANDREAM CAVALCANTEM.

* * * * *
* * * *

ANDREAE CAVALCANTI

PATRICIO FLORENTINO

NICOLAVS HEINSIVS S. P. D.

N*Aſonem* recens a me luci traditum, & caſtigatum locis non paucis, ad Te perveniſſe, Vir praeclare, gaudeo vehementer, ac laetor. Nam ſi quid laudis gloriaeque ſperandum mihi eſt ex labore hoc improbo, ac moleſto, eius partem Tu, iure optimo, Tibi vindicare, & aſſerere potes non minimam, cum conatus noſtros ſubſidiis haud contemnendis, ex inſtructiſſima Bibliotheca Tua depromptis, foveris atque ornaris: quod uberius pleniuſque teſtabor aliquando, ſi dabitur hanc telam curis ſecundis penitus detexere. Equidem ſtudiis hiſce libenter ſoleo indulgere, & largiri, quicquid temporis publicis occupationibus ſubducere, ac furari datur. Sed membranarum veterum copia cum non ſit in promptu, vix cogitationes noſtrae ad frugem perveniunt, aut maturéſcunt. Reſtant quippe in optimis Scriptoribus quibuſque plura caſtiganda, quam

homines plebei, & ſemiliterati habent perſuaſum, aut credi ab iis poteſt. Quod meis ad *Maronem* obſervatis aliquando, uti auguror, liquidius evincam ac palam faciam. *Antonii Magliabechi* elegantiſſimi doctiſsimique Iuvenis mentio, opportune admodum a Te iniecta eſt, cuius eximias dotes cum omnes uno conſenſu apud me depraedicent, qui eas proprius perſpexere, non poſsum non dolere, & cum fortuna expoſtulare, quae viros in Civitate veſtra tot praeſtantes mihi conciliarit, hunc unum voluerit a me ignorari. Eum certe ut cognoſcerem, ac plene fruerer praeconiis, quae in illum cumulatim conferunt quicquid Amicorum meorum ad Etruſcos defertur, Italiam denuo repetendam mihi proponerem, niſi avocarent me invitum ab hoc propoſito occupationes publicae. Salveat interim Vir eximius, ac certum habeat, me virtutum ſuarum ſtudioſo nemini concedere.

De iis, quae per Belgium, Germaniamque publico parantur a Viris Literatis, iam copioſè perſcripſi ad *Datum* noſtrum, quae omnia ex illo Tibi dabitur cognoſcere. Hic terrarum iacent omnino Literae; erigit tamen eas nonnihil, & ab interitu vindicat *Io: Scheffferus*, editurus brevi Fabellas *Phedri* oppido elegantes & venuſtas, ut ſcis, Commentariis ſuis illuſtratas. Ego ad intermiſſum multo tempore ſcriptionis officium poſtliminio revertar; id enim luculenta Tua in me merita poſtulant, id affectus quo Te maximo complector, requirit. Vale, ingens Etruriae tuae ornamentum. Exarabam Holmiae Svecorum MDCLXII. a d. III. Maii Gregoriani.

IOAN-

IOANNIS GEORGII GRAEVII

EPISTOLAE

AD ANT. MAGLIABECHIVM

EPISTOLA I.

Viro Illuſtri & Celeberrimo

ANTONIO MAGLIABECHIO

S. P. D.

IOANNES GEORGIVS GRAEVIVS.

INdignor *Tullianas Epiſtolas* [1] quas argumentum mei in Te perpetui amoris anno ſuperiore miſeram, non eſſe recte curatas. Nunc aliud iuſſi *Floro* & *Triumviris Amorum*, quos nunc mitto, cum *Orationibus* quibus parentavi *Regio* & *Burmanno*, adiici ab Elzevirio. Spero meliore ave hos libros ad vos prodi-

1 *M. Tullii Ciceronis Epiſtolae ad Familiares ex recenſione & cum Animadverſionibus Io. Georgii Graevii, & cum Notis varior. &c. T. 2.*

turos. Mitto etiam *Florum* & *Catullum*, & Tibi, & Magno Duci cum Epiſtola ad Sereniſsimum Magnum Ducem, quos tu ornabis verbis, non quod mereantur ornari, ſed quia mihi perſuaſi Me a Te ſingulariter amari. Cuius Tui in me ſtudii pignora certiſsima habeo & litteras plenas benevolentiae non unas, & tot, quibus meam auxiſti bibliothecam, egregiis muneribus, pro quibus quantum Tibi debeam cognoſces aliquando ſi vivo. *Gronovio* noſtro hanc felicitatem, quae nunc apud vos fruitur, inviderem, ſi poſſem homini, quem & parentis, & ipſius probitatis cauſa tenerrime amo, invidere. *Columellam* vetuſtiſsimum, ſi mecum communicare volueris, ut & *Alcaſſarii Ephemeridibus* meam ſuppellectilem librariam auctiorem reddere, magnus cumulus Tuis in me meritis accedet, & ego dabo operam, ut *Columella*, ſimul ac eo fuero uſus, ad Te redeat ſalvus, & omnes intelligant Te non male poſuiſse beneficium. Prodiit hic *Braunii veſtitu Hebraeorum Sacerdotali* Commentarius non indoctus, in quo in primis reſtituit veterum artem texendi tunicas rotundas inconſutiles. Noſti, ut exercuerit & veteris Ec-

Amſtelod. & Lugd. Bat. 1676. 1677. *in* 8. *L. An. Flori Rerum Romanarum Epitome ex recenſione & cum notis Io. Georg. Graevii. Traiecti Batav.* 1686. *in* 8. *Catulli, Tibulli & Propertii opera ex recenſione Io. Georg. Graevii, & cum notis varior. Traiecti ad Rhenum* 1680. in 8. *Io. Georg. Graevii* Oratio *funebris in obitum Franciſci Burmanni. Vltraiecti* 1679. in 4.

Eccleſiae Doctores, & noſtra ingenia, quaeſtio de Chriſti tunica ἀῤῥάφῳ: Ea nunc procul dubio deciſa eſt. Propediem praela ſubibit *Giſberti Cuperi ἀποθέωσις Homeri*, complures ante annos apud vos eruta, Eruditis Annotationibus illuſtrata, cui non pauca alia accedent antiquitatis monumenta, in quibus explicandis deſudavit. Patris *Simonis Hiſtoria Critica Veteris Teſtamenti* Lutetiae damnata brevi Gallice & Latine prodibit. Sed ex Gallia expectatur quoque eius confutatio. *Sponii Genevam* &. *de Aris Ignotorum Deorum* libellum credo Te vidiſſe. Audio prodiiſse quoque *Specimen ſelectarum inſcriptionum*, quod nondum vidi. In Germania *Auguſtinum* & *Hieronymum* edent, & recudent *du Cange Gloſſarium Latino-barbarum*. *Epiphanio* quoque manus admovebunt, praeſertim ſi notas ineditas, quas *Pariſienſes* promittunt, acceperint. Spero me brevi hic habiturum tertium tomum *Plinianarum Exercitationum Salmaſii*, qui de herbis, arboribus, & fructibus agit; eius enim ſpem mihi fecit *la Mare* Senator Divionenſis: ſimul ac habuero typis Amſterodamenſibus mandabitur, cum caeteris ante hac editis. Plura vellem, ſed cogor abrumpere accinctus itineri ad Illuſtriſsimum Principem & Antiſtitem Monaſterienſem, ad quem, amantiſsime ab eo invitatus, nunc advolo Tuas ei oſtenſurus litteras. In tuum faſcem conieci quatuor alia *Flori* exemplaria: duo deſtinavi Patavium *Ferrario*, & *Patino*, duo Romam *Gradio*, & *Paullo Falconerio* tradenda: litterae ut propediem ſequantur dabo operam. Si commodo Tuo, cum occaſio aſ-

T 3 ful-

fulſerit, viris eximiis, quibus inſcripta ſunt, reddenda curaveris, nova fiet, eaque grandis acceſsio Tuorum infinitorum in me meritorum. Vale decus meum & Italiae unicum, & me ama. *Floro Ferrario* deſtinato adiice, quaeſo alterum *Orationis funebris in Regium* exemplar. Iterum vale & feſtinationi ignoſce. Traiecti ad Rhenum Kal. ſextil. CIϽ. IϽCXXC.

EPISTOLA II.

IAmpridem ego vim ingenii Tui, doctrinaeque immenſae copiam vehementer admiror, quod cum multis mihi eſt commune. Nam Tuarum virtutum fama latiſsime diffuſa plurimos ubique gentium cum admiratores, tum buccinatores Tuarum laudum excitavit: ſed nihil tamen in maiorem me rapit admirationem, quam illa ſingularis & mirifica Tua in amando conſtantia, prolixaque illa ac benefica natura, qua mortales omnes ſuperas, & proxime ad Deos accedis. Quid enim fingi poteſt divinius ac liberalius, quam quod me, qui Tibi propter tantam ſcribendi intercapedinem videri poteram omnem officii curam abieciſse, praeſertim tot litteris amantiſsime ſcriptis provocatus, non modo non accuſas, non modo non frigidius amas; ſed novis ſubinde cumulas beneficiis & muneribus, novas eaſque crebras effuſi in me ſtudii das ſignificationes? In omnibus Tuis litteris eſt illa mirabilis Tuae humanitatis effigies, quae talem animo meo

de

de Te ſpeciem impreſsit, ut licet Te numquam viderim, quotidie tamen Te ſic videam, hominem magni animi, & qui natus eſt ad omnes bonos, & bonis artibus deditos complectendos, & omni liberalitatis genere ſupra huius ſeculi captum proſequendos, perinde ac ſi oculis ſemper Te cernam. Hinc facile intelligis quoque quantam mihi in Te colendo & obſervando conſtituerim pietatem, quam Te feram in oculis, quid ſemper de Te in omni ſermone, cum de noſtri temporis ornamentis loquor, praedicem. Sed quid Tibi hoc perſuadebo, cum illud diuturnum ſilentium, tanquam teſtimonium indubium his verbis fidem deroget? Fateor me graviter peccaſse, non quidem oblivione Tuarum virtutum & meritorum; facilius enim mei obliviſcar, quam Tui; non languore amoris, niſi enim Te amarem, mihi ipſe inviſus eſſem, ſed fatali quadam ceſſatione, diem de die differens, & captans occaſionem ſingulari quodam documento teſtificandi meam obſervantiam & fidem, quamvis non nulla culpa ſit etiam fortunae mihi ſemper adverſae, quae litteras meas ante menſes aliquot ad Te datas, & communi amico *Iacobo Gronovio* commiſsas interceperit. Sed haereo, ſudo. Nullus enim crimini, quod in me admiſi praetextus poteſt obtendi. Fortunae vitium erat penſandum alia ſaepiuſque iterata ſcriptione. Itaque ad Te tuam illam omnibus laudatam, illam mirificam humanitatem tuam allego, quae me a Te deprecetur & meritae noxiae veniam impetret. Ne in poſterum in hunc lapidem iterum impin-

gam mihi erit curae. Aſsiduitate & crebritate litterarum non ſolum omnes tui ſtudioſos homines, ſed & tuam vincam expectationem.

Columellas antiquos, quos negotiatori Gallico Liburni degenti credidiſti nullus vidi. *Blaevium* Amſterodami ſollicitavi, cui ille mercator ſarcinam variis mercibus gravem miſit, ut ex *Blaevii* litteris intellexi, ut indagaret mihi inſcriptum faſciculum. Reſpondit nullam eius fieri mentionem in Epiſtola Galli ad ſe data, nec ſe quicquam de eo poſse cognoſcere, ut verear, ne fortuna, quae noviſsimas meas litteras perdidit, huius quoque praeſtantiſsimi, & deſideratiſsimi muneris tui fruſtra me defraudet, quo nihil mihi poſsit accidere acerbius. Expectatio enim horum antiquorum Codicum me ſola remoratur, ne in editione *Columellae* tanto ſtudio pergam, quanto volebam. Tibi tamen non minus debeo, ac ſi mihi reddita eſsent, quae mihi liberaliſsime deſtinaſti. Ex mercatore tamen poterimus forte reſcire, num etiam nunc Liburni haereant iſti libri, ſin, cui nautae ſint perferendi traditi, & ad quem Amſterodamum miſſi: ſi forte ex latebris fugitivi poſsent retrahi. Brevi habebis *Epiſtolas ad Atticum*, quae non longe poſt tantas moras abſunt a carceribus. Videbis etiam mox *Iuſtinum* a me denuo recenſitum, cui attexuntur *Tanaquilli Fabri*, *Schefferi*, *Vorſtii* notae, quae poſt meam editionem prodierunt. Horas vacuas nonnullas impendo Adverſariis meis excutiendis, & in uno alterove libello variarum animadverſionum contexendo, quos forte brevi publicabo. *Heinſianae Bibliothecae*

Ca-

Catalogus (1) nunc typis deſcribitur. Eius vitam literis mando. Non poſsum enim amiciſsime homini hoc pietatis munus debere. Sed de his aliiſque proxime pluribus Tecum agam. Nunc video mihi abrumpendum eſse, ne litterae nimis tumeſcant. Vale, Vir ſumme, & Tibi perſuade neminem eſse, cui Tui amore, & cultu concedam.

Traiecti d. XX. Iun. CIƆIƆCXXCII. Dionyſiar.

EPISTOLA III.

PArcus quidem & infrequens cultor ſum officii litterarii, animus tamen meus in Te colendo nunquam ceſsat, nunquam friget. Si feneſtra pateret per quam inſpici poſset, quod *Momus* optaſse fertur, videres in illo tanquam in templo quodam dedicatas eſse Tuas eximias virtutes & eruditionem. Nec ullam praetermitto, quaecumque datur occaſionem apud alios praedicandi quanta mea ſit in Te ſuſpiciendo obſervantia. Habitas enim, ut ſic dicam, in ore meo, nec ex ulla re maiorem capio voluptatem, quam ex Tuis laudibus, quas audiunt ex me, quibus cum de litteris ſermones confero. Huius perpetui mei in Te ſtudii & prolixae voluntatis teſtes hic vides Nobiliſsimum *Meinderſium* (cuius parens Potentiſſimo Brandeburgenſi Octoviro S. R. Imperii eſt a Conſilis interioribus, om-

1 *Bibliotheca Heinſiana ; ſive Catalogus Librorum, quos, dum viveret, collegit Nicolaus Heinſius. Lugd. Bat.* 1681. bis prodiit in 12.

clari viri, tuliſsent etiam Tibi *Suetonium* meum curis ſecundis recenſitum, & multis acceſsionibus notarum mearum amplificatum, ut & *Tullii* libros *de Officiis*. Sed ſpero brevi alios ad vos excuſuros, quorum fidei hos libros credere poſsim. In *Ciceronis* operibus perpoliendis etiam nunc desudo. Lugduni noſtrae nuper lucem vidit *Polyaenus* a *Mazzoykio*, qui Delphenium Gymnaſio praeeſt, ex veſtris & Anglicanis Manuſcriptis longe emendatior. *Heſychii* novam editionem *Danielis Heinſii*, *Henrici Valleſii*, multorumque aliorum doctiſsimorum hominum annotationibus exornatam molitur *Ioannes Vertuuj* Gymnaſiarcha Hagenſis. *Iacobus Perizonius* V. Cl. edidit varias *Diſſertationes de Praetorio*, contra *Huberum* Ictum Franeckeranum collegam ſuum. Ille contendit Praetorium, in quo Romae vinctus fuit Divus Paullus, fuiſſe Caſtra Praetoriana, hic vero vulgatam tuetur ſententiam, fuiſſe locum in Palatio Imperatorum, in quo ius dixerit Imperator, cum carcere, in quem impacti fuerint rei. Sub proelis noſtris ſudat *Lactantius de mortibus perſecutorum*, cum omnium, qui adhuc exſtant, notis, in primis Ampliſs. *Cuperi*, & *Paulli Baudri*, qui apud nos Hiſtoriam Eccleſiaſticam docet: *Baluſii* etiam multo auctiores prodibunt. Nonnullas meas animadverſiones in iſtum libellum communicavi cum collega meo, quas ſuis adſperget. *Bochardi* Opera hic denuo divulgantur, cum epiſtolis nonnullis ineditis per quam eruditis. Filius (1) meus

1 *Theodorus Graevius* magnae ſpei iuvenis, cui *Callimachi* opera a ſe recenſita, et animad-

meus *Callimachum* cum notis virorum doctorum, quae haberi poſſunt, ac quibusdam ſuis propediem proelis committet. Is Tibi ſalutem adſcribit: Omnia ſe conſecutum putabit, ſi illum Tua benevolentia complecti dignatus fueris. *Roberti Titii Loci controverſi*, qui nondum publicati ſunt, olim eorum meminiſti, ſi ad nos mittentur, ut typis deſcribantur mihi, & filio curae erit. *Marmora Felſinea* (1) utinam quamprimum ad nos perferantur. Eius enim libri videndi magno teneor deſiderio. Vale, decus Italiae, ſaeculi, & meum.

Traiecti Batavorum Prid. Nonas Octobr. CIƆ IƆC XC,

Miror in *Latini Latinii* operibus poſtumis non haberi *Animadverſiones* eius in *Tullium*, cui tamen Scriptori plus operae ſtudiiſque impendiſſe videtur, quam ulli alii. Illarum olim ſpem mihi fecerat *Octavius Falconerius* ſed ea, nunc illo defuncto, evanuit. Vale iterum.

EPI-

verſionibus illuſtrata publici iuris facere morte acerba prohibuit. *Io. Georgius* filii ſui coepta proſecutus eſt, et *Theodori* Animadverſiones in *Callimachum*, notis variorum Doctorum Virorum locupletavit, ediditque Vltraiecti 1697. duobus Tomis in 8.

1 *Caroli Caeſaris Malvaſiae Marmora Felſinea innumeris non ſolum Inſcriptionibus exteris huc uſque ineditis; ſed etiam quamplurimis Doctiſs. Virorum expoſitionibus roborata & aucta. Bononiae* 1690. in f.

EPISTOLA IV.

SPero cum litteras & faſciculum, in quem conieceram duas orationes a me habitas, quem perferendum ad Te tradidi Nobili Scoto; tum alteras, quas commiſi Nobiliſs. *Meinderſio*, & praeſtantiſs. Eius Comiti *VVittenio*, ante hos duos treſve menſes ad Vos contendentibus, recte curatas eſse, Teque ſoſpitem, & in columem inveniſſe. Nunc cum viam ad vos affectet denuo, quem ante vidiſtis, vir ſingulari virtute ac doctrinae, *VVolffenius*, qui Sereniſsimi Daniae Principis eſt Archiater, non potui eum ſine meis ad Te dimittere. Eas iuſsi comitari *Tullianos de Officiis* libros, a me denuo recognitos, quos velim habeas obſides mirifici mei in Te ſtudii & amoris. Nullum diem exigo, quin de Te cogitem, &, ſi fert occaſio, praedicem, tua in rem litterariam merita, quae Orbi terrarum ſunt teſtata. Habuiſses etiam novam *Svetonii* mei editionem, niſi Saracinas amici, alieniſsimo tempore hoc iter ſuſcipientis onerare tanti ponderis volumine religio fuiſſet. Habebis tamen quam primum erit, cui recte illum dem. Novi de Litterarum ſtudiis ex his terris, hac tempeſtate, qua ſpernitur Orator bonus, horridus miles amatur, quid tibi narrem? Tot mortibus doctrina clarorum hominum, quae funeſtarunt annos duos, qui effluxerunt proxime; acceſſit in Gallia magni eruditorum patroni, & ſummi

mi Mecaenatis obitus Ducis *Montauſerii*, cuius deſiderium nulla temporis longinquitas mihi minuet. Quam pauci ſuperſunt, quos aut adoleſcens colui, aut aequales ſuſpexi & amavi! Tanto ſaepius pro Tua ſalute vota nuncupo, qui fere es inter vetuſtiſſimos amicos, quos mihi optimarum artium ſtudia adiunxerunt. Deus Te diutiſsime ſervet! De *Theſauro Antiquitatum Romanarum*, quem hic adornamus, nuperius pluribus egi, & indicem ſcriptorum, quos in illum congerent, Tibi miſi. Nullus dubito, quin Tu plures nobis incognitos indicare poſsis, quibus ille *Theſaurus* ditetur & augeatur. Non eſt ut a Te petam, ut nobis eos ſignifices, cum nemo mortalium ab omni officio Te promtior ſit & paratior. Ex noviſſimis meis intellexiſti puto *Samuelis Bochardi* opera hic iunctim edi, quae Auctario nonullarum diſſertationum & epiſtolarum ineditarum, quae varia doctrina ſunt refertae, ornabuntur. In hac Urbe itidem ſub proelis ſudant *Samuelis Baſnagii Exercitationes Hiſtorico-Criticae in Baronii Annales*, *Pagii obelos*, *Sigtſothum* & alios, ut & *Callimachus*, cuius novam editionem concinnat meus filius, qui Tibi ſalutem dicit officioſiſsime, & in Tuam gratiam poni flagitat. Si quid iſtum ſcriptorem ex Tuis forulis expoliendum contuleris, certiſſimum cognoſces meritorum tuorum praeconem. Ex Germania ſignificant duos tomos *Adverſariorum Caſparis Barthii* eſse repertos, & in eorum manibus verſari qui illos offerant edendos, ſi quis hanc operam iis navare velit. Sed ab Aſiatica hac mole

ab-

abhorrent, omnes: ſingulari enim tomi non cedunt pondere illi edito (1). Sed de *Roberti Titii Locis controverſis*, de quibus olim mihi ſcripſiſti, Tibi recipio, ſi ad nos pervenerint, fore ut brevi lucem adſpiciant. Vale decus meum, & me ama.

Traiecti Idibus Ianuarii cIↃIↃcxcI. quem tibi ex ſententia volo decurrere.

EPISTOLA V.

TAntum quod manus admoveram his litteris ad Te dandis, quas teſtes perpetui mei in Te ſtudii & obſervantiae perlaturus eſt Generoſiſs. Iuvenis, *VVolfgangus de Schelpliz*, domo ſaxo, eiuſque doctiſsimus Comes *Ioannes Fridericus Berger*, civis meus, qui ſunt accincti itineri Italico; cum Tuae mihi traduntur a Sveco, quas xv. Februarii exararas. Mirifica quadam me illae perfunderunt voluptate, ut nihil mihi reddi potuerit gratius & optatius, quamvis perquam ſero mihi fuerint redditae, ut vides, cum Sveci diu deſederint in Galliis. Nam cum ego Te ſemper feram in oculis, cum nihil in omni ſermone libentius uſurpem, quam debitas Tuae humanitati, elegantiae, meritis in omne Litterarum genus laudes, nihil audio.

1 Prodiit Francofurti an. 1624. & rurſus 1648. Conſtat autem non minus pagellis 3032. Titulus talis eſt. *Gaſp. Barthii Adverſariorum Commentariorum Libri ſexaginta; Antiquitatis tam Gentilis, quam Chriſtianae illuſtratae Tomus Primus.*

dio maiore cum gaudio, quam cum ali-quid mihi adfertur de Te, de Tua valetudine, rebuſque Tuis omnibus. Multi ſunt ubique gentium, qui Tuas virtutes ſuſpiciunt & admirantur; ſed cave credas, quenquam eſse, licet vel neceſsitudine, vel longo annorum uſu Tibi ſit convinctiſsimus, a quo mihi in Te colendo & amando patiar primas praeripi. Itaque pro Tua incolumitate ſemper vota nuncupo, praecipue hac tempeſtate, qua omnes fere veteres amici, quos olim mihi devinxerat communium ſtudiorum Societas, occiderint. In Gallia ſolus ſupereſt Abrincenſis Epiſcopus *Huetius*, extincto nuperius *Menagio*, ex tanta multitudine, cum qua mihi a longo tempore interceſsit amicitia. Quid aliud hi denunciant, quam mihi qui cis quatuor menſes ſexageſimum annum attingam, ſi tum fuero ſuperſtes, ſarcinulas eſse colligendas, & viam iſtam, quam illi ſunt emenſi, ſerius ocyus calcandam? Interea quam diu hac luce fruar, Tui fruar ſuaviſsima memoria. In iſta provectiore aetate eſt quod Deo immortali gratias agam, quod & corpus & animus adhuc vigeat, quodque in iſtis doctrinis, quibus ſemper deditus fui, non minore cum voluptate & induſtria verſer, quam unquam antea cum genua virerent. *Orationes Ciceronis*, in quibus perpoliendis multum temporis poſui, iam exercent Amſterodamenſium proela, noſtra vero huius Urbis *Theſaurus Antiquitatum*, de quo Tecum olim egi. Memini Te olim mihi ſignificare non paucos, praeci-

pue

pue veſtrae gentis, in illo Indice, quem Tibi per amicum miſeram, eſse praeteritos. De illis ſi me certiorem facere volueris, magnus accedet cumulus tot tantiſque Tuis erga me meritis. Operam enim dabo, & eorum potiar. Equidem huius Tui beneficii certiſsimum praeconem me cognoſces. Primus tomus prodibit, ſpero, initio anni inſtantis. Illis, quos oſtendebam anno ſuperiore me in haec volumina conieſturum, accedet *Bergerius de Viis Romanorum*, *Fabrettus de Aquis & Aquaeductibus Romanorum*, *Magius de Tintinnabulis*, *Tomaſinus de Donariis*, Eiuſdem *Teſſerae hoſpitalitiae*, *Hanſenius de Iure iurando*. Filii mei, quem in ipſo iuventutis flore ſuperiore anno fata mihi acerba eripuerunt, *Callimachus* procedit, ſed lento pede, cum bibliopolae malint occupari in frivolis, ſed quae cupide diripiuntur a ſtultis lectoribus, quam in iis, quibus capiuntur eruditi homines, cum tam rari nantes ſint in gurgite vaſto.

De Re Litteraria, quae Tibi ex his oris narrem perpauca ſunt. *Diogenes Laertius* pulcherrimè ac emendatiſsimè publicatus eſt, cum omnium, quae in illum editae fuerunt antehac Annotationibus, & *Menagii* quidem multis acceſsionibus locupletatis, ac novis & *ἀνεκδότοις Marci Meibomii*, ac *Ioachimi Kuhnii*. Nihil ſplendidius a multis annis in Batavia lucem adſpexit. Opera quoque *Samuelis Bochardi* quadraginta octo Diſſertationibus, pleriſque nunquam antehac in publico viſis aucta, ſatis nitide hic edita ſunt cum eius vita a *Stephano Morino* litteris conſignata, &

 eius-

eiuſdem diſſertatione *de ſitu Paradiſi* ex ſententia, ut ait, *Bochardi*. Amſterodami *Selecta Numiſmata Ioachimi de VVilde* Graeca fere omnia publici iuris ſunt facta. Dudum vos vidiſſe credo Mappam Geographicam Viri ampliſs. *Nicolai VVitſenii* Conſulis Amſterodamenſis, qua Tartariam Aſiaticam adhuc incognitam nobis aperuit. Brevi videbitis etiam deſcriptionem, qua haec mappa illuſtrabitur *Callimacho* Filii accedet inſignis & multa doctrina refertus, iſque uberrimus Commentarius *Ezechielis Spanhemii*. *Lactantius de mortibus Perſecutorum* poſt tantam procraſtinationem, cum omnium notis, tandem proela noſtratium relinquet in paucis diebus, quibus etiam nonnullae meae ſunt obſervationes adſperſae, qui ſimul hac fuerit divulgatus, ad Te, ubi prima dabitur occaſio recte illum curandi, mittetur, ut & *Orationes Ciceronis*, & Tomus primus *Theſauri Antiquitatum*. Libros *de Officiis* ante complures annos Tibi miſi. Sed dubito num illi ad Te pervenerint. Rogavi nobiliſs. *Schepliziunı*, ut illos ſecum ferat, quem ut complectaris, qua es comitate, non eſt ut a Te petam, qui nulla re magis laetaris quam omnibus commodandi voluptate: Digniſsimus ſane eſt cum ſuo Comite, quem complectaris. Vale, Vir ſumme, & me ama. Traiecti Batavorum d. XXI. Sept. CIϽIϽCXCII.

EPI-

EPISTOLA VI.

HAnc Epiſtolam pignus perpetui mei in Te ſtudii, & amoris, tradet Tibi Generoſiſs. Iuvenis *Iacobus Drummond*, domo Scotus, qui hic nobis aliquamdiu operam dedit, ſed nunc in veſtram Italiam, ocellum orbis terrarum, & in veſtram Vrbem, ocellum Italiae contendit, Te praecipuum illius decus viſurus. Nullus dubito quin tantae nobilitatis juvenem; pro Tua ſingulari comitate, quam omnes gentes uno ore in coelum ferunt, ſis complexurus. Illum Sileſium, per quem mihi miſiſti memorias Briſcianas nullus vidi, nec libellum *de Siſtris*, quem commiſiſti *Hortii* filio. Doleo iſtos libros non perveniſſe ad nos, qui poterant ornare *Theſauri Antiquitatum* Tomos, quorum duo iam lucem viderunt, quos ut & Tu videas mihi erit curae. Miſi Tibi faſciculum ante hos ſex menſes, quem curavit *VVaesbergius* Amſterodamenſis Bibliopola ad Romanum Librarium, cuius nomen iam mihi non ſuccurrit. Mitto nunc Tibi indicem Antiquariorum, qui collocandi ſunt in *Theſauri Antiquitatum* Tomis, in quibus non inſerti ſunt, qui in hac plaga facile poſſunt haberi, ut *Lipſii* pleraque, & *Kirchmannus* de Annulis, & Funere; & huius generis alia. Te rogo ut quae meam, aut effugerunt memoriam, aut ſcientiam, mihi ſignificare digneris, in primis ſi quid apud vos editum eſt lingua Italica, aut aeneis figuris illuſtratum, quod ad hos Tomos or-

nandos faciat. Cognoſces me certiſsimum praeconem Tuorum meritorum. Quibus haec ✠ nota eſt praefixa, non ſunt in meo Muſaeo: illos ſpero nos alibi eſse inventuros. Audio eſſe *de Lucernis* Romae quoque publicam novam Diſſertationem. *Ciceronis Orationes* noſti in tres Tomos dividi; ſed in mea editione in ſex Tomis deſcribuntur, quorum duo iam excuſi ſunt; in duobus duo proela deſudant. *Callimachus* quoque filii mei cum inſigni & pererudito Commentario *Ezechielis Spanhemii* operas exercet, ſed lente. *Marquardi Gudii* communis amici noſtri *Inſcriptiones*, brevi, ut ſpero, ſubiicientur proelo, & eius *Phaedrus*, quem mihi commiſerunt heredes; ego amici eruditi fidei, ut illum publicet, credidi, nimirum *Petro Burmanno* Fr. filio, qui nuper *de Vectigalibus Romanis* eruditam Diatriben edidit. *Inſcriptionibus Gudii* adiiciam, & ego plures ducentis ex meo Muſaeo. Vale, Vir ſumme, & me ama.

Traiecti I dibus Novembribus CIↃIↃCXCIV. Quam poene vidit Regna Proſerpinae noſter *Gronovius*! Nunc tamen quaſi ex inferis emerſit, & viros coepit colligere. *Huberus* Franeckeranus Profeſſor Iuris celebris antagoniſta *Perizonii* noſtri, nuperius obiit. Deus Te meum diu ſervet! Prima occaſione ad Te mittam novam editionem *Fr. Iunii de Pictura veterum* miris modis auctam, cui acceſsit ineditus Tomus *de Pictorum, aliorumque Artificum Operibus*.

EPISTOLA VII.

MItto ad Te hos duos fratres nomine *Mead*, gente Britannos, ingenio & doctrina praeſtantes, qui magis fere Tui videndi deſiderio flagrant, quam ipſius Italiae, cuius unicum ornamentum Te a multis annis colunt & ſuſpiciunt. Mitto autem eos ad Te, quos ubi cognoris, ſtatim amabis, tanquam vivos teſtes & praedes mei perpetui in Te ſtudii & amoris, quem in omni ſermone prae me fero. Multis Tecum de variis acturus eram rebus, ſed cum eximium hoc fratrum par accinctum eſſet itineri; vix haec tria verba mihi licuit expedire. Praevenient tamen noſtrorum apud vos adventum litterae ponderoſae. Eis commiſi orationem, qua Reginae Britanniae parentavi (1) cum aliud ad manum non eſſet. Praeſtantiſsimos hos fratres, ut, qua es humanitate in omnes, comiter excipias, non es rogandus. Vt videbis, ut deperibis illos, tanta in illis eſt ingenii elegantia, doctrinae minus vulgaris copia, & morum ſuavitas, & integritas. Vale, Italiae, & meum decus.

Traiecti d. XXI. Iun. MDCXCV.

(1) *Io. Georg. Graevii Oratio in obitum Mariae Magnae Britanniae, Galliarum, & Hiberniae Reginae. Traiecti ad Rhenum* 1695. in f.

EPISTOLA VIII.

VIdes hic Virum nobiliſsimum, gente & nomine Scotum, qui iter ad vos accelerat, quem nullus dubito quin pro illa omnibus celebrata humanitate Tua ſis accepturus comiter. Is reddet Tibi faſciculum epiſtolarum a *Gudio*, & ad *Gudium* ſcriptarum, in quibus & Tuas invenies. In appendice non invitus, credo, leges multas Tuorum civium, qui ſuperiore illo beato ſeculo doctrinae & ingenii laude floruerant, epiſtolas. Brevi has excipiet *Callimachus* filii pulcherrimo & eruditiſsimo *Ezechielis Spanhemii* commentario illuſtratus, & ſex Tomi *Orationum Tullianarum*, quorum quatuor iam ſum abſoluti, in quinto & ſexto elaborant operae. Ante hos tres dies ampliſs. *Cuperus* mihi miſit Tuas acceptiſsimas, cum perpolitis *Vincentii Gravinae*, cuius mundam, & caſtam, multoque elegantiarum lepore perfuſam dictionem valde miror. Vtriſque reſpondebo cis paucos dies. Id antevertet has litteras; Qui enim has feret, iter trahet per Germaniam. Hoc tamen quaſi in anteceſſum habeto. Generoſo iuveni Dano, cui *Lente* nomen, ante hos duos menſes per Galliam ad vos contendenti commiſi perferendas epiſtolas *Francii Perizonii*, *Ienſii*, quae priores exceperunt, necnon *Rutgeri Hermannidae*, hoc eſt, *Iani Broechuſii* libellum lepidum ſtudio ſcriptum ſtylo barbarico, qualis eſt auctoris *Epiſtolarum Virorum obſcurorum*. Poſt haec nihil prodiit niſi eius-

dem

dem *Rutgeri* epiſtolium Laconicum unius pagellae, quo provocat *Gronovium*. Id Tibi miſiſſem nunc, ſi per feſtinationem id licuiſſet mihi quaerere. *Molmius* nondum rediit, nec intra ſex hebdomades dicitur rediturus eſſe, ut illa, quae mihi miſiſti, quorum maximo teneor deſiderio, nondum viderim, nec quale fidei credidiſti ampliſsimi *Copeſii*, qui tamen ante tres quatuorve dies ad lares revertit. In epiſtola praefixa litteris *Gudianis* mihi inſcripta, quaeſo Te, ne credas me conſcio & volente invidioſum illud elogium nomini meo appoſitum eſſe *Principi Eruditorum*. Paucis horis, antequam has litteras exarabam, perferebatur ad me ex proelo hoc volumen. Id ſimul ac inſpexi ab auctore huius *Burmanno* petii ut haec verba curaret expungi, & hanc paginam a Librariis retexi. Cui etiam iam manus admoverunt. Sed cum accinctus eſſet itineri Nobiliſs. Scotus, uti nunc id folium ſe habet, mittendum fuit. Habebis tamen brevi emendatum. Vale, Vir magne, & me, quod facis, ama.

Traiecti d. VI. Sept. 1696.

EPISTOLA IX.

TRes a Te non longo intervallo habui epiſtolas, omnes acceptiſsimas, cum, ut ceterae Tuae plenae ſint officii, & amoris, miraque ſuavitate & elegantia conditae. Nihil mihi ad Te traditur, quod non ſumma me voluptate perfundat. Nam a Te, viro tanto,

quem dudum inter praecipua ſeculi ornamenta colo, amari, & de multis rebus, quae in Re Litteraria cum apud vos, tum apud alias gentes geruntur, (nihil enim Tu, quae ubique terrarum docti homines moliuntur, ignoras) erudiri, quin & luculentis ſubinde donis ornari, non poteſt non mihi eſſe iucundiſsimum. Pro variis libris, quibus meam inſtruxiſti penum antiquariam, & Tullianos interpretes mihi antehac ignotis commentatoribus auxiſti, quas gratias Tibi agam? Nullis verbis Tua in me merita poſſum aſſequi. Gratum tamen, & memorem beneficiorum tuorum praeconem me cognoſces. Huius meae prolixae in Te voluntatis pignus hic nobilis iuvenis Bremenſis, *Schonenius*, quem nullus dubito, quin, qua es erga omnes humanitate, comiter ſis admiſſurus, Tibi reddet, *Callimachum* Filii mei, quem utinam Tibi ipſe potuiſſet mittere! Nam cum in vivis eſset optabat hoc munuſculo partem illius benevolentiae, qua me complecteris, in ſe derivare: ſed hoc fuit in fatis, ut hoc officio infelici patri eſset fungendum. Adieci *Epiſtolam Perizonii* (1) quam ſecundae

Fran-

1 *Iacobus Perizonius* ſub nomine *Caii Valerii Accincti Epiſtolam* edidit *ad Petrum Francium Barbarum de noviſſimo eius carmine in ſcurram Litterarium*. Occurrit ei *Francius* edita *Epiſtola prima ad Perizonium, qua vera cauſa obortae inter illos inimicitiae, & nuda ac ſimplex facti narratio continetur. Amſtelod.* 1696. in 4. Hanc duae aliae eodem anno editae proxime inſecutae ſunt. *Perizonius* toti-

Frantianae. repoſuit; Eam in faſciculo primò curatam eſse credidi. Hae contentiones acerbiſsimae litteratorum Virorum mihi magno dolori ſunt. Apud indoctos non modo, ſed & graves viros optimorum ſtudiorum contemtum pariunt. Quo nobis eruditionem, ſi non emollit mores? Pugnare & gladiatorio animo concurrere ob res non maximi momenti, Thracum eſt, modeſte diſsentire, aut hallucinationes aliorum, ſi plus videris, ſine verborum acerbitate detegere, hominum elegantium. Bene obſervaſti *Petrum Martyrem* non edidiſſe *Chryſoſtomi ad Caeſarium* Epiſtolam, ſed tantum laudaſse illius ſententiam. Id ſane fuerat emendandum. Emendabitur autem alio tempore, non ſine grata Tui moniti mentione.

Valde gaviſus ſum cum ex Te politiſſimi *Danielis Eremitae* (1) lucubrationes poſtumas ab Equite Nobiliſs. *Maffeio* inventas fuiſ-

dem aliis epiſtolis Lugduni impreſſis an: 1696. acerrime cum *Francio* digladiatus eſt.

1 *Daniel Eremita* Belga Vir elegantis ingenii Florentiae magnam vitae ſuae partem duxit, in Aula *Mariae Magdalenae Auſtriacae* Vxoris *Coſmi II.* Magni D. Etr. Eius *Panegyricus Coſmo Medices Magno Etruriae Principi dictus, cum fauſtiſſimo omine Mariae Magdalenae Auſtriacae nuptiarum ſacris initiatetur*; editus eſt *Florentiae* 1608. in 4. *Graevius* ſplendidam eius operum omnium editionem adornavit *Vltraiecti per Gull. Broedler* 1701. in 8. de qua plura inſequentibus & in Iac. *Gronovii*, & P. *Burmanni* Epiſtolis a nobis edendis.

fuiſse intellexi: nam huius Viri doctrinam, & ingenii elegantiam magni facio. Aliquot ante annos apud foeminam Amersfurtenſem, quae eſt ex familia *Danielis*, incideram in aeream tabulam, cui inſculpta erat *Eremitae* imago. Laetabar & iubebam eam proelo ſubiici, tumque, niſi me fallit memoria, Tibi eius miſi exemplum. *Panegyricum* Magno Duci ſcriptum habeo. Legi etiam quondam apud *Marquardum Gudium* Epiſtolam ineditam maximam partem, quam de Legatione Florentina ad Imperatorem & Principes Germaniae ſcripſerat elegantiſsime: Illam Tibi ſe debere teſtabatur. Ab heredibus flagitavi, ut illius Epiſtolae mihi copiam facerent. Omnes excuſſerunt forulos Bibliothecae, ſed eam cum nonnullis aliis, quas apud optimum amicum vidi, inter quas erat quaedam eruditiſsima *Samuelis Bochardi* quam de *Hippolyto de Antichriſto*, quem ex Remenſi Bibliotheca *Gudium* Lutetiae publicaſse noſti, ad eum dederat, reperire non potuerunt. Si Florentiae non inveneritis editorem bibliopolam Opuſculorum *Eremitae*, ubi ad nos illa volueritis mittere, curabo ut hic edantur nitidè, utque natio eruditorum cognoſcat, quibus hos libellos cultiſsimos acceptos referat. *Bergerius de viis Romanorum*, ut inſeratur *Antiquitatum Theſauro*, Latine verſus eſt, & pars iam typis deſcribitur. Audio Cl. *Bacbinium* in hoc argumento quoque verſatum eſse (1). Si ſuas commen-

1 *Bened. Bacchinius* Abbas Caſſinenſis eruditam Diſſertationem conſcripſit *De Viis Italiae*, de

mentationes nobiſcum communicare voluerit, ut illuc adnectantur *Bergeriano* operi mihi erit curae, non ſine doctiſsimi viri elogio. Nuperius nobis miſit *Ezechiel Spanhemius* eruditiſsimum Librum *de Iure civium Romanorum ſub Imperatoribus*, qui in eodem opere conſpicietur. Ex libris, quos in Italia prodiiſse narras, maxime videre deſidero *Guilielmi Boniurii Diſſertationem de Epochis Aegyptiacis*, ut & *Tomaſi de Epocha Dionyſiaca*, quae, ut ſuperiore a plurimis Chronologis acriter fuit impugnata; Sic hoc noſtro plures invenit defenſores. Spero fore ut brevi in noſtris tabernis librariis compareant, cum Hagae Comiti pax inter Hiſpanos, Britannos, Batavos, & Gallos convenerit nocte quae interceſsit inter XX. & XXI Septembris, quae mercibus veſtris iter aperiet tam maritimum, quam pedeſtre. Hic prodiit *Vetus Batavia, & Friſia* praeclare a *Menſone Attingio* Conſule Groenigano pererudito illuſtrata, in qua non modo *Plinii, Taciti, Ptolemaei* loca vindicantur & emendantur, ſed & multorum populorum ſitus ignoratus vindicatur. *Manethonis Apoteleſmata* cura *Iacobi Gronovii* brevi divulgabuntur. Eius frater *Theodoricus* Inſcriptionem Neapolitanam de Vrbibus terrae motu vexatis tempore Tiberii commentario illuſtratam Lugduni Batavorum in lucem emittit, ubi quoque ſub proelis eſt *Aeliani varia Hiſtoria* cum notis *Perizonii*. Aliqua quae hic vulgata ſunt non ita pridem, cognoſces ex novo diario de

ſcri-

qua fuſius agetur in eius *Epiſtolis* ad *Magliabechium* a nobis edendis.

ſcriptis eruditorum, quod hic concinnat *Neocorus* (1) eruditus iuvenis, qui & *Syneſii* novam editionem adornat. Ea poſset fieri ornatior, ſi diſertiſsimi illius Scriptoris manu exarata exemplaria *Neocoro* eſsent praeſto. Non pauca loca a *Petavio* non intellecta ingenii ope dilucidavit, in primis ex *Platone*, alia maculis purgavit. *Thomae Gatakeri* opera iunctim in hac urbe typis mandantur, Amſterodami vero *Biblia Critica Britannica* duobus novis Tomis aucta. De Bibliotheca *Gudii* Rex Daniae cum heredibus paciſcitur. Vale, Vir ſumme, & me, quod facis, ama,

Traiecti d. xxiv. Septembris CIƆIƆCXCVI. Amſterodami iuvenis eſt non indoctus *Samuel Meelius*, qui adornat, aut novam editionem, aut ſupplementum facit *Criticae Gruteri*. Mitto hic indiculum Scriptorum, quos collegit. Si Tuo iudicio alios, quos neſcimus, cognorit, debebit Tibi minerval. Si *Roberti Titii inediti Loci controverſi*, de quibus ad me aliquando ſcripſiſti, poſsent his tomis inſeri, & illis eſsent ornamento, & a tinearum pabulo vindicarentur. Bibliopola Romanus, ad quem per *Bomium*, & *VVolfgangum* Amſterodamenſes librarios miſi ad Te ante tres quatuorve annos *Iunium de Pictura*, vocatur *Carolus Binne*. Iterum vale. Pro *Bibliotheca volante*. Tibi quoque gratias ago. Miſiſti olim mihi primas duas partes, nunc duo-

1 *L. Neocori* & *Henr. Sikii Bibliotheca Librorum Novorum. Traiecti ad Rhenum* 1697. & ſeq. in 8.

duodecimam. Vbi inveniemus tertiam & ſequentes usque ad hanc noviſsimam?

EPISTOLA X.

VIr nobiliſsimus *Roſtgaardus*, gente Danus, in Italiam contendit, non tam ut amoenitate & ſplendore nobiliſsimae terrarum oculos paſcat, quam ut partas ingenii & eruditionis variae opes apud vos cumulet, veſtras Bibliothecas perluſtret, Viros doctos cognoſcat, & Te in primis magnum Italiae decus, ſimul ac eum videbis, ſimul amabis. Non opus habet commendatione, ſe ſtatim ipſe commendabit Tibi; tanta eſt eius elegantia, tanta cum aliarum politiorum artium, tum etiam Linguarum Orientalium peritia. Vixit diu Pariſiis gratus omnibus eruditis. Edidit ibi non poenitendum ingenii ſpecimen de Ratione Bibliothecam omnibus numeris abſolutiſſimam inſtruendi. Ad hoc inſtitutum conſumandum Tu unus eris Roſtgaardo inſtar omnium, qui viva es Bibliotheca. Quamvis vero is ſibi ipſe, ut dicebam apud quoſvis facile aditum muniet, & Tu, qua es facilitate quoſvis admittis, etiam eos, qui indigni ſunt, qui tot bonas horas Tibi perdant, mea tamen quaſi manu vult ſibi flores aperiri ad Tuam benevolentiam, ut a Te poſtea ducatur ad *Ciampinum*, *Fabrettum*, [*Gravinam*, & alios, quos Roma, Neapoli, aliaeve veſtrae beatae Vrbes, doctos fovent homines. Quod Tu nec *Roſtgaardo*, pro Tuo cunctis commodandi ſtudio,

nec

nec mihi, pro Tuo in me amore, negabis. Vale, Vir ſumme, & me ama.

Traiecti d. xv. Mart. 1698.

EPISTOLA XI.

Nobiliſſimus Cunighamius, quem ante tres annos vidiſti, nunc cum generoſiſſimo Anglo ad vos remeat, captus deliciis veſtrae Italiae, & conſuetudine tot Virorum eruditorum, quos illa fert, Tua in primis, Vir ſumme, qui Italiae grande decus es. Fert is Tibi ſecundam Epiſtolam *Perizonii*, quam deſideras, & *Svetonium meum* (1). Mox videbis *Callimachum* filii mei, quem Tibi tradendum commiſi *Ioanni Koolio* Traiectino, iuveni elegantiſſimo, qui per Galliam ad vos contendit, & conſtituit in veſtris bibliothecis non unam, alteramve hebdomadem, ſed plures menſes conſumere. *Phaedrum Gudii* habebis ſimul ac mittendi eum fuerit opportunitas. Accuratius apud heredes *VVolfangi* inquiſivi in nomen bibliopolae Romani, ad quem a *VVolfgango* miſſus eſt craſſo faſci librorum aliorum impactus liber *Iunii de Pictura Veterum*. Is eſt Mr. *Croizier*. Apud hunc erit quaerendus. Plura vellem; ſed noſtri erant accincti itineri. Vale, Vir magne, & me ama.

Traiecti d. ix. Iun. 1698.

EPI-

1 *C. Suetonii Tranquilli opera ex recenſione & cum Animadverſionibus Io. Georg. Graevii, & cum notis variorum. Traiecti ad Rhenum* 1672. in 4.

EPISTOLA XII.

NOn unas ad Te dedi litteras, a quo *Koolius* cum Comite ſuo rediit. Noviſſima commiſi fidei duorum nobiliſſimorum adoleſcentum, qui vocantur *Van der Duſſen*, qui & ipſi cum Comite Nobili ante hos tres menſes contenderunt in Italiam, ut Te coram venerentur, quem dudum taciti coluerant. Sed poſt hos *Ioanni Heimanno*, qui navem roſtratam conſcendens Smirnam petit, ut ibi apud Praefectum genti Belgicae, quem Conſulem dicunt, ſacris fungatur, dedi non modo litteras, ſed & ſex *Tullianarum Orationum* volumina, mea cura perpolita, quae Tibi tradat, in tranſcurſu in Portu Herculis Liburni (1) appulſurus, & Te ſalutaturus. Recte ſpero omnia curata eſſe. Has, quod Tu miraberis, ſcribo Duſſeldorpii, quo invitatu Sereniſſimi Novemviri Palatini alieno hoc

1 De vero ſitu, & de Antiquitatibus Portus & Fani Herculis Liburni, ſeu Labronis: Portus item Piſani, & Villae Triturritae fuſius olim Deo dante agemus in Deſcriptione Itineris, quod Autumno an. 1742. per Maritima Etruriae confecimus, iuſſu Societatis Botanicae Florentinae. In eo ſiquidem Hodoeporico, non tantum Naturae opera miranda, quibus beata quondam provincia illa undique referta eſt, Lectorum oculis repraeſentare conabimur; ſed etiam varia ad Geographiam, & Hiſtoriam, tum Antiquam, tum Medii Aevi illuſtrandam opportuna adiungere decrevimus.

hoc anni tempore me contuli. Multa hic ſunt, quae oculos, & aures paſcunt, ſplendore aulae, copia rerum pretioſiſſimarum, & exquiſitarum in theſauris, magnificentia ſpectaculorum, quae edentur, turba Purpuratorum Comitum Aulicorum, Symphoniacorum, ut alia praeteream praeſtantiſsimorum multitudo, ſed longe omnia vicit ſpectaculum omnium maximum, conſpectus Magni, & Sapientiſsimi Principis, & Divinae Eius Vxoris Magni Ducis Etruriae Filiae, quae mihi videbatur referre imaginem non ſolum maximi Parentis, & Fratris Sereniſsimi, quos mihi licuit venerari in meis aedibus, idque ſemper inter primas felicitatis meae partes depûto; ſed & tot Heroum, quos illa Regia Domus edidit incomparabiles.

In Epiſtola, quam *Van der Duſſen* ferunt, ſignificavi, me Regiae Celſitudini publice gratias acturum pro libellis *Danielis Eremitae*, quos ex inſtructiſsima Bibliotheca ſua mecum communicavit. Hos deſcriptos eſſe & traditos bibliopolae, ut typis mandentur; ſervari autem autographum, ut, ſi qui forte ſcrupulus occurrat inter edendum, poſſet conſuli; fidemque dedi mea cura & ſtudio id ſalvum & incolume redditum iri, cum exemplaribus editis, quae Sereniſsimi Principis Etruriae nomen praeferent. Adhuc nos moratus eſt Librarius, qui novos typos & chartae purioris Gallicae copiam expectare ſe aiebat. Illa vero nunc adlata, ſe manum operi admoturum, ut ante Paſchatis, aut ſummum Pentecoſtes feſtos dies lucem adſpiciat. Spero illum praeſtiturum quod pro-

mi-

miſit. Petieram etiam a Te, ut quae de *Eremitae* Vita & moribus habes explorata, mecum communices, ſi poſsent elui illae labes, quas eius vitae conſperſit *Gaſpar Scioppius*, & ex illo *Baylius* in ſuo Lexico inprimis quae de illius obitu ibi iactantur, ſi vera non ſunt, ut vera non eſse mihi perſuadeo, ut poſsint reiici. Addideram aliquid de Epiſtolis *αὐτογράφοις* virorum doctorum: me plurimas habere, in quibus & ſint magni veſtri *Victoris*, *Antonii Flaminii*, *Latini Latinii*, & aliorum: mirifice enim me delectari manu politorum hominum. Si Tua opera poſſem plura *αὐτογραφα Politiani*, *Marſilii Ficini*, *Manutii*, *Sigonii*, & aliorum illius aureae aetatis hominum conſequi, magnum cumulum Tuis in me infinitis beneficiis acceſſiſse ſemper teſtabor.

Fabrettus aeſtate ſuperiore mihi & *Cupero* ſe mittere ſignificat ſuas *Inſcriptiones*, ſi ſit, cui recte det. Nondum credo illum certum inveniſse hominem: eius tamen libri deſiderio magno teneor. Spero in tanto hominum concurſu ad Secularis Anni celebrationem, futurum, qui illum ſecum ferat: ſin vellem ad Te illum mitti, ut navi roſtratae Batavicae credatur, ſi hoc non tuleris gravate onus, quod Tibi auſus ſum imponere.

De re litteraria, brevi ubi domum rediero, ut & de Gallo quodam Marchione, quem in itinere vidi, qui ex Arabia, Perſide, Aegypto, & veſtra Italia theſauros litterarios ſecum apportaſse gloriabatur, quos apud Batavos velit publicare. Tuae quoque

manus mihi teſtimonium oſtendebat. *Hottemanni* Epiſtolae brevi prodibunt. Maxima pars iam eſt vulgata. Vale, Vir celeberrime, & me ama. Duſseldorpii Idibus Ianuarii cIↃIↃCC., quem Tibi ex ſententia leniter defluere volo.

Praecipiti ſcriptioni, & tot lituris, quaeſo, ut ignoſcas, qui haec deproperavi procul a Muſaeo in aedibus Generi mei *Matthiae de Roy* I. C. & Conſiliarii Electoris, ac Profeſsoris Aulici. Si forte cum mittuntur ex veſtra Aula ſarcinae ad Electorem Sereniſsimum, faſciculum unius alteriuſve libelli ad me curare velles, tutiſsime curari poſset, ſi illi inſcriberetur. Iterum vale.

EPISTOLA XIII.

Non unas in nuperis tribus quatuorve menſibus ad Te litteras dedi, teſtes & praedes mei perpetui in Te amoris & obſervantiae. Primas perferendas commiſi duobus fratribus *Van-der-Duſſen* Nobilibus Iuvenibus Delphenſibus, qui Italiam petebant. Ab iis Epiſtolam accepi Romae exaratam, quo Venetiis profecti, inde Neapolim excurſuri. Credo in reditu Florentiam illos eſse viſuros. Sed doleo litteras meas, in quibus de variis Tecum egeram, tam tarde Tibi reddi. Alteras commiſi cum ſex Tomis *Orationum Ciceronis* a me perpolitarum (1) *Heymanno*

1 *M. Tullii Ciceronis Orationes ex recenſione, & cum Animadverſionibus Io. Georg. Graevii, &*

no qui navi bellica Smirnam contendit, ut ibi Procuratori rerum Belgicarum, quem Conſulem dicunt, ſit a ſacris. Appelletur iſta navis in portu Liburnio, unde ad vos conſtituit excurrere, Tui praecipue videndi & ſalutandi cauſa. E re utriuſque noſtrum eſſet, ſi litteras dares ad *Kalcbernerum* Liburni res Belgicas curantem, ut, ſi forte tamdiu non commoraretur ibi navis, in qua vehitur *Heymannus*, ut eat Florentiam, faſciculum ſibi commiſsum, & Tibi inſcriptum ei traderet, & ad Te curaret. Ad illum quoque miſsa eſse duo exemplaria *Inſcriptionum Antiquarum* a *Fabretto*, ampliſſimo *Cupero*, & mihi deſtinata, intelleximus, quibus quid factum ſit, certiores fieri deſideramus uterque ſummopere. Tertias Epiſtolas exaravi Duſseldorpii menſe Ianuario, quo fueram evocatus a Sereniſsimo Electore Palatino, qui multis mecum egit de inſtauratione Heidelbergenſis Academiae. Vidi ibi quoque Sereniſsimam Principis Vxorem, Magni Veſtri Ducis Filiam, omnibus virtutibus tanta Familia dignis ornatiſsimam. In omnibus ſignificavi cum alia, tum praecipue libellos *Danielis Eremitae* ſub proelis nunc ſudare noſtris, poſt longas moras, quas Bibliopola, qui eos typis deſcribendos ſuſcepit, nectere nobis ringentibus ſuſtinuit. Addidi autographum ſancte cuſtodiri, idque remiſsuros nos cum editis exemplaribus. Hoc nomine a nobis ſervari, ut in locis dubiis conſulatur. Petii etiam, ut quicquid de *Ere-*

X 2 *mi-*

cum notis variorum. *Tomi* 3. *Amſtelod. ex Typogr. P. & Io. Bleu* 1699. 1696. 1698. *Vol.* 6.

mitae vita, quam diu in veſtra Aula, & Italia vixit, habes exploratum, mihi perſcribere digneris, ut diluam labes, quas ei adſperſit mordaciſsimus *Scioppius*, & ex illo *Baylius* in ſuo *Dictionario*, ac ſi morbo infami eſset extinctus Huic capiti, rogo ut quamprimum reſpondere, pro tua humanitate, & in me ſtudio digneris, quoniam ad calcem fere perducti ſunt hi elegantiſsimi *Eremitae* libelli, quibus dedicationem ad Principem Veſtrum, & proemium de *Eremita* ſum praefixurus.

Nova in Re litteraria pauca ſunt digna Tuis auribus. *Franciſci Hottomanni Epiſtolae* lucem viderunt, quarum Te iubeo exemplar expectare. *Antonii Van Dale de Oraculis* libri duo prodierunt denuo multis acceſsionibus eruditis aucti, quibus accedunt *Diſſertationes de ſtatua Simonis Magi*, *de Actis Pilati*, *& de Conſecrationibus*. Auctor huius libri eſt addictus opinionibus Menonitarum, quos Anabaptiſtas alii vocant.

Gerardus Nood Leidenſis Anteceſsor elegantem libellum edidit *de Infantum expoſitionibus*, in quo Leges nonnullas Iuris Romani parum adhuc intellectas explicat erudite.

Ioannes Braunius Profeſsor Groeninganus *Electorum Sacrorum* libros quinque in lucem emiſit. Liber primus agit de iis, ad quos Epiſtolae Apoſtolorum ſcriptae ſunt. Alter de ſeptimo Sigillo in Apocalypſi. Tertius de ſanctitate, & perfectione Summi Pontificis novi Teſtamenti. Quartus de planctu ob Thammuz apud Ezechielem VIII. Quintus Exercitationes varias complectitur.

Vin-

Vincentius Fabricius Hamburgi edit integram *Vitam Marini Procli*, cuius iam folium vidi: novam etiam adornat editionem *Manethonis*.

Vale, Vir Illuſtriſsime, & me amare perge. Traiecti d. xi. Martii Gregor. cIↄIↄcc.

EPISTOLA XIV.

Quas xxiv. Martii ad me dediſti, xv. Aprilis accepi plenas amoris & benevolentiae litteras, quibus nunc haec pauca propter anguſtias temporis mihi reponere licet, brevi a me habebis uberiores. Primo ſignifico, *Heymannum*, cui commiſi *Tullianas Orationes* Tibi reddendas, conſcendiſse navem roſtratam, quae dicitur *Puella Cathrina*, praefecti navis nomen eſse *Adrianum Cornelii*, ſive, ut Belgae loquuntur, *Arent Cornelis*.

Dein *Opuſcula Danielis Eremitae* iam eſſe confecta, editionem morari tantum epiſtolam Tuam de *Eremitae* vita, qua, ut ſpero, poſsit eius fama vindicari a calumniis *Scioppii*, & *Baylii*, qui ex inimiciſsimi hominis libris illas excerpſit, & ſuo Lexico inſeruit. Simul ac illa mihi reddentur, provolabunt in publicum. Dedicabuntur Sereniſſimo Principi Veſtro. In prolegomenis laudabitur nobiliſs. *Philippi*, & in primis *Raphaelis Maffei* liberalitas, qui per Te nobiſcum haec communicarunt opuſcula. Autographum cum editis exemplaribus aliquot remittetur ad vos.

Egregios fratres *Van der Duſſen* veniſse tandem ad vos ſpero. Expecto num ſecum ferant *Raphaelis Fabretti Inſcriptiones*, quas Virum doctiſſimum illorum fidei credidiſse, paucis ante obitum hebdomadibus mihi ſignificavit. Quamvis grandem per aetatem eſset maturus morti, doleo tamen illum exceſſiſse antequam *Agri Romani deſcriptionem*, cuius ſpem faciebat, divulgavit. Molimur *Theſaurum Inſcriptionum* omnium, quas nanciſci poſſumus, tam editarum quam nondum publicatarum, ad quem exornandum ſpero vos plurimum poſse conferre, ut & Heredes *Fabretti*. Sed de his proxime plura. Vale, Vir ſumme, & me, quod facis, ama. Traiecti d. VII. Maii CIϽIϽCC.

EPISTOLA XV.

QVas XVII. Aprilis dediſti acceptiſſimas litteras, accepi recte. Gaudeo & meas epiſtolas, & quae miſi munuſcula, perveniſſe ad Vos. *Danielis Eremitae Opera* iam volitarent per ora virum, ſi quae ad illius famam tuendam, & *Scioppii* calumnias deprecandas miſſuros eſſe *Maffeos* ais, haberemus. Nam omnia iam typis ſunt mandata, praeter dedicationem, & adloquium ad lectores. Simul ac habuerimus, quorum ſpem feciſti, in paucis diebus omnia conſummabuntur. Mitto hic indicem magni operis *Inſcriptionum*, quod adornatur. Ad hoc augendum plurima procul dubio poteris conferre. Audio apud *Fabretti* heredes permultas ſer-

va-

vari Inſcriptiones, quae non leguntur in eius noviſſimo libro. Sed qui compellandi ſint, ut eas nobiſcum communicare velint, equidem ignoro. Ad *Gravinam* litteras darem, ſi noſſem quomodo ſint inſcribendae, ut recte ad illum curentur. Quae mihi credidiſti, Veneris Marito ſunt tradita.

Prodiit hic *Petri Burmanni* docta *Diſſertatio* de *Nummis Cyrrheſtarum*, in quibus mentio fit Διὸς καταιβάτου, & alia *Ottonis Sperlingii de Nummis non cuſis*; hoc eſt, pecunia quae non fuit ſignata, ſed ponderabatur, qua diu pleraeque gentes fuerunt uſae, & multae utuntur etiam nunc. *Hottomanni Epiſtolae* iam iam lucem adſpicient, uti Genevae *Virorum doctorum ad Peireſcium* ſcriptae. Scribam proxime quoque *Valettae*, num quae novae Inſcriptiones in Magna Graecia, & Sicilia ſint intra nonnullos annos eruta. De controverſia *Gravinae* nihil inaudivi ante Tuas noviſſimas, tanto magis miror meum nomen in Satyricis illis ſcriptis (1) quorum meminiſti, legi. Si exploratiora cognoro, conquerar de hac iniuria Romae apud amicos. Fugi omnes contentiones a teneris annis. An me grandior natu interponerem illis rebus, quae non modo nihil ad me pertinent, ſed & quas plane ignoro? Rogo Te per veteris noſtrae amicitiae ſanctiſſime cultae ſacra, ut me quamprimum poteris certiorem de his omnibus reddas. Mea viciſſim officia Tibi ſemper ſine ulla temporis exceptione prompta erunt a me para-

1 Adludit, ni fallor, ad *Q. Sectani Satyras* editas an. 1696. *apud Trifonem Bibliopolam* in 8.

rataque. Vale, Vir ſumme, praecipiti ſcriptioni ignoſce, & me ama. Traiecti d. XII. Iun. CIↃIↃCC.

EPISTOLA XVI.

LIcet ne, Illuſtriſs. *Magliabecchi*, Te mihi compellare? Si non admittor, & ex amicorum Tuorum numero expungor, quo tamen nihil mihi accidere poſſet acerbius, iure Tuo feceris, nec ego cauſam de Te querendi ullam habuero; ſed iuſtiſſimam me ipſum accuſandi, qui tamdiu neglexerim officium, & tantopere peccarim in Tuam humanitatem, & ipſum ius amicitiae. Deteſtor ſane, ac execror hanc tantam ceſſationem. Non Tu potes tam mihi ſuccenſere, quam mihi ipſe iraſcor, nec mecum in gratiam redire queo, quandiu Tecum rediiſſe in gratiam intellexero. Nam licet ubique gentium multos habeas, qui Te colunt, & ſuſpiciunt, velim tamen Tibi perſuaſiſſimum ſit, nullum mortalium eſſe, qui Tuam eximiam virtutem, ſummam eruditionem, & maxima in Rem Litterariam merita pluris faciat, magis admiretur, ſaepius in ore habeat, & praedicet ubicumque de noſtri temporis ingeniis & viris virtutis & eruditionis laude florentibus ſermo, me praeſente, habetur, qui me anteeat. Cur ergo tanto intervallo nullum conſtantiſſimae, ac perpetuae meae in Te obſervantiae documentum edidi? Primo infitiari non poſſum fatalem quandam procraſtinationem, dum diem de die duco, retardaſſe

daſſe meam in officio praeſtando voluntatem. Deinde morae huic acceſſit ſive mora, ſive incredibilis negligentia, ſive variae dilationes Mercatoris Amſterodamenſis, quibus me improbus homo, qui in ſe ſuſceperat curam ad vos perferendi faſciculum *Opuſculorum Danielis Eremitae* ludificatus eſt. Biennium enim eſt, quo complura huius libri exempla, ut & manu exarata autographa, quae mecum communicaſti, hic iacuerunt. Expectavi in dies illam opportunitatem, cuius toties mihi ſpem certam fecerat ille lentiſſimus, ut molliſſime dicam, homo, & Sereniſs. Magno Duci, & Celſiſs. Principi, & Tibi, nobiliſſimiſque viris, debitos libros tuto deportandi. Toties totieſque compellatus ſemper inanibus promiſſis, & vanis dilationibus me fruſtratus eſt, ut nunc ardente bello terra marique, viam qua perferri haec ad vos recte poſsint, aegre ſim inventurus; niſi nec opinam nobis fata pandant, & forte claſsis noſtra vere in mare Tuſcum vela ſit factura. Iuſsi ſane ad me referri, quae illi cunctatori commiſeram, nullamqne non occaſionem captabo, ut quam primum fieri poterit, fidem meam liberem. Haec ſane praecipua cauſsa fuit tantae ceſsationis. Pudebat enim me, ſine libris ad vos pervenire meas litteras. Sed quicquid dixero, non poterit id eluere culpam, quam admiſi inexpiabilem, niſi Tua bonitas, ad quam tanquam ad aram confugio, mihi huius criminis gratiam fecerit, quam ſi impetraro, omnia me conſecutum eſse putabo. Faſciculum tamdiu clauſum reſignabo, & addam Orationem, qua Ma-

Magnae Britanniae Regi parentavi, & nonnulla alia, quae poſtea hic prodierunt. Vidiſti, credo, *Broeckhuſii in Propertium* doctiſſimum, & elegantiſsimum *Commentarium*, & *Perizonii in Variam Aeliani Hiſtoriam*. Nihil cultius in his terris poſt *Callimachum Spanhemii* prodiit. Is nunc diſsertationem *de Iure Civitatis Romanae in Britannia*, quae publicata eſt in Theſauro Romanarum Antiquitatum, longe correctiorem & auctiorem edit. Audiviſti etiam, credo, contentiones ortas inter collegas Leidenſes, utriuſque noſtrum ſtudioſos, *Gronovium*, & *Perizonium*, de voce *ἀπάγχεσθαι*, a cuius notione pendet *Gronovii* ſententia de morte Iudae. Mihi magno dolori eſt concurrere amicos, & acriter dimicare libellis iam editis de rebus quidem non ineruditis, ſed propter quas tamen & iura amicitiae, & humanitatis non erant polluenda, & barbarorum, ac ſemidoctorum ludibrio cultioris doctrinae ſtudia exponenda. Sed haec, quae non ſunt in manu noſtra, nec a nobis mutari poſsunt, ferenda ſunt. Operam potius dabimus, ut hic aeſtus animorum ſedetur. Apud nos, ut ad laetiora redeam, hic annus etiam vidit V. Cl. *Antonii Van Dalen* pereruditas IX. Diſſertationes, varias antiquitates & marmora illuſtrantes, cuius *de Oraculis Veterum* diſsertationes, & alias lucubrationes dudum, puto, Tibi notas eſse. *Moſchopuli* ſcholia inedita in priores duos libros *Homeri* hic quoque prodierunt; ut & varia Scholia in *Oppianum* itidem antehac *ἀνέκδοτα*. Amſtelodami. *Pollucis Onomaſticon* cum *Gothofredi*, *Iungermanni*, *Ioannis Kuhnii*, multo-

torumque aliorum animadverſionibus: Oxonii *Suidas* infinitis modis emendatus, & auctus ex Codicibus Regiis Francicis, ſub proelis etiam nunc ſudant: in hac Vrbe vero non inepta Diſsertatio *Lampadii*, iuvenis Bremenſis *de cymbalis Veterum*. Primus Tomus *Inſcriptionum Gruteri* prope diem erumpet in dias luminis auras, non paucis in locis correctus ex *Gudiano*, quod ſecum circumtulit, exemplari, & quod cum lapidibus compoſuit, ut & ex animadverſionibus *Fabretti*, ac aliorum. Statim ſequetur ſecundus Tomus, tum tertius ex *Gudiana* collectione, & quas ipſe quaeſivi, quaeque ſubinde ex Britannia, & veſtra Italia, locisque non paucis aliis ad me mittuntur. Vtinam poſsim illarum compos fieri, quas praeter a ſe publicatas, ſe comparaſse teſtatus eſt *Fabrettus* in Epiſtola paucis menſibus ante obitum eius ad me data. Sunt alia, quae narrem, & in quibus Tuum conſilium, & opem implorem, in primis de conſilio, quod cepimus, *Theſaurum Antiquitatum Italicarum* (1) ad exemplum *Theſauri Romanarum* publici iuris faciendi, in quem coniicientur omnes Scriptores, qui de ſingularum Vrbium, & Terrarum origine, & rebus, aliquid emiſerunt in lucem dignum viſu: duo tomi iam poene ſunt confecti. In primis ſunt: *Petri Leonis Caſellae de primis Italiae Colonis* liber, qui ta-

1 Splendidiſſimum hoc opus a *Graevio* inchoatum, & *Theſaurus Antiquitatum & Hiſtoriarum Italiae* inſcriptum Tomis in f. comprehenditur, prodiitque *Lugduni Batav. per Petrum Vander Aa* ab anno 1704. ad

tamen tanti non eſt; *Iacobi Bracelii Orae Liguſticae deſcriptio*, & *de Claris Liguribus* libellus, *Gaudentii Merulae de Gallorum Ciſalpinorum antiquitate libri tres*; *Bonaventurae Caſtilionis de Gallorum antiquis ſedibus*; *Vberti Folietae Hiſtoria Genuenſium*; eiusdem *Clarorum Ligurum Elogia*; Eiusdem *Coniuratio Ioannis Ludovici Fliſci*, cum adiunctis opuſculis; Eiusdem de *ſacro foedere in Selimum*, *& variae expeditiones in Africam*; Eiusdem *de ratione ſcribendae hiſtoriae*; Eiusdem *de cauſis magnitudinis Turcarum*; *Iacobi Barcelii de bello inter Genuenſes & Hiſpanos geſto ſuo tempore* liber; *Iacobi Bonfadii Annales Genuenſes*; *Hieronymus de Marinis de Genuenſium dignitate*; *Petri Bizari de Genuenſis Reip. ſtatu & adminiſtratione*; *Vberti Folietae* omnia *Opuſcula Hiſtorica* hic iunctim edita ſunt, quoniam ſunt pereximia & perrara: *Petri* vero *Bizari Hiſtoria* omiſsa eſt, quia in omnium verſatur manibus. De his & aliis tomis plura ſcriberem, quod tamen propediem fiet, niſi urgerent parentes *Reſandii*, qui has Tibi reddet, ut maturarem hanc ſcriptionem: Eius pater civis eſt huius Vrbis honeſtus, & vicinus meus; facit artem chirurgicam. Eius filius apud vos, uxore ducta, ſedem fixit. Is per parentes ſaepe a me petiit, ut ſe Tibi traderem, & commendarem, ut Tuo conſilio in inſtitutione vitae ſuae ratione ſibi liceret uti. Quod pro Tuo erga omnes ſtudio, in primis exteros, non potui ei officium debere. Si talem apud vos ſe praebuerit, ut ei ſine moleſtia, commodare poſſis, Tibi etiam hoc nomine plurimum ero ob-

obſtrictus, quia illi propter optimos parentes volo. Brevi aliam habebis Epiſtolam. *M. Antonius Ferratius*, cuius *Epiſtolicas quaeſtiones* apud amicum vidi, quis nam eſt? Nam alia quoque huius generis edidit? Vale, Vir Excellentiſsime, ac me ama. Traiecti Batavorum prid. Kal. Novembris cIↃIↃCCII. (1)

10.

1 Non diu poſt *Graevius* magno Literarum damno e vivis exceſſit. Funebrem eius laudationem *Petrus Burmannus* edidit Traiecti ad Rhenum 1703. in 4.

Digitized by Google

IO: GEORGII GRAEVII

EPISTOLAE

AD IAC. GRONOVIUM.

* * * * *
* * * *

EPISTOLA I.

IACOBO I. F. F. GRONOVIO

VIRO CLARISSIMO S. P. D.

IOANNES GEORGIUS GRAEVIUS.

SCis ſtationem hanc maxime exercitam valde fervere, cum proferendarum rerum tempus inſtat. Huic turbae totum me ſibi vindicanti, donabis, ſpero, hanc brevitatem. Iactura quam in *Valleſio* fecimus eſt irreparabilis. Habet Respublica Litteraria cauſsas iuſtiſsimas, cur in longum tempus lugubria non exuat. Amiſit enim paucis in annis magnos illos antiſtites, qui ſoli illius dignitatem vere ſuſtinebant: nec video qui ſuccreſcant; Te tamen cum reſpicio, qui ſolus es ſpes altera Romae, nondum deſpero. *Slegelii* mors mihi quoque lugubris accidit; nam quod Te mordet, a me non poteſt alienum eſse. Remitto Tibi Diſsertationem *Kavine de Lampade Volante*, Vides attritam eſse manibus noſtrorum Mathematicorum, per quas am-

ambulavit. Gaudeo C. *Magliabeckio* honorem quem meretur ab omnibus haberi. In libris *VVagenſelii* & *Velſchii*, qui ad nos his nundinis perlati ſunt, invidendis laudibus video merita C. *Magliabeckii* ferri ad ſydera. Et ſane dignior eſt qui ab eruditis in Coelo ponatur, quam Pollux & Caſtor; tanta eius, & tam prolixa erga omnes litterarum ſtudioſos eſt beneficientia. Spero faſciculum, quem ante hos tres menſes ad eum curandum commiſi *Elzevirio*, nunc in Etruriam perlatum eſse. Accipis hic exercitationes Academicas, ſed adieci *Animadverſiones Hubnii in Pollucem*, ex quarum lectione maiorem ego coepi voluptatem, & fructum, quam ex illo libro, quem Tu videre deſiderabas. *Steenbergii* praenomina ſunt *Ioannes Baptiſta*, ſed perſonam quam gerat, ignoro. Pluribus tecum agam alias. Nunc cogor hanc telam abrumpere, Vale, Flos hominum elegantiorum.

Traiecti a. d. XXII. Iun. MDCLXXVI.

Cras Lugduni inaugurabitur *Lamonius*.

EPISTOLA II.

CVm Tuae ſuaviſsimae mihi redderentur, adverſa conflictabar valetudine, quae me unam atque alteram hebdomadam exercuerat. Tantum quod nonnihil levatus eram, cum ab Ampliſs. *Abſmadio* Leidenſis Vrbis Senatore, arceſſerer Lugdunum, propter tabulas teſtamenti *Samueli Sciaſſii* anno ſeptuageſimo huius ſeculi Hagae Comitum facti, in

in quibus, non ſolum parens Tuus *ὁ μακαρίτης*, ſed & *Heinſius*, Academia Leidenſis, *Abſmadius*, ego, pluresque alii ornabantur. Sed hoc teſtamentum paucis ante obitum diebus reſcidit *Sciaſsius*, *Gudio* herede inſtituto ex aſse. Id irritum eſse, quia per Leges Cimbricas teſtamenti factionem non habuerit defunctus, contendebant *Abſmadius* aliique; volebantque Legibus experiri. Sed argumenta non videbantur mihi efficacia ſatis ad ultimum Codicem Sciaſsianum diſcutiendum. Itaque nolui eis ſubſcribere. Quid futurum ſit, ubi certiora cognovero, nam Leidenſis Academiae Curatores dicuntur iſtius negotii cauſsam ſuſcepturi eſse, ex me reſciſces. Hoc iter quatriduum mihi exemit. Reverſus incidi in eumdem morbum, qui me lecto affixit duas fere hebdomadas. Cum meliuſcule haberem, animi relaxandi cauſa excurri Amſterodamum, & inde in Harlemenſium agrum ad communem noſtrum amicum *Rulaeum*, ubi Tuae libavimus poculum valetudini. Mea nunc videtur eſse firmata. Sed Amſterodami reliqui *VVolzogium* graviter alvi profluvio, non ſine vitae periculo laborantem. Recte iudicas de *Kuhnianis Animadverſionibus in Pollucem*: ſi conſuetudine virorum eruditorum uſus eſſet, poſsent nonnullis naevis carere. Nihil tamen a plurimis annis in Germania prodiiſse cultius & politius, nemo poterit infitiari, qui ſenſum aliquem habet litterarum. Cur *ἐνδυμενία* in Macedonicis vocibus numeret, cauſsam nullam video. *Arrianum* Te recenſuiſſe mirum in modum gaudeo. Vtinam Tuae caſtigationes pro-

pe-

propediem lucem adſpiciant! Quae ſubtiliter diſputaſti de acie Alexandri in libro *II.* mihi val e probantur. Nullus dubito quin acurem tetigeris. Videbis etiam non longe ab hac ſententia *Vulcanium* aberaſſe, in nova, quam moliebatur editione, ad antiquum codicem recognita, & plurimis in locis emendata. In eam bonis avibus incidi Lugduni apud Amicum, & hoc unum itineris pretium tuli. Eius copiam mihi fecit ad duorum menſium ſpatium, Non potui non eam Tecum communicare. Sed fac, quaeſo, cis duas, treſve ſummum hebdomadas ad me redeat, cum omnibus ſcidis, quas inſertas vides, ne fides mea vacillet. De Re Litteraria ſi quid habes ex Italia, ac Gallia, quod nuncies, beabis. Hic & in Batavia friget valde. *Antonini Liberalis* novam editionem audio volitare per Angliam, & Galliam. Sed hic nigris diligentius uvis cuſtoditus, obſeptis omnibus rimis, ne quod exemplum elabatur ante Nundinas Francofurtenſes: tum demum eius inſpiciendi nobis dabitur poteſtas. A *Langermanno* litteras habui, quibus ſcribit ſe accepiſſe Te *Manethonis* ἀποτελέσματα vertiſſe, atque Tuam editionem avide expectare, quia huic curae ipſe vacare nunc per forenſes tricas non poſsit. Vale, meum & Litterarum decus. Traiecti ὡς τάχιστα a. d. x. Sextil. CIϽIϽCLXXVII. Tuas Sorores & Fratrem, quem propediem hic me viſurum ſpero, amantiſsimis verbis noſtri omnes ſalutant.

CVm ferme ad umbilicum perductum eſſet Volumen hocce, Cl. Ant. Franc. Gorius Hiſtor. in Flor. Lyceo Prof. P. & Literaturae laude inſignis, nobiſcum perhumaniter communicavit duas inſequentes cultiſſimas Cuperi Epiſtolas, quas ideo ſeorſim ab aliis edere coacti ſumus. Tanto igitur Viro accepta referimus erudita haec λείψανα, deſcripta ex autographis, quae ipſi Ant. Franc. Marmius D. Steph. Eques, & Magliabechianae Bibliothecae Curator olim tradiderat. Neque vero uno hoc munere demereri nos voluit Cl. Gorius; ſed ſpem praeterea nobis fecit impertiendi alias Claror. Virorum Epiſtolas ad Magliabechium ſcriptas, & de Antiquitatibus tractantes, ſibi pariter a Marmio commodatas: qua quidem ſplendida acceſſione mirum quantum Sylloge noſtra ditеſcet! Caeterum de inſequenti Epiſtola ad Muratorium, confer quae ſuperius egit Cuperus Epiſt. XXVII. ad Magl. de alia vero ad Salvinium mentionem facit Epiſt. LII.

GISBERTI CVPERI

EPISTOLA

AD LVD. ANTONIVM MVRATORIVM.

LVDOV. ANTONIO MVRATORIO
VIRO PRAESTANTISSIMO
S. D.
GISBERTVS CVPERVS.

AMpliſsimus *Copeſius* me certiorem Venetiis fecerat, Te non modo eruditionis Graecae, & Latinae cultorem ſummum, verum etiam erga exteros officioſum, & ſtili eſse elegantis, atque adeo multa polliceri inedita doctiſsimis notis Tuis illuſtranda. Ex eo tempore ingens me deſiderium coepit penitus Te cognoſcendi, & de modo, quo id commode fieret, conſtitueram agere cum *Copeſio*

ſimul ac eum reducem amplecti daretur. Ille quidem redditus eſt ſuis; ſed cum per hanc urbem non tranſierit, nondum mihi licuit eſſe tam felici. Et bene habet, quod conſultationem eam mihi exemerit epiſtola Tua eruditiſſima, & humaniſſima, quae me non ſolum, credas velim, exhilaravit mirificum in modum, verum etiam unde ſumma cum animi mei voluptate cognovi verisſima esſe, quae *Copeſius* ad me miſit, Teque ἀναμφιλόγως iis accenſeri debere, qui in interiora ſtudii noſtri penetralia inſpexerunt, & quibus Italia iure merito ſe ſe hodie extollit. Ego certe plurimum Tibi debeo, quod amicitiam meam expetiveris; nec necesſe erat tam officioſis verbis excuſare hanc compellationem, quia inter eos nomen meum profiteor, qui cum omnibus Eruditis commercium litterarum inſtituere, atque ex animo inſervire eorum utilitatibus, & commodis conantur. Habebis igitur me amicum, eumque firmum & fidelem; nihilque mihi erit acceptius, quam litterarum ope ſubinde Tecum confabulari, & agere de rebus, quae pertinent ad Philologiae, & Antiquitatis ſtudium, in quo tam diligenter, & tanta cum laude verſaris, & optandum utique foret, ut expectationi Tuae ſatisfacere ita posſem.

Multum laetor Te invenisſe in Ambroſiana Bibliotheca *S. Paulini* Epiſcopi Nolani varia Poemata inedita, atque adeo ea a Te Diſsertationibus iri illuſtrata. Hoc nomine Tibi revera plurimum debebit Reſpublica Litteraria; tum quia non niſi edolata a Te proficiſcuntur, tum quia ex iis, de quibus

me

me conſulis, perſpicio multa interioris eruditionis iis Carminibus contineri. Quaeris igitur, qualem Ethnicorum ſuperſtitionem perſtringat *Paulinus* binis his verſibus.

Quid quod & INVICTVM ſpelaea ſub atra recondunt;
Quaeque tegunt tenebris audent hunc dicere Solem.

INVICTVS ille, proculdubio, Deus Gentilium eſt. In monumentis vetuſtis apud *Gruterum*, *Reineſium*, & alios *Apollo*, *Hercules*, *Mercurius*, *Mars*, *Serapis*, *Sol* INVICTI. *Iſis*, *Venus*, *Diana* INVICTAE vocantur. Quin abſque alio proprio nomine DEVS INVICTVS obvius eſt in Inſcr. 9. 10. XXI 7. XXXIII. 7. 8. MIX. & DOMINVS INVICTVS II. MLXVI. apud *Gruterum*. Et puto has Inſcriptiones, in quibus nempe proprium Dei nomen non additur, ad *Paulini* INVICTVM debere referri, qui & ita abſolute vocatur in Inſcriptione veteri apud *Ferretium* p. 9. *Muſ. Lap.*

HIC PATER INVICTI MYSTICE VICTOR HABET
ET VENERANDA MOVET CYBELES.

Commodianus Poeta Chriſtianus, qui floruit tempore *Silveſtri* I. cuiuſque ſcripta inter apocrypha retulit *Gelaſius* in Concilio Romano I., anno Ch. 494. INVICTVM hunc Deum deſcribit M. Struct. XIII.

INVICTVS *de petra natus, ſi Deus habetur,*
Nunc ego rogo vos de iſtis date priorem.
Vicit petra Deum, quaerendus eſt petrae Creator;
Inſuper & furem adhuc depingitis eſſe.

Et notat *Rigaltius*, *Commodianum* reſpicete

re ad *Acdeſtin*, quem depingit *Arnobius* Lib. 5. p. 158. *adv. Gentes*. *Hanc* (Magnam Matrem) *in vertice ipſo* PETRAE *datam quieti & ſomno, quam inceſtis Iupiter cupiditatibus appetivit; ſed cum obluctatus diu, id quod ſibi promiſerat obtinere nequiviſſet, voluptatem in lapidem fudit victus; Hinc* PETRA *concepit, & mugitibus editis multis prius, menſe naſcitur decimo, materno ab nomine cognominatus Acdeſtis* (mons ſcilicet *Agdus* dicebatur.) *Huic robur* INVICTUM, *& ferocitas animi fuerat intractabilis* &c. Ab *Arnobio* abit *Pauſanias* Lib. VII. p. 430. notatque Iovem in ſomno ſemen profudiſſe in terram, indeque natum *Agdeſtin*; & ut ſimilem fabulam habeas, *Plutarchus* in Lib. *de Fluminibus*, ubi de *Arane* agit, narrat *Mithram* cum filium habere cuperet, & mulieres odio proſequeretur, petram quamdam concubitu ſuo calefeciſſe, eamque praegnantem factam, ſtato tempore progenuiſſe potentem, nomine *Diorphum*. Sed licet hiſtoria *Acdeſtis* commode illuſtret *Commodianum*, puto tamen eundem ante oculos habuiſſe *Mithram*, vel *Solem*, qui ſaepiſſime *Invictus* appellatur; licet non legerim apud Gentiles, eum fuiſſe natum de petra; niſi hoc inde arripuerit *Commodianus*, quia *Mithra* in ſpecubus tenebroſis colebatur, κρύφιος inde dictus, & Θεὸς ἐκ πέτρας, quod ultimum poſſet verti *e petra natus*. Sed Gentiles maxime *Solem* coluerunt, ortoque Chriſtianiſmo tamquam eos multitudinis Deorum puderet, viderentque, illam rationi rectae refragari, omnes Deos ad *Solem* retulerunt; atque inde & Perſarum, qui

ma-

maxime ſidus illud celebrant, *Mithram*, vel *Solem* fecerunt, vel *Soli* dederunt ſocium, eumque appellarunt INVICTVM, & OMNIPOTENTEM DEVM: inde in lapidibus vetuſtis legimus MITHRAE DEO SOLI INVICTO. MITHRAE INVICTO. ΜΙΘΡΑ ΑΝΙΚΗΤΩ ΗΛΙΩ ΜΙΘΡΑ ΑΝΙΚΗΤΩ· vel SOLI SOCIO DEI INVICTI MITHRAE; atque adeo abſolute etiam INVICTVS vocatur, non modo in Lapide a *Ferretio* edito, apud quem & ſequitur PERSIDICIQVE MITHR ANTISTES BABILONE (forte ſcriptum fuit Babiloniae) TEMPLI; verum etiam in Calendario vetuſto, quod poſt alios edidit *Lambecius* Tom. IV. Bibl. Caeſar. VIII. KAL. IAN. NATALIS INVICTI, uti vides reiecto natali Conſtantini, me ſequutum *Pagium*, *Harduinumque* doctiſsimos certe viros, hunc locum referre in Epiſtola ad ampliſsimum *Voetium*, quae notis meis in *Lactantium* ſubnectitur, ad ſolis natalem: quam ſententiam etiam amplectitur *Graevius* V. Cl. & ſeculi decus ad c. xxv. *Lact.* nec non, ſi bene memini, illuſtr. dignitatis, & praeclarae eruditionis Vir *Ezechiel Spanhemius* in notis ad Orationem I. *Iuliani*, quae commodum numquam ſatis laudandae lucem aſpiciunt; atque inde eſt, cur etiam in nummis *Maximi*, *Quieti*, *Aureliani*, *Conſtantini* legatur SOLI INVICTO COMITI vel SOLI INVICTO. Huius autem *Mithrae Solis* ſacra in ſpeluncis fuerunt peracta. *Iul. Firmicus* Lib. *de Errore Profanar. Relig. Virum vero abactorem boum colentes, ſacra eius ad ignis transferunt poteſtatem. Hunc* Mithram *dicunt. Sacra vero eius in ſpeluncis abditis tradunt; ut ſem-*

 per

per obſcuro tenebrarum ſqualore demerſi, *gratiam ſplendidi*, *ac ſereni luminis non videant*. Et quidem *Zoroaſtrum* primum ſpeluncam in Perſiae montibus conſecraſse in honorem Rerum Omnium Auctoris, & Parentis *Mithrae*, teſtatur *Eubulus* apud *Porphyr.* lib. de *Antro Nymph.* & ita *Mithrae* ſpeluncam tribuit *Statius I. Thebaid.*

Adſis o memor hoſpitii, Iunoniaque arva
Dexter ames: ſeu Te roſeum Titana vocari
Gentis Achoemaeniae ritu: ſeu praeſtat Oſiris
Frugiferum; ſeu Perſei ſub rupibus ANTRI
Indignata ſequi torquentem cornua Mithram.

Vbi notat Scholiaſtes vetus, ſive is *Lutatius*, ſive *Lactantius* appellatus fuit; Perſas in ſpelaeis Solem coluiſse; hinc Solem proprio nomine vocari *Mithram*, & intra *antrum* coli, quia eclipsin patitur; *Solem* fuiſse Leonis vultu cum tiara Perſico habitu, & utriſque manibus bovis cornua comprimentem: hanc interpretationem ad *Lunam* duci, quae indignata ſequi fratrem, occurrit illi, & lucem ei obſcurat; & ſimiles *Mithrae* figuras etiam nunc Romae cerni, editaſque eſse a variis Viris eruditis non ignoras. Atque inde puto cum *Barthio*, Patres accepiſse, & arripuiſse eum fuiſse boum abactorem, quia bovis cornua tenens, eum abigere velle videbatur; cum tamen Gentiles pro varia ſua ſuperſtitione, ad Lunam, cui cornua tribui doceo ſatis multis in *Harpocrate* meo pag. 12 & 109. vel ad Terram, ut nonnulli Eruditi cenſent, referebant eiuſmodi picturam. Atque ut magis illuſtretur *Paulinus*: *Spelaea*, etiam memorat in *Mithrae Solis* ſacris *Tertullianus* Lib.

de

de Corona militis. Erubeſcite iam Romani commilitones eius non ab ipſo iudicanda, ſed ab aliquo Mithrae milite, qui initiatur in SPELAES. Et *Hieronymus Epiſt. ad Laetum* etiam *Specum Mithrae*, non ſecus ac *Porphyrius*, aliique memorant, *Spelaeumque* obvium eſt in Lapide apud *Gruterum* ſ. XXXV.

DEO SOLI
INVICTO MITHRE
FL. SEPTIMIVS ZOSIMVS
V. P. SACERDOS DEI
BROTONTIS ET AECATE
HOC SPELIVM CONSTITVIT

Et in alio qui ſequitur, eodem Deo *Tib. Claudius Thermodo⸱us* dicitur, voti compos, dediſse SPELEVM CVM SIGNIS: In priore autem Inſcriptione, ut hoc addam obiter, AECATE mihi eſt Dea Hecate; & puto male inde *Scaligerum* in *Indice* diverſam hanc ab ea Deam facere. Atque hinc puto clare patere, quare *Paulinus* INVICTVM canat *Solem* eſse: nam *Mithram Solem* habitum fuiſse, non modo ex iis quae adlata a me ſunt, patet; verum etiam ex *Strabonis* Lib. 15. *Heſychio*, *Suida*, aliiſque. Quod ſequitur apud *Paulinum*.

Quis ferat hoc ſapiens, illos quaſi claudere Solem,
Hos proferre palam propriorum monſtra Deorum?

partem ex Mithriacis, partem ex Iſiacis ſacris

cris interpretandum eſt; & iam quidem docui *Solem*, vel *Mithram* in ſpeluncis fuiſse cultum; id quod vocat Paulinus *claudere Solem*. In Iſidis autem ſacris, vel Pompis portabantur *portentuoſa*, ut *Hieronymus* loquitur, *ſimulacra*, v. c. *Anubis* canino capite inſignis, quem & portaſse Imperatorem Commodum ex *Spartiano* conſtat: qualia monſtra in iis procul dubio proceſsionibus multa fuerunt, obvia in *Tabula Iſiaca Pignorii*, nec non in lamina aurea, cuius ectypus ad me Neapoli miſsus, & *Actis* etiam *Eruditorum Lipſienſium* inſertus eſt Anno 1695 pag. 48. quo de ritu vide, quae notavi in *Harpocrate* pag. 165. Sequitur:

Suſpendunt Soli per Vulcanalia veſtes,
Vtque notent Venerem, tunc & portatur Adonis:
Stercora tunc mittunt ipſum pro ſtercore iactant.

Difficile hoc explicatu eſt, & neſcio profecto, an coniecturas meas Tecum audeam communicare: ita illae mihi ipſi parum ſatisfaciunt: tentandum tamen aliquid, quia iubes, & ut Tibi occaſio detur diligentius hos in Ritus inquirendi. *Sol*, ut fabulatur *Ovidius*, VI. *Metamorph.* adulterium Veneris, & Martis indicavit marito Veneris Vulcano, hicque eos in lecto deprehendit: illius rei in memoriam forte veſtes tempore Vulcanaliorum, id eſt Stragulae, quibus lecti ſternebantur, fuerant Soli ſuſpenſae; nam *veſtes* de ſtragulis uſurpari conſtat ex *Horatio*, & aliis: quod ſi quis tamen *veſtes* deſignari velit, quibus amicimur, nequaquam illi repugnabo;

bo; cum & illae ſuſpendi potuerint, ad exprobandum Veneri illam nudam cum Marte iacuiſse; certe videtur hoc factum eſse ad Venerem uxorem Vulcani notandam, non ſecus ac id quod ſequitur:

Vtque notent Venerem, tunc & portatur Adonis. tunc ſcilicet, etiam in feſto Vulcanaliorum Adonis ſimulacra portantur; unde & mos in pomparum deductionibus uſitatus, & modo laudatus illuſtratur, non ſecus ac veſtes Soli ſuſpendebantur, ad notandam etiam Venerem, quae ſcilicet licet nupta . . . nonigeno marito, Adonin amavit, ut eſt notiſſimum.

Vltimus verſus aeque eſt difficilis, & quid ſibi velit *ſtercora tunc mittunt*, *ἀπέχω* plane. Apud *Feſtum* in vv. *Quando ſtercus*, & *Stercus ex Aede Veſtae*; & apud *Varronem* Libro v. de *L. L.* pag. 20. legitur *certo die ſtercus* (i. e. ſordes) *ex Aede Veſtae everri, & per Capitolinum Clivum in locum certum deferri*. Sed haec res nihil habet commune cum Vulcanalibus, vel cum Adoni. In Adonis feſto circumferebantur teſtae, vel cophini, in quibus fruges proveniebant, quas teſtas vocabant *κήπους Αδώνιδος*, traditque *Simplicius* Lib. V. *in Phyſ. Ariſtot.* citius in iis frumentum excreſcere, proculdubio quia terra erat bene culta, & fimo commixta: illae teſtae mortuo Deo, vel cum eius mors ſolemniter celebrabatur, proiiciebantur una cum teſta, & fimo in fontes, vel mare. *Zenob.* Cent. I. prov. 49 *Γίνονται δὲ αὐτοὶ οἱ κῆποι τοῦ Αδώνιδος &c. Fiebant autem Adonidis Horti in teſtis ſemine conſitis, at gramine dum-*

ta.

taxat (imo uſque dum vireſceret) *Efferuntur autem una cum extincto Deo*, *& iaciuntur in fontes* *Euſtath. ad Odyſſ.* λ. p. 1701. ed. Rom. Κῆποι Αδωνίδος φυτάρια ταχυ ἀναθηλλοντη ἐσα χότρα ς ἢ ἀρρίχου κ̓ ὁλως κοφίνου τινὸς κ̓ ἀυτίκα ῥιπζουμενα κατὰ θαλάσσης κ̓ ἀφανιζόμενα, καθ' ὁμοιοτητά τίνά τοῦ κατα τοῦ ὠκύμορον Αδωνιν θανάτου: & obſerva hoc factum eſſe in memoriam, & ſimilitudinem mortis Adonis, atque ut ille in prima iuventa raptus, vel occiſus eſt ab Apro, ſive Marte in Aprum mutato, ut fabulantur; ita & hi Horti dum adhuc virides erant, neque ad maturitatem fruges, quae in iis erant, pervenerant, proiiciebantur in mare, vel fontes. Quin & ipſe Adonis, vel ſimulacrum eius in mare proiiciebatur, ut notat *Scholiaſtes Theocriti* ad *Idyll.* 15 v. 135. ἐπὶ γὰρ τὴν Θάλασσαν ἐκφέροντες τὸν Αδωνιν, ἔρριπτον ἐπ' αὐτήν: & Tuum iam erit iudicare, an ad miſſas in mare teſtas *Paulinus* reſpexerit, cum canit *Stercora tunc mittunt*, & non ad Adonim proiectum, cum ſubiungit *ipſam pro ſtercore iactant*.

Reſtat tandem *Draco Veſtae*, de quo ita canit Epiſcopus:

——————— *Veſtae quas virgines aiunt*
Quinquennes epulas audis portare Draconi.

Veſtales eligebantur valde tenerae, & iuvenes, ut certo conſtaret de earum virginitate: noſti enim *Quartillam* apud *Petronium* dicere: *Iunonem meam iratam habeam, ſi unquam me meminerim virginem fuiſſe:* & *Labeo Antiſtius* apud *A. Gellium* lib. I. Cap. II. ſcribit, minorem quam annos ſex, maio-

iorem quam decem natam capi non potuiſſe: unde & recte *Prudentius* lib. II. *contra Symmachum*:

Ac primum parvae teneris capiuntur in annis,
Ante voluntatis propriae quam libera ſecta
Iuſta maritandi condemnet vincula ſexus.

Et poſtea videtur uſu invaluiſſe, ut etiam quinquennes eligerentur, ut ex *Paulino* patet; Illae igitur virgines quinquennes dicuntur portaſſe epula Draconi, unde videor colligere has virgines ſimul ac captae erant, epulas Draconi appoſuiſſe, idque forte ideo factum eſſe, ut conſtaret plane de earum virginitate, quales a Dracone non laedi videntur habuiſſe perſuaſum. Tale quid nos docet *Tertullianus* lib. I. *ad Vxor.* c. 6. *Romae quidem, quae Ignis illius inextinguibilis imaginem tractant, auſpicia poenae ſuae cum ipſo Dracone curantes, de virginitate cenſentur*. Scio *Rigaltium* per *Draconem* intelligere *Satanam*; ſed *Paulinus* teſtis eſt omni exceptione maior, tunc creditum fuiſſe (neque enim apud Gentiles Romanos Scriptores, Graecoſve tale quid legitur) Virgines Veſtales in aditis aluiſſe ſerpentem; & huc pertinet quod in quibusdam Actis Silveſtri Pontificis legimus: *Draconis eum ora clauſiſſe, & perpetuo ergaſtulo mancipaſſe, cui Calendis ſingulis a Virginibus Veſtae ſuppeditari ſolita ſunt alimenta*, uti notat *Lipſius* c. x. de Veſta. Quin & huc pertinere videtur ſtatua Veſtae ſedentis, & pateram porrigentis ingenti ſerpenti, cum inſcriptione VESTAE SACRVM C. PVPIVS FIRMINVS ET MVDASENA TROPHIME: quam ſtatuam videre licet apud illu-

ſtrem

ſtrem *Fabrettum* p. 339. ad Tabellam Iliadis: nam vel inde patet quodammodo Serpentem aluiſſe Veſtales Virgines, vel ex eiuſmodi picturis, ſtatuiſque, fabella haec originem habere potuit: maxime quum Pupius ille Firminus vixerit medio ſeculo ſecundo, ut ex alio Lapide ibidem laudato patet; & *Tertullianus* illo exeunte floruerit, & initio tertii ſcripſerit libros *ad Vxorem*. Haec ſunt, Eruditiſſime *Ludovice*, quae mihi in mentem venerunt, poſtquam epiſtolam Tuam, utpote mihi acceptiſſimam legi, & relegi. Quod ſi quid praeſtiti dignum Tua expectatione, erit quod ſerium in modum gaudeam, ſin minus titubantem, quaeſo, ſubſtenta, & aequi bonique conſule, quae, ut Tibi ſatisfacerem, in chartam conieci. Vale plurimum. Daventr. Cal. Oct. St. Gregor. 1696.

GISB.

GISB. CVPERI

EPISTOLA

AD A. M. SALVINIVM.

Clariſſimo, Celeberrimoque Viro

ABBATI SALVINIO S. D.

GISBERTVS GVPERVS.

INtellexiſti proculdubio ex *Brenkmanno*, quo loco apud me ſit ſingularis Tua eruditio, & opinio illa certa aucta eſt mirum quantum, poſtquam vidi Notas Tuas in *Menandri Fragmenta*, & intellexi ex eodem *Brenkmanno*, Te edere velle *Erotica Xenophontis* (1) *Epheſii*, & *Charitonis Aphrodiſienſis*.

ICtus

1 *Xenophontis Epheſii* Amatoria Eruditiſs *Salvinius* Etruſce expreſſit, ediditque hoc titulo *Di Senofonte Efeſio degli Amori di Abrocome, e d' Anthia Libri V. tradotti da A. M. Salvini. Londra per Giovanni Pickard* 1723. in 8. Graecum autem *Xenophontis* Textum primus publici iuris fecit Cl. *Antonius Cocchius*, praecipuum Vrbis noſtrae Decus, adiecta elegantiſſima fideliſſimaque Latina Verſione. Libri Titulus talis eſt. *Xenophontis Epheſii Epheſiacorum Libri V. de Amoribus Anthiae & Abrocomae: Nunc primum prodeunt e vetuſto Codice Bibliothecae Monachorum Caſſinenſium Florentiae, cum latina interpretatione Antonii Cocchii Florenti-*

ICtus ille doctiſſimus, & ſollertiſſimus egit mecum de inveniendo typographo in Batavis, & continuo egi cum amicis meis tam Amſtelaedami, quam Traiecti ad Rhenum; & *Clericus* quidem haec, quae ſequuntur, ad me miſit, quae Tecum potius communico, quam cum Amico noſtro communi, quia illum nunc arbitror Romae agere, & quia Tua res agitur, Vir eximie.

Haec igitur ſunt *Clerici* verba: *J' ai parlè a divers libraires des deux pieces de Mr.* Salvini, *mais je n' ai rien pu obtenir d' eux, parceque je n' en pouvois pas dire la groſſeur au juſte. Je ne doute neant moins pas, que je ne trouvaſſe, qui l' imprimeroit, ſi j' avois la piece entre les mains, & que j en puiſſe parler plus poſitivement; ſans cela, je ne vois pas, que je puiſſe rien faire, quoique je ſouhaite extremement de faire plaiſir a l' Auteur, & de voir publier quelque choſe de nouveau. Je crois, que ſi Mr.* l' *Abbè* Salvini *l' envoioit, & diſoit ce qu' il en veut avoir pour les feuilles, telles que ſont les Fragmens de* Menandre, *que j ai publiez, il ſeroit facile de faire affaire, ſur tout s' il ſe contentoit d' etre payè en livres de ce pays.*

Hinc vides, Vir Clariſſime, quid *Clericus* putet Tibi faciendum eſſe, & ego illius, ſi res mea ageretur, conſil[illegible] ſequererer, quia eſt Vir optimae fidei; & promovere ſtudet conatus ſtudioſorum virorum. Traiecto ad Rhenum nihil adhuc accepi, quod ſi tamen id fit, non deſinam quidquid eſt ſuppo-

ni. Londini typis Guglielmi Bowyer 1726 in 4.

ponere huic Epiſtolae, ut ita ſimul cognoſcas, quas conditiones Typographi, qui ibi ſedes fixerunt, deſiderent:

Caeterum laetor ſummopere, Amatorios illos libellos, mihi occaſionem dediſſe Te conveniendi. Diu mihi conſtitutum fuit illud facere; ſed negotia aliis ſuccedentia perpetua quaſi ſerie, fuerunt impedimento; ne iam dicam me a me impetrare non potuiſſe, ut continua Tua, & gravia ſtudia quiſquiliis meis interrumperem. Sed iam iacta eſt alea, tranſgreſſus Rubicon; & ſpero Te in bonam accepturum partem, quod hanc mihi libertatem ſumam, Teque tam felicem fore, ut edas binos illos, licet amatorios libellos. *Brenkmannus* utriuſque communicavit mecum initia, atque elegantia, & facilitas me mirum in modum affecerunt, & fateor me diu non legiſſe Graeca, quae iis dotibus erant circumdata. Idem eximius & diligens, iudiciique exacti ICtus attollit valde, idque merito, cognitionem Tuam accuratam Linguae Graecae, additque ſe plurimum a Te adiuvari in conferendis *Baſilicis*, quantum conatibus eius inſervire poſſunt. Multum profecto eo nomine Tibi *Iuſtinianus* debet, & ita bona fide, eruditus orbis videbit magis, magiſque, quantum in Te bonum poſſideat.

Cum autem diurna, nocturnaque manu verſes Graeca Exemplaria, patere ut ex Te quaeram, an alicubi vel in Demoſthene, vel in aliis Oratoribus, Auctoribuſque obſervaveris, quale corpus ΟΙ ΝΕΟΙ conſtituerint in Vrbibus Graecis, & quales Magiſtratus ΝΕΟΠΟΙΟΙ fuerint; Ecce Tibi initium Inſcriptio-

ptionis: Η ΒΟΤΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ ΚΑΙ Η ΓΗΡΟΤΣΙΑ ΚΑΙ ΟΙ ΝΕΟΙ ΕΤΙΜΗΣΑΝ ΑΤΤΑΛΟΝ . . . . . .

In alia, quae eſt Aphrodiſienſium legitur ΤΗΣ ΚΤΖΙΚΗΝΟΝ ΠΟΛΕΩΣ ΑΡΧΙΕΡΕΑ · ΤΑΜΕΙΑΝ ΑΡΧΙΝΕΟΠΟΙΟΝ ΙΕΡΕΑ · ΔΙΑ · ΒΙΟΤ · ΘΕΑΣ · ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ; & in alia invenio haec verba: ΤΟΤΤΟ · ΔΕ ΕΚΔΙΚΙΗΣΟΤΣΙΝ ΟΙ ΚΑΤΑ ΚΑΙΡΟΝ ΝΕΩΠΤΙΟ ΕΠΙ ΑΤΤΟΤ ΕΣΤΩΣΑΝ ΤΠΕΤΘΤΝΟΙ: unde puto faciendum eſſe ΝΕΩΠΟΙΟΙ; Atque ita habebimus 1. Νέους, 2. Νεω, vel Νεοποίους, eoſque Iudices, & quidem ad certum tempus, quamvis & perpetui poſſint deſignari; ſi nempe ad mortuos, vel maiore dignitate ornatos reſpicimus, & 3. illis impoſitum Ἀρχινεόποιον vel Praeſidem. Et primo quidem ignoro, an haec nomina ultima quicquam cum Νέοις habeant commune, & deinde an ſcribi debeat Νεωποιοὺς ubique, quomodo appellantur *Templorum* & *Navium aedificatores*; an vero ΝΕΟΠΟΙΟΙ ſint ii, qui curam habebant τῶν Νέων, qui eos formabant, & erant quaſi eorundem Ἐπισκόποι atque curatores. Certe Athenis Areopagitae nonnulli praepoſiti erant Iuvenum moribus, quibus Aeſchynes Socraticus in Dialogo de Morte cap. 8. editionis amici noſtri *Ioh. Clerici*, tribuit ſignificanter: τὴν ἐπὶ τοὺς νέους αἵρεσιν. Exime me hiſce difficultatibus, & vale ſummopere, verbiſque meis amantiſſimis ſaluta *Magliabechium*, *Blancum*, *Valſecchium*, & *Brenkmannum*. Daventriae a. d. 12. Cal. Ian. 1712.

Poſtea alias Inſcriptiones, quod exciderat, accepi, quarum una eſt Magneſiae ad Maean-

drum

drum, in qua legitur:.. ΣΤΗΜΑ (ſcribe ΤΟ ΣΥΣΤΗΜΑ) ΤΗΣ ΓΕΡΟΥΣΙΑΣ ΚΑΙ ΟΙ ΦΙΛΟΣΕΒΑΣΤΟΙ ΝΕΟΙ ΚΑΙ ΟΙ ΕΝ ΤΡΑΛΛΗΣΙ ΡΩΜΑΙΟΙ: nec non in alia: ΦΙΛΟΣΕΒΑΣΤΟΣ ΓΕΡΟΥΣΙΑ ΚΑΙ ΟΙ ΝΕΟΙ ΚΑΙ Η ΟΛΥΜΠΙΚΗ ΣΥΝΟΔΟΣ.

Sed integram adjiciam ultimam Inſcriptionem, quia rem me Tibi pergratam facturum exiſtimo, & quia aliquid mihi in mentem venit, unde forte ΝΕΟΙ, & ΝΕΟΠΟΙΟΙ, atque ΑΡΧΙΝΕΟΠΟΙΟΙ poſſent illuſtrari. Ea igitur ita ſeſe habet:

ΦΙΛΟΣΕΒΑΣΤΟΣ
ΓΕΡΟΥΣΙΑ ΚΑΙ ΟΙ
ΝΕΟΙ ΚΑΙ Η ΟΛΥΜΠΙ
ΚΗ ΣΥΝΟΔΟΣ ΤΩΝ
ΑΠΟ ΤΗΣ ΟΙΚΟΥΜΕ
ΝΗΣ ΙΕΡΟΝΕΙΚΩΝ ΚΑΙ
ΣΤΕΦΑΝΕΙΤΩΝ ΕΤΙ
ΜΗΣΑΝ ΤΙ· ΙΟΥ·ΜΕ
ΝΑΝΔΡΟΝ ΑΥΡΗΛΙΑ
ΝΟΝ ΜΕΤΑ ΠΟΛΛΑΣ
ΑΡΧΑΣ ΚΑΙ ΛΕΙΤΟΥΡ
ΓΙΑΣ ΓΡΑΜΜΑΤΕΥ
ΣΑΝΤΑ ΤΗΣ ΠΟΛΕ
ΩΣ ΕΠΙΦΑΝΩΣ

Nam Synodus illa Athletarum me credere

ſere facit ΝΕΟΥΣ eſſe iuvenes, qui in Gymnaſiis exercebantur, ΝΕΟΠΟΙΟΥΣ Gymnaſiarchas, formatores Iuvenum, vel paedotribas, & ΑΡΧΙΝΕΟΠΟΙΟΝ, omnium primum, Α'ρχοντα, penes quem totius Gymnaſii erat gubernatio, vel qui reliquis omnibus Magiſtris praeerat. Dubitanter haec ad Te mitto, idque vel eam ſolam ob cauſam, ut Tibi illarum rerum peritiſſimo anſam praebeam, penitus hanc in rem inquirendi. Fateor tamen me nuſquam inveniſſe verbum ποιεῖν eo ſenſu uſurpari; & inde eſt, quod a Te enixe petam, ut hiſce naeniis veniam dare velis. Magno certe in honore erant Gymnaſiarchae, & Ephebi, vel Iuvenes, qui ibi exercebantur, illudque Collegium, vel Corpus potuit obtinuiſſe aliquam partem Reipublicae, vel ſaltem aliis honorem habere, non ſecus ac corpus Athletarum: ſed ἅλις δρυός.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX
RERVM
MEMORABILIVM.

ABbring, Sicco, de Re Ruſtica Hebraeorum. 108.
Academia Vrnae infamiam civium prodens. 286.
Academia Gaddiana. 215.
Academia Lugduno-Batava. 17.
Accolti Aretini, Dialogus. 17.
Aeliani Varia Hiſtoria a Scheffero illuſtrata. 267. 315.
Albani, Theſes Philoſophicae, & Theologicae. 91.
Albizi, Lucae, Carmen in Magliabechium. 78.
Alcaſſarii Ephemerides. 292.
Aldobrandini, Diogenes Laertius. 192. 218. 227. Iterum edendus. 235. cum notis variorum. 242.
Aleandri Opera a Fontaninio edenda. 92.
Allatius, Leo in Etruſcas Antiquitates Inghiramii. 142. An Rhetoras Graecos ediderit. 227.
Allixii, exulis Galli Diſſert. de Chriſti anno, & menſe natali. 129.
Almeloveenius, Io. Ianſonius, Conſules ex Inſcriptionibus digerit. 100.
Ambroſii Camaldulenſis Hodoeporicon. 6. Eiusdem Epiſtolae. 10.
S. Ambroſii, Hiſtoria de Brachmanibus, cuius foetus. 10. 12.

Americae pars detecta. 273.
Amſtelodamenſis Vrbis deſcriptio. 33.
Anacreon Barneſii. 128.
Anacreon cum notis Long-Pierre. 29.
Anecdotes, les, de Pologne. 73.
Antiquaria Barberinii Cardinalis Suppellex. 285.
Antiquaria Suppellex M. D. Etruriae. 76.
Antiquaria ſuppellex Gallorum Regis, Focautii. 79.
Antiquaria ſuppellex quorumdam Italorum. 89.
Antiquitates Praeneſtinae. 327.
Antoninus Liberalis. 337.
Apologie de Domenicains Miſſionaires de la Chine. 74.
Apollodorus cum Notis Bacheti. 29.
Apollonii Pergaei Cronica quaedam ex Arabico translata. 136. *an integra, quae Florentiae edita ſunt*. 237.
Arcana Imperii detecta. 80
Ariſtidis Oratio, antea inedita. 155.
Ariſtomenis Meſſenii Vita. 72.
Ariſtophanes Kuſteri. 126. *cum notis Spanhemii Bentl. Kuſteri*: 134.
Ariſtophanis Plutus, & Nubes cum Fabrae notis. 29.
Ariſtotelis Commentatores Graeci. 195. *De Arte Poetica cum Dacierio*. 28.
Aſiarchae 46.
Aſtorii, Io. Ant. De Diis Cabiris Diſſert. 97.
Altingii Menſonis vetus Batavia, & Friſia. 315.
Auguſtini, Opera edente Clerico. 77. *In Germania editus*. 293.

Bacs

B

Bacchinius, Bened. de Hierarchiae Eccleſiaſticae originibus 97. De viis Italiae. 314.
Baglivii, Georgii, de Praxi Medica. 78.
Balutii, Notae in Lactantium. 21.
Banerius 195. 199.
Barbadorii, Antonii, Pater, Codicem Silii antiquiſſimum poſſedit. 162. 163.
Barneſius Homeri editionem meditatur. 128. Eius poemata varia. 128.
Barthius in Statium 260. Eius Adverſaria. Ibid. & 302.
Bary, Iacobus de, de Nummis Celtibericis. 116. de Populis qui variis temporibus Hiſpanias occuparunt. 117.
Baſnagii, Samuelis, Exercitationes Hiſtorico-Criticae. 302.
Battelli Diſſert. de Sarcophago Probi, Anicii, & Probae. 119.
Baudrivius in Lactantium de Mortibus Perſeq. 15.
Baylius quid ſentiat de Daniele Eremita. 321.
Begeri, Obſervationes, & Conjecturae. 28. Theſaurus Brandeburgicus. 85.
Begerii, Laurentii, Lucius Annaeus Florus. 89.
Begerus ad Nummos Ducis Arſchotani. 80. Eius Diſſert. de Sirenibus. Ibidem: de Nummis, in quibus Serpentes picti ſunt. Ibidem. Eius Mors. 110. Eius Nepos. Ibidem.
Bekelius Abrahamus. 181.
Belgii Res Bellicae. 162. 169. 173. 185. 175. 178. 180. 311. 315. Res Literariae. 164. 181.

181. 182. 183. 222. 234. 272. 280. 291. 301.
Bellum Britannicum. 270.
Benthleii curae in Horatium, & laus. 101.
Bergerii, Io. Frid. Iter Italicum. 303. De viis Romanorum. 314.
Biblia Critica. 40. 42.
Biblia Critica Britannica. 316.
Bibliotheca Europae. 28.
Bibliotheca Nicolaiana. 67.
Bibliotheca P. Francii. 106.
Bibliotheca Strozziana. 163.
Bibliotheca Hemmiana. 175. 176. 180.
Bibliotheca Cornelii Mylii. 172. 174.
Bibliotheca Gudiana. 316.
Bibliothecae Heinſianae Catalogus. 296.
Bibliothecae MSS. inſtructiſſimae Catalogus. 106.
Bibliothecae mos vendendi in Belgio. 172.
Bigotius, Emericus. 234. Quaedam ad eius vitam ſpectantia. 266.
Bizari, Petri, Hiſtoria. 332.
Blanchinius de anno veterum. 146.
Blanc le, Traitè Hiſtorique des Monnoyes de France. 29.
Blancus Sebaſtianus. 158.
Bochardi Samuelis Epiſtola deperdita. 314.
Bocharti Opera. 29.
Boetius de Conſolatione cum notis Renati Vallini. 222.
Bonanni, Phil. Numiſmata Pontificum Rom. 147.
Bonfadii, Iacobi, Annales Genuenſes. 332.
Boniourius Guilielmus commendatur. 30. eius Differt. in Hiſtoriam Sacram primae mundi aetatis. 28. 119. Differt. de Epochis Aegyptiacis 315. Eius Differt. de Ioſephi nomine.

ae. 64. 82. *Specimen Interpretationis Copticae.* Ibidem *Tractatus de Computo Eccleſiaſtico.* 90.
Borelli de inventis Inſulis Comment. 233 148. *eiusdem Animadverſiones in Pauli Veneti Itinerarium.* 248.
Boſii, Andreae mors, 181.
Boſſii, Hieronymi opera. 296.
Boxe Mr. de. Explication d'une Inſcription Antique.... ou ſont decrites les particularitez de Tauroboles. 113.
Bracelii Iacobi Orae Liguſticae deſcriptio. 332.
Brachmanes, eorum Hiſtoria. 10 12.
Braunii de Veſtitu Sacerdotali Hebraeorum opus. 393.
Braunii Io. de ſacris Electoribus. 324.
Broekbuſii Provocatio. 57.
Bruyn, Cornelii, Itinerarium. 141.
Bulſonii Antonii Epiſtolarum Sylloge. 49.
Bullialdi iter. 254.
Burmannus, Oratio de Expeditione Belgica. 113.
Burmannus, Petrus, de Vectigalibus Pop. Rom. 36. 308. *De Iove fulminante* 76. *Eius Diſſert. de Nummis Cyrrbeſtarum.* 327. *Oratio Funeb. in Graev.* 333.

C

Le CAbinet *de la Biblioteque de S. Genevieve.* 18.
Calixti, Frid. Vlr. de vario Hominis ſtatu. 41.
Calkbernerus Conſul Federatorum Belgarum Liburni. 20. 26.

Callimachus cum variorum notis. 47.
Du Cange Gloſſarium. 392.
Capellanii, Io. *mors*. 170. 280.
Capelli, *Ant. liber varias explicans Gemmas*. 99.
Carafa, *Carolus M. eius Hiſtoria*. 23 31.
Cari, *Ruderici*, *Veterum Hiſpaniae Deorum Manes*, *an unquam editi*. 125.
Caroli Guſtavi Regis Sveciae inaugurandi ritus. 205.
Caſauboni vita. 139. *Epiſtolae* 125. *Satyrica Poeſis*. 230.
Caſellae, *Petri Leonis*, *de primis Italiae Colonis*. 331.
Cavalcantius Andreas. 165. *eius mors*. 170. *Epitaphium in Margheritam Capparellam*. 213. *Cavalc. Elogium*. 286. *Opuſcula* Ibid. 187. *eius merita in Remp. Literariam*. 287.
Cave, *Guilielmi*, *Antiquitates Eccleſiaſticae*. 62. *Antiquitates Apoſtolicae*. Ibidem. *Diſſert. de terno Eccleſiae ſtatu*. Ibid. *ea Opera in varias linguas verſa*. Ibidem.
Celſii Olai de Runis Helſingicis. 64.
Chauvin, *Stephani*, *Lexicon Reale*. 25. 26.
Chevalier. *Nicolaus*. 31. *eius Hiſtoria Guilielmi III. Britan. Regis*. 36. *varia Monumenta*. Ibid.
Chimentelli, *Valerii*, *Panegyricus*. 266. 223. 224.
Chriſtinae Sveciae Reginae in literas amor. 192. 198. 207. *Florentinos admirata eſt*. Ibidem. *Datum in Sveciam invitat*. 194. 198. *Regno ſe abdicare meditatur*. 194. 198 & *ſeq*. *Poemata in eam varia*. 197. *eius Itinera*. 194. 198. 206. 208. 210. 220. *Illius Bibliothecae fatum* 208. *Eiuſdem Matris mors*. 211.
Ciam-

Ciampini. 5.
Cicero, an Iuriſconſultus. 104.
Clementis XI. Pont. Max. Homilia in Nat. D. N. I. Ch. 101. *Italice verſa*. 103. 84. 85.
Clericus Io. Appendix Auguſtiniana. 98. *Nummi Gaditani explicati*. 117. *Ars Critica*. 50. *In Moſis libros Comment*. Ibid. *Epigrammata Graeca*. Ibid. *Clerici Cenſura in Gronovium*. 98.
Cocchi Ant. Flor. 351.
Coctſii, Henrici, Horologiographia plana. 22.
Columellae Codex vetuſtiſſimus. 292. 296.
Concilia Hiſpaniae collecta. 13.
Copeſii Iter Italicum. 311.
Copes, Henricus commendatur. 41. 42.
Corradini, Petri Marcellini vetus Latium Prophanum, & ſacrum. 95.
Coronelli, Vincentii Opera. 148.
Conſtantius, Petrus contra Germonium. 128.
Crameri de Vita Boruſſorum Regis edenda conſilium. 85.
Craſſus, Laurentius. 5.
Crenii Animadverſiones Sacrae. 126.
Critici Sacri. 52. 65.
Cumberlandus de Sanchoniathone. 74.
Cuperi aeſtimatio apud Italos. 109. 121. 143. *Obſervationes*. 166. *Homeri Apoth*. 166. a 293. *Elephas Numiſmatibus illuſtratus*. 76. *De quibusdam Paulini locis ad Muratorium Epiſtola*. 53. 59. 68. *Ad eundem in verbum Invictum Epiſtola*. 57. 68. *Cuperi Iter*. 60. *Harpocrates* 99. *Iuſtinus, & Lucianus*. 182. *Petri Victorii editio*. 166. *Cup. hiſtoria trium Gordianorum*. 53. 58. 63. 82. 114. *Cuperi ſententia de Invicto*. 341.

Das

D

DAcierii Pithagorae Vita, & Verſus Aurei. 122. In Ariſtotelem, & Horatium. 28.
Dale, v. Van-Dale.
Daniel P. Gab. Hiſtoire de France. 52.
Datus uxorem ducit. 217.
Datus Carolus de Pictoribus antiquis. 223. Eius funebris Oratio. 226.
Dati, Pax, Silva Epithalamica in Nuptias Ludovici XIV. Galliarum regis. 238. Gronovio fruſtra ſuſpectus. 187. 307. Eius commercium Epiſtolicum. 191. Elogium, ibidem. In Sveciam a Chriſtina Regina invitatur. 194. 195. 198.
Deſcriptio Norimbergenſis Civitatis. 52.
Deſcriptiones Aſiae, Africae, Americae. 272.
Dionyſii Alicarnaſſei Opera. 101.
de Divinis Euſtathius, Hugenii Syſtema Saturnium impugnat. 242. 244. 245. 250.
Dodvvelli Annales Thucydidei, & de anno Attico vetere Diſſert. 52.
Drelincurtii Vita Achillis. 36. Ibid. Exercitationes Medicae.
Drummond, Iacobi iter Italicum. 307.
Du-Freſne, Raphael. 207.
Du Pin, Eliae, Nova Bibliotheca. 22.

E

EGgelingius, Io. Henricus, eius Apologia. 17 Diſſertationes de Miſcellaneis Germaniae Antiquitatibus. 44.

Ele-

Elephante, an Catanenſes pro Sigillo publico uſantur. 107. 114.
Elichmanni Schedae, 226.
Ephemerides Mutinenſes, & Parmenſes 33.
Epicteti Enchiridion cum notis Emerici Caſaub. 235.
Epiſtolae Variorum. 310.
Epiſtolae Hug. Grotii, Iani Douſae, Dan. Heinſii, Camerarii, Caroli Marini. 81.
Epiphanii locus emendatus. 48.
Eraſmi, Deſiderii Opera. 77.
Eremitae, Danielis, Opera, & geſta quaedam. 313. 314. 320. *eius vita, & fama vindicata.* 325.
Eſpion dans les Cours de l'Europe. 55. *Iudicia de hoc libro.* Ibidem.
Etruſca Monumenta cuius aevi? 141.
Etruſca quaedam Monumenta. 143.
Etruſca lingua cuius pretii apud Romanos. 142.
Etruſcae Vrnae Sepulchrales. 100.
Etruſcorum Statuarum forma. 142.
Euſtathius in Homerum. 195. 218. 227.

F

FAber, Tanaquillus. 228. *Notas in Lucianum parat.* Ibidem.
Fabretti Inſcriptiones. 34. 38. 75. 147. 321. *Deſcriptionem agri Rom. moliebatur. Eius Mors.* 75. & 326.
Fabricii, Io. Andreae, Bibliotheca Graeca commendatur. 113.
Fabricius, Vincentius, Vitam Marini Procli edit, 225.

325. *Novam editionem Manethonis adornat.* Ibidem.
Falconerii, Octavii Iter. 260.
Feronius res M. Etruriae D. Amſtelodami agens. 226.
Ferrarius, Octavius, de Re Veſtiaria. 2. 277. *Ferrarii Orationes.* Ibidem. *Epiſtolae.* 261.
Ferretius, Io. Baptiſta, eius Muſae Lapidariae. Opuſcula, Opus de antiquis Collegiis, & ſodalitiis. 2.
Ficoronii, Obſervationes in Diarium Italicum Montfauconii. 138.
Fittonii, Petri, Mors. 225. *Gazam Antiquariam M. Etruriae D. in ordinem redegit.* Ibidem. *Catalogum ineditum conſcripſit.* Ibid.
Flemmingius Regni Suecii Senator. 208.
Florentini Nobiles Viri Heinſii amici. 115.
Folietae, Uberti Opera. 332.
Fontanini, Antiquitates Hortanae. 98. 138. 143. *Vindiciae Antiquorum Diplomatum.* 119.
Francii, Petri, Poemata. Diſceptatio cum Perizonio. 312.
Freſcobaldi mors. 210.
Fulketi caſus. 271.

G

Galilaei Opera. 209.
Gallandi cum Morello diſceptatio. 105.
Gatakeri, Thomae, Opera Critica. 61. *Opuſcula varia.* 61. 316.
Gatti, Antonii, Epiſtola pro vindiciis Antiquorum Diplomatum. 128.

Ge-

Gemelli giro del mondo. 124.
Genebrier Diſſertationes. 114.
Geographi Graeci, minores. 92.
Geographia antiqua cum Notis var. 55.
Germanici Arateorum Codices. 247.
Giſanii, Io. Index Lucretianus. 251. 258.
Glaſerus Philoſophus Chimicus. 27.
Glaſſi Sal. Opuſcula. 73.
Godevini; Moſes, & Aaron. 22.
Goereus Gulielmus, eius Antiquit. Iudaicar. & Reſp. Iudaeor. 19.
Golii mores. 247.
Golius, Iacobus, Arabica quaedam vertere cogitat. 228. 234. 239.
Gottfridi Io. Lud. deſcriptio Indiarum Orientalium, & Occidentalium. 77.
Graevius, Io Georg. in Cic. Epiſtolas ad Atticum 5. *in Epiſtolas Familiares.* 166. 182. *in Orationes.* 32. *in Suetonium* 15. *Antiquitates Romanae.* 35. 42. 51. 61. 67. *Opera varia.* 291. 296. 298. 299. 301. 302. 306. 308. 309. 310. *eius amici.* 302. 304. *Theſaurum Inſcriptionum molitur.* 325. *Duſſeldorpium ab Electore vocatur.* 319. *eius mors.* 333.
Graevii, Theodori, Ioh. Georgii Fil. indoles, & mors. 299. 304. *Callimachum cum notis paravit.* Ibidem & 25. 302. 304. 308. 310. 312. 313.
Gravinae Opuſcula. 46.
Gronovii, Iacobi, praeſertim in Italia caſus. 169. 175. 177. 180. 185. 188. 278. *Eius labor in Hiſtoria Socratis Eccleſiaſtica.* 179. *Apoteleſmata.* 315.
Gronovii, Theodori, Inſcriptio Neapolitana. 315.

Gro-

Gronovius Io. Theod. in Cic. 15. *Gron. ſententia de morte Iudae.* 104. *Cenſura.* 105. 98 *Curtius ab eo reſtitutus, & vindicatus.* Ibid. *Graecarum Antiquitatum Theſaurus.* 52. 56. 61. 67. *Tractatus de Seſtertiis.* 209 *Gronovii Io. Theod. uxoris, & filiorum mors.* 219. *Eius Hamburgum ſeceſſio.* Ibidem. *De Re pecuniaria veterum.* 123. 285. *Livium, & Tacitum parat.* 268. *Gron. in Italia.* 292. 295. *eius Morbus.* 273. 303. *mors.* 219. 221.
Grotii, adnotata in N. T. incendio abſumpta. 164. *eius Epiſtolae.* 18.
Gudii, Marquardi, Epiſtolae. 47. *Inſcriptiones* 308. *Notae in Phaedrum.* 47. 313. *Epiſtola deperdita.* 314. *Bibliotheca v. Bibliotb.*
Guilielmini obſervatio. 3.
Gurtheri, Nicolai, Hiſtoria univerſalis. 114.

H

H*Afnia obſeſſa.* 245.
Harduini Opera omnia. 136. *de Nummis Herodianis.* 32. *Cenſura.* Ibidem & 33. 79.
Harpocrates, & monumenta antiqua Cuperi. 6. 9.
Hautyn., Adr. Hiſtoria Batava. 11.
Heinſii, Nicolai, de reſtituendis Catullo, Tibullo, & Propertio conſilium. 229. 246. *eorum codices.* 246. *Eius Hagam ſeceſſio.* 230. *Ad Scriverii tumulum Epitaphium.* 138. *de reſtituendis antiquis Auctoribus conſilium.* 240. 258. 289. *Poemata.* 269 *Epigrammata in Fulketum.* 211. 270. *Heinſii valetudo.*

do. 272. 284. *lites*. 176. 184. 273. *Epigramma in Principem Arauſionenſem*. 278. *Heinſ. in Aula Sveca reſidens*. 206. 256. *Eius diſceſſus ex Svecia*. 284. *Tempeſtate varios amittit libros, variaſque Antiquitates*. 284. *Notae in Silium Italicum*. 225. *Carmen in Ducis Mecklenburgici Nuptias*. 207. *De Epicoedio Caſſiani a Puteo cogitatio*. 227. 229. *Heinſ. a ſecretis Amſtel. Reip*. 217. *Animadverſa*. 36. *pedum valetudo*: 168. 176. 188. 222. *Heinſiana Bibliotheca* 296. *Vita* 297. *cum Dato amicitiae cauſa*. 191.

Heinſii, Daniel, mors, & laus. 207. *In eum Epicoedia conſcribere cogitant Itali*. 313.

Heimanni Io. Smyrnam iter. 319. 323.

Henii, Petri, Virtus bellica, & mors 200.

Heniſchius in Procli Sphaeram. 252.

Hero de Machinis Bellicis. 227.

Heſychius, Sychri. 126.

Hippolytus de Antichriſto unde, & a quo publicatus. 314.

Hiſtoria hominis abſque pedibus, & manibus nati. 108. *eius ſcriptum*. 111.

Hiſtoria Edicti Nannetenſis. 34.

Hiſtoria Linguae Danicae. 37.

Hiſtoria trium, & quatuor Gordianorum. 55.

Holſtenii mors. 263.

Homeri Apotheoſis Differt. Cuperi. v. 2. 4. 166. 181. *Hom. cum Dydimi, & aliorum Scholiis*. 209.

Hottomanni Epiſtolae. 221. 324. 327.

Huberus, Hulricus de Praetorio. 23. *Eius mors* 303.

Huetius de Paradiſo. 29.

Hugenii, Chriſtiani, Κοσμοθεωρος. 65. *Sa-*

turnium ſyſtema. 231. *Tubus Opticus.* 234. *an Horologium a ſe editum ex Galilaeo deſumpſerit.* 235. *Aſſertio ſyſtematis Saturnii ſui.* 248. *Iter Pariſios.* 252. 254.
Hugenii Conſtantini poemata latina. 231.
Hugenii, Animadverſiones in Pollucem. 335. 336.
Hygini, Grammatica a Screverio edita mendiſſime. 241. *de ea emendanda Salmaſii conſilium.* 242.

I

Iacobus Patriarcha an in Phoenice deſignatur. 92.
Iamblichi vita Pythagorae cum Notis Kuſteri. 126.
Ianningius. 121. 122.
Ianſeniſtarum controverſiae. 22.
Inghiramii, Curtii, Etruſcarum Antiquitatum fragmenta ſuppoſititia. 142.
Inſcriptio antiqua Card. Carpenſis. 112.
Inſcriptiones Smyrna delatae. 8. 16. 26.
Inſcriptiones Gruteri. 117. *Gudii.* Ibidem.
Inſcriptiones Barberinianae. 228. *Palmyrenae.* 135.
Inſcriptiones Dionianae. 228.
Inſcriptionum Selectarum ſpecimen. 293.
Itinerarium Antarticum a Borellio edendum. 243.
Itinerarium Palmyrenum. 37.
Itineris per maritima Etruriae deſcriptio. 329.
Ittigii, Thomae, Appendix Diſſert. de Haereſiarchis aevi Apoſtolici. 44.
Iuliani Imperatoris Opera. 46.
Iulius Celſus. 47.

Iu-

Iulius Caeſar cum Not. Dion. Voſſii. 47.
Iuſtinus cum Gronovii, Fabri, Scheffeti, Vorſtii Notis. 296.

K

K*ennet, Baſil. Vitae Veterum Poetarum*. 77. *Eiusdem Antiquitates Romanae*. Ibidem.
Kalchnerius. 323.
Kuſteri, Suidae aliqua Opera. 126. *de edendo Herodoto conſilium*. 134.
Keuchenius, Petrus, Adnot. in N. T. 7. 11.

L

L*Actantius de mortibus perſequutorum*. 8. *cum variorum notis*. 255. & 299.
Laertius, Menagii, commendatur. 305.
Lagerlof, Petri de Druidibus Diſſert. 16.
Lampadii Diſſert. de Cimbalis Veterum. 331.
Langermanno honor a Duce Mecklenburgico habitus. 197. 229.
Langius, VVilelmus: Eius vitae circumſtantiae quaedam. 256.
Langius Florentiam venit. 237. *Daniae Senator factus*. Ibidem.
Larroquanus, Matth. Adverſaria ſacra. 11.
Larroquanus, Daniel de Legione fulminante. 11.
Latinii, Latini Opera poſthuma. 300.
Lazarini Epiſtola pro Antiquis Diplomatibus. 128.

Lenſii, Io. *ſuper aliquot Diodori Siculi locis Epiſtola*. 66.
Lente Dani iter Italicum. 310.
Leopoldi M. Etruriae Principis amor in eruditos viros. 265.
Leopoldus Medices Cardinalis S. R. E. 197.
Lettre Paſtorale de Mr. l' Archeveque de Paris. 71.
Lettres Hetruſques. 143.
Libri Stannei, plumbei, argentei Romae effoſſi. 25.
Lloydii Commentarius in Apocalypſin, & Danielem. 74.
Loccenis, Io. *Hiſtoria Sveeia*. 267.
Lodlon, *Edmundus*, *rerum ſub Cronvello geſtarum*. 74.
Longinus cum Tollii notis. 35.
Lubienici, *Staniſlai*, *Hiſtoria Cometarum*. 270.
Lucchefinii, Io. *Laurentii*, *Demonſtrata Impiorum inſania*. 12.
Lucretii Codices. 247.

M

Mabillonius, *eius iter Italicum*. 5. 9. *Mabillonii laudes*. 9.
Macedo, *Franciſcus a S. Auguſtino*. 179.
Machina ad mergendas, & incendendas Naves. 155.
Maeſtro, *Ferdinandi del*, *Elogia*. 196.
Maffei Pauli Alex. Statuae antiquae antiquorum recentiorum Artificum. 96.
Magalotti, *Laurentii peregrinatio*. 171. 280.

Magliabechius pingi *recuſat*. 111. *eius imago*. 125. *mors falſo credita*. 129. 132. *conſtantia in amicitiis*. 244.
Malvaſiae marmora Felſinea. 300.
Mannucci, *Nicolao Hiſtoria dell' Imperio del gran Mogol*. 12. 14.
Marchetti, *Alex.*, *carmen in Magliabechium*. 99.
Marchii, Io. *in Ioelem comment*. 66. *Exercitationes in quinque loca V. & N. T.* 51.
Marmora Oxonienſia. 54.
Marucellius, Io. *Phil. ad Regem Galliae Ablegatus*. 196. 248.
Maſſon, Io. *Ovidii*, *Oratii*, *Plinii Iunioris vita*. 132.
Maſſoni Annus ſolaris antiquus. 145.
Mathematici quidam veteres. 227.
Matthaeus, *Ant. in Hiſtoricum Anonymum*. 19.
Maymonidis opera quaedam. 34.
Mead Fratrum iter Italicum. 309.
Meelii, *Samuelis Supplementa in Criticam Gruteri*. 316.
Meibomius, *Marcus*. *Eius Antiquae Muſicae auctores ſeptem*. 243.
Menagii mors. 304. *Menagiana*. 41. *Differt. in Terent. Heautontimorumenon*. 18.
Meridianum ſe inveniſſe gloriabatur, *Irlandus quidam*. 154.
Merulae, *P. Opera poſthuma*. 3.
Meurſii, *Opera quaedam inedita*. 142. 267. *ſcripta ubi extent*. 179.
Meuſſanus comitatus. 88.
Millius in N. T. iterum edendus. 133. 134. *Eius mors*. Ibidem.
Minutoli, *Iulii Diſſertationes in Rom. Antiquitates*. 97.

Miſſionarii Indici. 124.
Mogol, *v. Mannucci*.
Molae vento circumagendae. 154.
Molmii iter Italicum.
Montauſerii Ducis mors, & *laus*. 301.
Montfauconii, *Paleographia*. 134.
Montfauconii, *Bernardi*, *Diarium Italicum*.
Monumenta Paderbonenſia. 275.
Morelli ſpecimen. 40. *cum Gallando diſceptatio*. 108.
Morinus, *de loco Parad. Terreſtris*. 29. 306. *idem exul*. 29.
Moroni, *Caroli*, *Inſcriptiones veteres*. 266.
Moſcovum Imperatoris imago. 275.
R. *Moſis Opera*. 34.
Le Moyne, *Stephanus*. *Eius mors* 14. & *notae in Ioſephum*. 15.
Muratorii, *Lud. Ant. laus*. 45. 53. *varia anecdota*, *ab eo promiſſa*. 64.
Mureti Opera. 242.

N

N*Aſſoviae Principis fatum*. 140.
Neocori Bibliotheca Librorum novorum. 51. 316. *Syneſium emendat*. 316.
Nevvton, *Henricus*, *Angliae Legatus*. 119.
Noot, *Gherardi*, *probabilia iuris*. 18. *de uſuris* 67.
Moriſii, *Henrici laus*. 20. 83. 181. *De anno veterum*. 146. *eius cum Gronovio commercium*. 186. *mors*. 100. *Diſquiſitio in Hiſtoriam Pelagianam*. 39.

Nor.

Normannus, Laur. edit Alexandrum de figuris; Homologiam Eccl. Graecae, & alia inedita. 18.
Nova Hollandia, & Zelandia detecta. 243.
Numiſma Ovidianum. 232.
Numiſmata Muſei Farneſiani. 77. 84.
Numiſmata Carolo Anton. Puteano ab Heinſio miſsa. 230.
Nummi Celtiberici, & Gaditani. 116.
Nummi Graeci qui ſuppoſitii. 72.
Nummi Hiſpanici. 107.
Nummus Arabicus. 106.
Nummus Timothei ad quem pertineat. 73.
Nurrae Studiorum ratio. 139.

O

OBſervationes in numiſmata maximi moduli Card. Carpignae. 61.
Olearii Diſtert. variae. 101.
Orbis terrarum circumnavigatio Dampierii. 54.
Oribaſii in Aphoriſmos Hippocratis Graecum commentariolum. 252.
Oricellarii, Horatii, mors. 107.
Ovidii Epiſtolae cum Bacheto. 29.
Ovidii editiones utiles. 240. *Codices.* 251. *Ovid. ab Heinſio editus.* 284.
Ovidii locus quidam an emendandus. 215. 216.

P

Paganini, *Alex. Obſervata in Ovid.* 163.
Pamphilii Principis de ſtatu ſuis edendis conſilium. 223. 225.
Panciatichi Laurentii peregrinatio . 272. 273. 175.
Papebrochius. 121. 122.
Papiae, *Vocabularium*. 218.
Paſſionei Dom. iter. 133.
Patinae, *Gabrielidis Carolae Diſſert. de Phoenice*. 19.
Patini, *Caroli*, *Commentarium in Caenotaphium M. Artorii*. 18. *comment. in Antiqua Monumenta*. *Theſaurus Antiquit.*. 273.
Patres Apoſtolici edente Clerico. 61.
SS. Patrum Catena in D. Marcum. 170.
S. Pauli Epiſtola ad Hebraeos illuſtrata. 66.
Pauli Veneti Itinerarium. 248. *eius Editiones*. Ibidem.
Paulini Epiſcopi Nolani carmina variis locis enodata. 45.
Perizonii de Morte Iudae ſententia. 98. 104.
Perizonii Origines Babylonicae. 146. *Aegyptiacae* Ibid. *Aſiaticae*. Ibid. *Epiſtola*. 318. *Eius lites cum Francio*. 312.
Perizonius Iacobus. *de Praetorio*. 23.
Perizonius in Aeliani variam hiſtoriam. 56.
Petreii Ant. ſcripta varia. 163.
Petronius integer. 29.
Petronius Burmanni. 125. 139. *in nonnulla eius loca conjecturae*. 125.

Petrus, Marty an ediderit Chryſoſtomi ad Caeſarium Epiſtolam. 313.
Phaedrus Fanaquilli Fabri. 228. *Schefferi.* 290.
Philoſtrati opera. 101.
Piſanus. Bernardus in Catul. Tib. & Prop. 157.
Pitiſcus in Suetonium. 17.
Plinii Codices Voſſiani. 237. 244. 247. 249. *Codex Chiffletianus* 238. 247 *Editio Dalechampii.* 238. *Editio Pariſina.* Ibid. *Editiones variae.* 249.
Poemata Septem illuſtrium virorum. 275.
Poggius. 163.
Porticus Minervae. 63.
Portus Herculis Liburni verus ſitus. 319.
Portus Piſani verus ſitus. 419.
Potteri, Io. Archaeologia Graeca. 77.
Prideaux Mahometis Vita. 126.
Praetorium in quo vinctus fuit D. Paulus; quid ſit. 299.
Pritii, Georgii Soteria Ant. Magliabechio. 39.
Propertii, & Catulli Codex Magliabechianus. Ibid.
Propertium emendare cogitat Heinſius. 157.
Prudentii Codex. 170.
Puffendorfii a Svecorum Regibus res fortiter geſtae. 3.
Puteani, Iacobi mors. 222.

R

R*Amazzini, Bernardi, de morbis Artificum.* 87. *De Fontium Mutinenſium admiranda ſcaturigine.* Ibid.

Ra-

Razin, *Stephanus* + *ebellis*. 273. *eius caſus*. Ibidem.

Reginae Boruſſorum honor in Magliabechium collatus. 121. *eius mors*. Ibidem.

Relandi, *Hadriani*, *Diſſertationes*. 131.

Reponſe a l' Hiſtoire des Oracles de M. de Fontenelle. 126. *eius refutatio*. 128.

Rhenferdi Diſputationes. 48. *Comparatio expiationis S. Pont. & I. Ch.* Ibidem.

Rhenfredicus in Inſcriptionem Palmyrenam. 135.

Rhenferdus Iacobus de ſectis Iudaeorum haereſibus. 47

Ricciolus Hugenii ſyſtema Saturnium impugnat. 141. 250.

Roſtgaardi iter Italicum. 317. *Eius de Bibliotheca inſtituenda tractatio*. 316.

Rubenii Alberti, *laus*. 277.

Rudbecquii Atlantica. 16. 18.

Ruinartii, *Theodorici Acta Martyrum ſincera*. 21.

Rychius, *Theodorus*, *Gronovii in Profeſſione Bonarum Artium ſucceſſor*. 277.

Rycquii mors. 15.

Ryſchii, *Conradi iter*. 189.

S

S*Aenz de Aguirre Concilia Hiſpaniae colligit*. 13.

Salmaſii, *Claudii fatum in Academia Leidenſi*. 172.

Salmaſius de Re militari. 196. *Eius Exercitationes Plinianae* 293.

Salvinii cum Cupero commercium Epiſtolicum. 144. 145.

Sal-

Salvinius Ant. commendatur. 351. *Amatoria Xenophontis Etruſce expreſſit*. Ibidem.
Sanderi Bibliotheca Belgica. 175.
Sarravii, Epiſtolae. 47.
Savonarola, Raphael, eius opus. 21.
Scaligeri, Ioſephi, in Academia Leidenſi mores. 177.
Scaramucci, Io. Bapt. Theoremata familiaria. 49
Scheborkic, Gulielmi, de morte, & iudicio. 54.
Schefferus de re navali. 196.
Schelius, Ratholdus, de Re militari Romanorum 241. *De Caſtramentatione Rom.* 268. *Militiae Rom. pars altera*. Ibidem. *Eius mors*. Ibid.
Scheltratius, Emanuel. 22. *Antiquit. Eccleſ.* 38.
Schmidt, Io. Andr. Diſſertationes. 123.
Schoteni mors. 239.
Scioppii Minerva Sanctiana. 227. *Scioppii, Gaſpar. Danielis Eremitae vita, & mordacitas*. 321.
Scuderi Poema in Reginae Chriſtinae laudem. 197.
Scultingius, Io. De iuriſprudentia Ciceronis. 104. *Eius Fragmenta veterum Iuriſconſultorum*. 146.
Sectani Q. Satyrae. 80.
Seldeni Marmora Oxonienſia. 54.
Senecae Tragoediae ex Codice Magliabechiano. 158.
Sepulchrum vetus in via Flaminia effoſſum. 173.
Servii Codices, & locus conferendus. 5.
Silii Codices. 236. 240.
Simonii, Richardi; Hiſtoria Critica in N. T. 11.
Slegelii mors.
Socratis Hiſtoria Eccleſiaſtica. 179.

So-

Solanus, *Moſes*, *de ſtylo N. T.* 48.
Spanhemii, *Ezechielis*, *Caeſares Iuliani*. 262. *Lucanus*. Ibidem. *Iter Italicum*. 288. *laus* 261. *Callimachus*. 306. 308. *Eius Diſſert. de Iure civitatis Romanae in Britannia*. 330. *De iure civium Rom. ſub Imperatoribus*. 315.
Spanhemii, *Friderici ſecunda pars Hiſt. Eccl.* 9. *Spanhemii Orbis Rom.* 110. *Diſſertationes* 114. 116. *Epiſtolae* 40. *Laus*. 46. 65. *Aulica ambitio*. 266.
Sperlingius, *Otto*, *Nummum Furiae Sabinae Tranquillinae Aug. explicat*. *De Moneta Iudaica opinio*. 44.
Sponii, *Iacobi*, *Miſcellanea eruditae Antiquitatis*. 5. *De Aris ignotorum Deorum*. 293.
Statii Silvas emendare cogitat Heinſius. 156. 163. *Codices in Bibliotheca Magliabechiana*. Ibidem.
Stercus quid ſignificet. 57.
Striberus, *Franciſcus*, *Conſul Batavus Venetiis*. 97.
Stiernhielmi, *Georgii*, *Anticluverius de Gentis Gothicae origine*. 5.
Strauchii, 10. *Laus*. 196.
Strozzi, *Caroli Bibliotheca*. 165.
Sveciae, *Regis Frater Florentiam venit*. 211. *Carmina in eius adventum*. 212. *Res bellicae*. 212. 213.
Suetonius Graevii. 146. 275. 318.
Suidae Opera. 101.
Sychius Alcoranum in Latinum vertit. 126. *Mahometis vitam ſcribit*. 126.
Syneſius a Neocoro edendus. 316.

T

Tacitus Gronovii. 164.
Taia, Auguſtini; Homiliae Clementis XI. Verſio Italica. 103.
Talmudicus codex. 48.
Talon, Traitè de l' Autoritè des Rois, touchant l' adminiſtration de l' Egliſe. 71.
Taylor, Ieremiae, Vita I. *Ch*. 72.
Tempeſtas magna in Belgio. 92.
Tenzelii, VVilh. Erneſti Saxonia Numiſmatica. 123. *Eius Colloquia Eruditorum*. 47.
Tennulii, Samuelis, Frontini ſtratagemata. 173. 182. *Eius curae in Valerium Maximum*. 188.
Terraemotus Neapolitanus. 13.
Texelii, Petri, Phoenix viſus, & auditus. 92.
Theſaurus Chronologicus. 16.
Thammuz. 324.
Thomae, Magiſtri Orationes editae, & ineditae 32. *Orationes Graecae*. 37.
Thucydides. 52.
Tilliſon Io. Chriſti Divinitas, Humanitas, & Satisfatio. 55. *Diſsert. de Tranſubſtantiatione*. 55.
Til. Salomon Prodromus Commentarii in Pſalmos. 28.
Titii, Roberti. Loci controverſi. 212. 300.
Toinardi notae in Lactantium. 21.
Tollius, Iacobus, eius iter Italicum. 8. 21. 22. *Eius notae in Longinum*. 35. *Eius Itinerarium, & mors*. 42.
Tomaſi de Epocha Dionyſiaca. 33.
Trompii Stratagemma. 200.
Tunica inconſutilis. 292.

Va-

V

VAgenſeilii, defenſio Argyraſpidis. 30. Eius Diſſert.. 31. De Magiſteriali cantu. 42.
VVagenſeilii, Io. Chriſtoph. Diſſertationes. 52.
Valeſius, Henricus Euſebii Hiſtoriam Eccleſiaſticam parat. 228. Eius de Hiſtor. Socratis Eccleſiaſt. conſilium. 179.
Valerii Nicolai Tentamina Philoſophico-Chymica circa aquas Thermales Aquiſgranenſes. 71.
Valleſii mors. 334.
Van Dale, Antonii de Oraculis Diſſertationes 71. 324. Alia opuſcula. Ibidem. De Origine, & progreſſu Idololatriae. 71. Eius Diſſert. de Simonis Magi ſtatua Ibidem De conſecrationibus. ibid. Diſſert. IX. 324.
Vanni, Franciſcus. 5.
le Vaſſor, Michel, Hiſtoire du Regne de Louis XIII. Roy de France. 71.
Vigneul Marville Melanges d' Hiſtoire, & de Litterature. 72.
Vignolii Explicatio Columnae Antonini. 213. 93. Antiquae Inſcriptiones. Ibidem.
de Vilde Iacobi, ſelecta Numiſmata. 28.
Vintimigliae, Aphrodiſii, la Viſiera alzata. 14. Eiuſdem continuatio. Ibid.
Vitringa, Campegius, eius ſacrae obſervationes. 11.
Voet, Io. Commentarius ad Pandectas. 66. S. Pauli Epiſtola illuſtrata. 66.
Vitzii, Hermanni, Diſſertationes. 22.
Vorſtius, Adolphus Licei Leidenſis Rector. 239.
Voſ-

Voſſii. Iſaaci, notae in Catullum. 4. *Bibliotheca*, 17. 23. *Pomponii Melae editionem meditatur.* 219. 223. 225. 228. *Eius de Pulveris Pyrii inventore ſententia.* 148. 149. *Eius geſta varia.* 211. 213. 223. *Apologia* LXX. *Interpretum.* 248. *Eius in Britannia caſus.* 280.
Voyage des Suiſſes. 60.
les Voyages du Sieur la Maire aux Isles Canaires. 41.
de Vries Dictionarium Hiſtoricum, & Geographicum. 118.
Vrſini, Fulvii, Notae in Fragmenta Faeminarum Illuſtrium. 230.
Valerii Flacci Codices. 240. 246. *Poemata.* 159. *Variae Editiones.* 161.
Valle, Petri, de la, Itinerarium. 259.
Vanden Broeck Petri Adriani Poemata Latina. 255.
Vander Duſsen adoleſcentum, iter Italicum. 319.
Vercorus, Io. Novam Heſichii editionem molitur. 299.
Vietae, Franciſci, Harmonicon Coeleſte Mſs. 263.
de VVilde, Ioachimi Selecta Numiſmata. 306.
Virgilii Codices. 247. *Virg. Heinſii* 268. 270. 276. 160. 164.
Villae Triturritae ſitus. 319.
Viviani, Caroli, in Ovidium notae. 160. 163.
Vitſenii, Nicolai Mappa Geographica. 306.
Voſſii Etymologicon ſub prelo. 243. *ſtudia Philoſophica.* 27. *Eius mora in Britannia.* 177. *Vitenii commendatio.* 298.
Vſserii veterum Hibernicarum Epiſtolarum Syloge. 44.
Vrbes Neocorae. 46.

Xe-

X

X Enophontis Opera. 101.
Xenophontis Epheſii Amatoria Salvinius Etruſce expreſsit. 351.

Z

Z Amolxidis Vita. 11.

FINIS.

MAG 2019040

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google